

1735

55

1

35
Michele C

5

EVERARDI OTTONIS,

Juriſconſulti & Publici Privatique Juris Anteceſſoris Trajectini,

DISSERTATIONUM JURIS PUBLICI ET PRIVATI

PARS PRIMA.

ACCEDIT ORATIONUM TRIAS.



TRAJECTI AD RHENUM,

Apud JOANNEM VISCH, Bibliopolam.

cIↃ. IↃ. CCXXIII.



NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
ac meritis in Remp. Fulgentissimis Viris,

CORNELIO QUINT, JCTO,

ET

HADRIANO STRICK,

Domino in Linschoten & Polanen,

FLORENTISSIMÆ URBIS TRAJECTINÆ

CONSULIBUS;

CETERISQUE EJUSDEM URBIS

SENATORIBUS,

ACADEMIÆ CURATORIBUS GRAVISSIMIS,

EVERARDUS OTTO F.



Issertationes meas, varii argumenti, editas antea & ineditas, in unum corpus colligere quum instituissem, non diu anceps hæsi, à quorum splendore lucem iis & tutelam mutuarer. Occurrit mihi evestigio Vestrum, AMPLISSIMI VIRI, nomen; cui ipsæ committi ambi-

unt enixe, tantoque præsidio se indigere, ultro agnoscunt, & palam profitentur. Sive enim illæ ejusmodi sunt, ut Orbis litterati favorem sibi promittere non ausint; & non apud alios magis, quam Nobilissimos Academiæ Curatores, temeritatis excusatio instituenda erat; quam tanto benignius a Vobis acceptum iri confido, quo magis scopum earum, ad decus Academiæ, & inflammandam juventutem propositum, tum repentinas occasiones, quibus magna illarum pars enata est, cognitas habetis & spectatas. Sive autem illæ ejus sunt generis, ut qualicunque diligentiæ & varietatis (quæ vilissimis rerum quoque gratiam conciliare solent) laude non indignæ videantur; & rursus nullos habeo, quibus justius eas inscribere debeam, aut lubentius oblatas velim. Vestrum enim, Amplissimi Viri, tam benignum de studiis meis judicium fuit, ut Juris Civilis & Publici professionem, in florentissima hac Academia Vestra, mihi mandare volueritis: cui exornandæ dum omnibus animi & corporis viribus incumbo; aliaque majoris operis & molis, diutius versata, ad prelum paro, id mihi negotii datum esse credidi, ut interim specimina quædam, ad Juris illius utriusque cognitionem pertinentia, uno fasce complecterer, eaque, ceu totidem pignora animi devoti, & frugum primitias, in fundo Vestro natas, aut collectas, quo par est, cultu & animi submissione, Vobis consecrarem. Non equidem

dem verecundiæ fines patiuntur, ut scribendi, quem in iis tenui, morem omneque institutum prolixis verbis exponam; qui indies magis magisque, quam curta mihi supellex sit, ad res tam arduas recte tractandas, experior. Illud autem apud Vos, quibus negotii & otii mei ratio reddenda est, profiteri licebit, istam mihimet legem, in omni studiorum ratione, me dixisse: ut missis difficilibus nugis, scholæ tantum, non vitæ comparatis, ea maxime, quæ in ipsis rerum obtinent argumentis, ex fonte naturæ inexhausto, per varios Gentium mores, & temporum intervalla consectarer; nunquam vero sanctissimam Juris Publici disciplinam assentationi donarem: aut juris privati sapientiam masculam, nudo verborum infringerem cultu. Hæc vero an & quousque assecutus fuerim, eleganti tersoque judicio Vestro submitto; satis persuasus, prima sequentem in secundis tertiisque consistere, apud Vos honestum censeri. Modum sane & viam, qua hactenus usus sum, in Sparta mea obeunda, non in totum Vobis displicere, testatum fecit recens illud beneficium, quod liberali manu, in me immerentem, contulistis. Huic referendo cum impar sim, grati tamen & memoris animi significatio pars quædam remunerationis, rogo, apud Vos existimetur; si & calcar simul mihi additum esse sentiatis, majora audendi; id quod re & opere magis, quam verbis præstare conabor. Quod si venerationi & observantiæ,

quam eximia illa virtus, & humanitas Vestra; animo meo impressit, hic indulgere liceret, amplus sese aperiebat campus, in laudum Vestrarum præconia excurrendi. Possem enarrare egregia Urbis Vestræ ornamenta; Rempublicam æquis legibus constitutam; civium amorem & promta obsequia; cultum denique pietatis & justitiæ; quæ anchoræ gravissimæ sunt, quibus navem Reipublicæ firmatis. Sed centies illa jam dicta sunt, & animorum Vestrorum magnitudo encomia, quæ coram fiunt, adspernatur. Illam autem non præteribo gloriam Vestram singularem, quod Musarum domicilium, summa providentia, a majoribus Vestris erectum, plusquam paterno amore fovetis, partaque meritorum opulentia, & numerum & stipendia Professorum augetis. Ut cetera non commemorem, paucos adhuc ante dies, summo omnium plausu, & publica gratulatione, tam egregia ejus Curæ dedistis documenta, ut nullus nostrum, aut exterorum, dubitare possit, Vos instrumenta esse seculi boni. Et quid, sodes, Amplissimi Viri, nominibus Vestris poterat esse gloriosius? quid publicæ magis conveniebat caritati? quid denique huic loco, natura ad id composito, ut altera velut Massilia, Sedes & Magistra Studiorum *esset, accommodatum erat magis? quam illas alere artes divinas, quibus subjectorum animi ad præstantissimas facultates, rectum Dei cultum, & officia*

ficia

ficia boni civis perducuntur. Fluxa & caduca sunt reliqua humana; ceciderunt porticus, & palatiorum moles, immensis sumtibus, Athenis, & Alexandriæ olim ædificatæ: sed litterarum, in Academia & Museo, excultarum monimenta sempiterna sunt, vigentque seclis innumerabilibus. Deum Opt. Max. supplex veneror, VIRI AMPLISSIMI, ut Vos, Patriæ Vestræ Patres, publicæ rei & litterariæ, salvos diu atque incolumes præstare velit. Is Vos respiciat semper ex alto, & consiliis Vestris benedicat; ad Vestræ, Vestrorumque cumulum felicitatis!

Scribebam Trajecti ad Rhenum a. d. XIX. Junii cIↃ. IↃ. CCXXIII.

ELEN-

ELENCHUS DISSERTATIONUM

quæ hac parte continentur.

A C C E D I T.


DISSER-



DISSERTATIO PRIMA,

DE

Jure Imperatoris circa electionem Pontificis Romani.



Ui non dictus Hylas? Quis non paululum curiosior de suffragiis Amplissimi Purpuratorum Collegii conjecturam fecit nuper, & nunc de novo Innocentii XIII Pontificatu ex principiis ominatur? Laborantes vidimus omnium nationum Reges & Principes, ut faventem sibi Præsulem obtinerent. Remis velisque ad apertum Conclave undique festinarunt Cardinales Episcopi, Presbyteri, & Diaconi: ne deficiente diu Ecclesiæ Pastore rapax lupus gregem dominicum invaderet, aut viduata in facultatibus aliquid caperet detrimenti. Fortassis anicula item superstitiosa, vel rerum imperita plebs, serium quoque concepit votum, ut Orbis gubernacula dignissimo porrigerentur. In sacro autem Senatu ambitus & factionum plena audivimus omnia: unde solicitudo multorum, ut divinam in hac creatione præsentiam probent, quam ipsis adhuc religionis auctoritas persuasit.

An Petrus fuerit Romæ, sub judice lis est:
Simonem Romæ nemo fuisse negat.

Nihil equidem res ista ad Edictum Prætoris, nec virium mearum esse, Pontificis mitram, aut galerum Cardinalium disturbare agnosco. Quod si autem tantum ingenii a natura mihi tributum fuerit, ut nuperam Cardinalis Paulucci exclusionem, ab oblivione hominum vindicare, & excellentius jus Carolo VI. Augusto asserere possim; non ignobilem materiam obrigisse videbar, in qua excolenda horas subsecivas collocarem. Quemadmodum enim nautæ undas maris & tempestatem effugientes Diis marinis tabellas dicabant, in quibus pericula depicta legebantur: sic non ingratum nec inopportunum, opinor, erit, in hac causa, velut tabula ex maximo naufragio arrepta & servata, jus pristinum Imperatoris circa sacra eorumque summum Antistitem intueri. Et sane gravissima est quæstio, fueritne Imperatorum Romanorum summos Pontifices creare, vel certe an ii sine Principum confirmatione coronarentur. Qua de re Viri Clar. Jacobus Pamelius ad Cyprianum, Angelus a Nuce ad Leonem Ostiensem, Bellarminus, Baronius & Conringius jam olim varie disseruerunt. A recentioribus autem juris publici scriptoribus, si paucos excipias, levi tantum brachio controversia illa excussa est; sive quod spem omnem juris amissi recuperandi decollare, ideoque frustra niti & laborando odium quærere, sapientis non esse putarunt: sive quod macrobius ille Clemens XI. tamdiu Sedem tenuit, ut annos Petri superaturus videretur, nec huic disputationi daret locum. Omnia equidem, quæ huc pertinent, nobis dicere non licebit; distincte tamen nonnulla delibabimus, & varios hujus electionis modos, ejusque fata præmittemus, quæ rei obscuræ lucem deinde accendant.

Nec fas ulterius longas nescire ruinas,
Quas mora suspensæ multiplicavit opis!

CA-

CAPUT PRIMUM,

DE

ELECTIONE PONTIFICIS ROMANI.

§. I. *Electio Pontificum Romanorum multis dissidiis inde à sæc.* IV. *laboravit.* II. *Etiam tum quum Pontifices summi & Papæ plures essent; quorum vocabulorum usus & origo indicatur.* III. *Ambitus ille auctus, ex quo Romanus κατ' ἐξοχὴν Pontifex Summus, Papa & Deus factus.* IV. *Quanta ejus sit, post gravissima damna, potestas in Italia civilis.* V. *Effectus majestatis ejus spiritualis stupendi.* VI. *Quanti Imperatoris intersit Papam habere a se non alienum.* VII. *Clerus Romanus, junctis populi suffragiis, primos Pontifices creavit.* VIII. *Postea tres modi eligendi, per inspirationem, compromissum & scrutinium.* IX. *Innocentius II. & Alexander III. electionem ad Cardinales detulerunt.* X. *De quorum nomine & eminentia selectiora quædam.* XI. *Conclavis initia, & leges.* XII. *Ejusdem vitia, contra Petrum Matthæum.* XIII. *De nominis mutatione & sede stercoraria.* XIV. *De Coronatione Papali antiqua & nova.*

§. I.

PLus semel per hos dies, quum vias ad culmen Pontificatus Romani diversas, tum varias variorum Patrum ex omni Europæ parte concurrentium inclinationes, studia, & affectus consideravi, in mentem venit, quod Cicero de priscis Romanorum comitiis dixit pro Muræna cap. XVII. *Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum?* Nullus sane Prophetas & Apostolos legendi in Historia Ecclesiastica talis occurrit modus: nec quicquam in libris sacris de Christi Prorege, aut ejus creatione Deus mandavit. Verum ut reliquorum Episcoporum, sic etiam Romani constitutio prudentiæ humanæ unice relicta, iisdemque vitiis, à multis jam retro sæculis,

obnoxia fuit: id quod maxime suspectam reddit divinam ejus institutionem. Enimvero primis ferme annis trecentis, quibus sanguine suo purpurata ut plurimum Ecclesia fuit, sanctis Romanorum Episcopis, sub jugo Tirannorum, in cryptis & specubus latendum fuit, nec illi isto mundi typho & arrogantia utebantur. Unde Viri integri fide præstantes, & martyrium subire parati, Cleri & populi suffragiis non modo electi; sed & nomine eligendi palam proposito, omnium de eo judicia provocata sunt; quo vel malorum detegerentur crimina, vel merita bonorum prædicarentur. Singularis hanc in rem est Lampridii locus in vita Alexandri Severi cap. XLV. quem integrum appono: *Ubi*, inquit, *aliquos Imperator voluisset vel Rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est rationales ordinare, nomina eorum proponebat: hortans populum, ut si quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret pœnam capitis: dicebatque grave esse, quum id Christiani & Judæi facerent, in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita.* Quam primum autem pax Ecclesiæ fuit reddita, & Reges terræ sceptra sua Regi Messiæ submiserunt, inter nitentia culta lappæ & tribuli cœperunt succrescere, & jam medio sæculi quarti, ita sese gesserunt eligentes, ut homines pagani satis cognoverint, Spiritu hujus mundi comitia ista agitari. Ferale ejus specimen in electione Damasi, Pontificis Romani, A. Chr 367. Valentiniani & Valentis temporibus, observavit Ammianus Marcellinus, gentilis & militaris, sed veritatis studiosissimus scriptor, lib. XXVII. c. 3. cujus verba notatu dignissima exscribere lubet, ut vulgus nupera mirari desinat, & nihil novi fieri sub Sole tandem agnoscat. Sunt autem ista: *Damasus & Ursinus supra humanum modum ad rapiendam episcopatus sedem ardentes, scissis studiis asperrime conflictabantur; adusque mortis vulnerumque discrimen adjumentis utriusque progressis: quæ nec corrigere sufficiens Juventius, nec mollire, coa-*

ctus

ctus vi magna secessit in suburbanum. Et in concertatione superaverat Damasus parte, quæ ei favebat, instante. Constatque in basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum; uno die centum triginta septem reperta cadavera peremtorum, efferatamque diu plebem ægre postea delinitam. Ne vero posteris mirabile videretur, in re sacra ad cælem perventum esse, causas addit, a fastu, ambitione & insatiabili habendi studio petitas: *Neque ego*, pergit, *abnuo, ostentationem rerum considerans urbanarum, hujus rei cupidos ob impetrandum, quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere: cum id adepti, futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo ut eorum convivia regales superent mensas. Qui esse poterant beati revera, si magnitudine Urbis despecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorundam provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia, perpetuo numini, verisque ejus cultoribus, ut puros commendant & verecundos.*

§. II.

Quod si ergo in simpulo illo dignitatis, omni jurisdictione destitutæ, jam tot fluctus excitati, non est cur in partium studia declamitemus, ubi de mari Ægeo & immensa ista majestate conferenda nunc deliberatum. Nullus temporibus istis hujusmodi primatus universalis, vel, ut quidam non inscite vocat, *Totatus* erat: sed quemadmodum singulis gregibus sui pastores, sic urbis Romæ episcopus limites suæ Ecclesiæ non egrediebatur. Sæculo secundo, fateor, jam caput extollere cœperunt Pontifices Romani, ceu Petri in sede Apostolica successores; martyrii, orthodoxias & sapientiæ laude clari. Sed prærogativa illa ultra Cathedræ honorem & dogmata quædam non protendebatur. *In Romana Ecclesia Apostolicæ Cathedræ semper viguit principatus*, ait Augustinus epist 162. Jam dudum ante hunc Irenæus, Lugdunensium episcopus, lib. III. c. 3. asseruerat, omnem Ec-

clesiam huc convenire debere, *propter potentiorem principalitatem*, Urbis puta & traditionum. *Ob dignitatem Romanæ civitatis*, inquit Theodosius Nov. 24. *Intuitu Regiæ Urbis*, Leo & Anthemius AA. dixerunt in *l.* 16. *C. de SS. Ecclesiis.* Atque isthæc dignitas loci secularis, privilegia, honores, & jus ante alios residendi Episcopatui cohærens effecit, ut nonnulli *studio fraudulentæ artis irreperent*, auctore Constantio in *l.* 49. *C. Th de Decurion.* Nec alia causa, Symmachus Papa, sæculo quinto, studia diversa commemoravit eorum, de quibus certamen propter Pontificatum emerserat, *ut fieri solet*, inquit *can.* 10. *Dist.* 79. Crevit postea ambitus, quum Justinianus sanctissimum veteris Romæ Pontificem caput esse omnium sacerdotum sancivit, ejusque Ecclesiæ προεδρείαν & ordinis principatum firmavit, *l.* 8. *C. de Summ. trin. Nov.* 131. *c.* 2. Scilicet jam inde ab Apostolorum temporibus blanda dominandi cupido invaserat animos Episcoporum, ut partim ex antiquitate Ecclesiarum aut civitatum, partim vero ex Imperatorum, Regum, Pontificum privilegiis, etiam ex sola consuetudine prærogativæ peterentur. Cumque canone 17. concilii Chalcedonensis sancitum erat, civilibus & politicis formis ecclesiasticarum parœciarum ordinem conformari debere, differentia inter urbes metropoles, magnas & minores ab Antonino Pio in *l.* 6. §. 2. *D. de Excus.* tradita, apud Episcopos observata est: ut metropolitanus præ ceteris emineret, titulo Pontificis *Summi* vel *Maximi*: qui aliquot provinciis præpositi *Archiepiscopi*; & denique qui plurium metropolitanorum præsulatum tenerent, *Patriarchæ* dicerentur; id quod ex Sidonio Apollinare aliisque erudite post Usserium docuit Norisius de quinta Synodo pag. 76. Nec tamen hisce Patriarchis, nedum uni Pontifici Romano, tota Ecclesia subjecta fuit, quod Cardinalis Peronius se unum observasse jactabat; dudum confossus & explosus ab eruditis, præsertim Gallis, qui canonem sextum Concilii Nicæni illustrarunt. Unusquisque enim gregis universi portionem sibi adscriptam regebat, actus sui rationem soli

soli Domino redditurus. *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur*, scribit Cyprianus de Unitate Ecclesiæ. Hinc mos ille diu stetit, ut Archiepiscopi omnes, Pontifices Summi, Maximi, Archipontifices, vel Archipræsules dicerentur. Hildebaldus *Coloniensis Archipontifex* legitur in vita S. Ludgeri cap. XXI. Wittichindus lib. II. Ann. ineunte *summi Pontificatus Moguntiacæ sedis fastigium* memorat, & Hilbertum Archiepiscopum, *Pontificem maximum* vocat; per Germaniam scilicet primam, cujus Primas erat & metropolitanus. Sic Episcopi & clerici olim indistincte *Papæ*, & Archipresbyteri *Protopapæ* dicti, apud Cyprianum, Tertullianum, Gregorium Turonensem & Walafridum Strabonem: idque imitatione gentilium, quorum PATRES SACRORUM, canitie pariter ac munere venerandi apud suos, ex inscriptionibus noti. Nam παππας Syracusiis patrem significat, ut Suidas docuit, & παππάζειν apud Homerum est vox infantum, qui patrem vocant, Iliad. E. Latinis nutritorem notat, vel pædagogum seniorem, à *pappa* cibo puerili; sicut mammeatæ matres & nutrices, infantum lallantium voce, *Mammæ* apud Græcos & Latinos dictæ. *Prægustet pocula pappas* cecinit Juvenalis sat. VI. *Pappos aviasque trementes* habet Ausonius Protrept. Vide Casaubon. ad Persii sat. 3. J. F. Gronov. ad Senec. II. contr. 9. & Meurs. Glossar. voce παππας. Nugas aliorum de hac voce Corasius collegit lib. v. Misc. c. 15.

§. III.

Per octo autem, & quod excurrit, secula in evehenda Sedis Romanæ auctoritate exinde desudatum est, quæ sæculo undecimo exeunte ad summum pervenit. Tum enim Hildebrandus, Pontifex Romanus, sumto Gregorii VII. nomine, armis Normannorum fretus, & opibus ac familiaritate Mathildis, Hetruriæ ducissæ potentissimæ, confisus, maximam illam & toti terrarum orbi tremendam majestatem sibi suisque successoribus acquisivit. Is omnes, quotquot fuerunt, sacerdotes longo post se reliquit intervallo; sive

sive Prophetas & Apostolos, sive summum Pontificem in Theocratia Judaica, sive Græcorum Asiarchas, aut Druidas Gallorum vel Muftios Mahumetistarum spectes. Huic uni Ecclesia Romana acceptum ferre debet, quod tot divitiis & profana ditione locupletata, Imperatores, Reges, & Principes Christianos non tantum excommunicare, sed & solio dejicere ausa est, exemplo nullibi terrarum audito. Nisi forsan excipias barbarorum Meroënsium sacerdotes, quorum tam effrena fuit auctoritas, ut misso nuncio mortem Regi suo nonnunquam imperarent, & alium ei sufficerent, auctore Strabone lib XVII. Ab hoc Hildebrando præcipiti gradu omnia in pejus versa sunt. Nomen Imperatoris, ob investituram per annulum & baculum indigne extortam, odiosum erat, nec in diplomatibus Pontificiis amplius legebatur. Contra Episcopi *Dei & Apostolicæ Sedis gratia* se profitebantur, & *majestatis* compellatio Romano Pontifici arridebat. Nunc evecti Cardinales: nunc etiam *Summi Sacerdotis* & *Papæ* nomen Archiepiscopis abrogari, solique Romano vindicari cœpit. Siricius Pontifex Romanus primus sese *Papam* appellarat. Leo sanctus se modo *Episcopum*, modo *Papam*, sed *Urbis*, vel *Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ*, ut in epistola XXVI. ad Theodosium Augustum, vocarat: post hinc vero Romanus, ceu nullis regionibus & terminis definitus, *universalis vel Catholicæ Ecclesiæ Pontifex* passim nominatur. Refert Baronius in martyrol. ad 10 Jan. eundem Hildebrandum in Synodo Romana A. C. 1073. inter alia statuisse, ut Papæ nomen unicum esset in universo orbe Christiano, nec liceret alicui se ipsum vel alium eo nomine appellare. Id quod etsi non omni exceptione videatur esse majus: certum tamen est, nunc maxime invaluisse, ut Patriarcha Romanus κατ᾽ ἐξοχὴν *Pontifex Maximus*, *Papa* & *Pater patrum* vocaretur. Pariter ac Justinus Paulum Apostolum πατέρα πατέρων appellavit: vel potius, ut Jupiter a Bithyniis Πάππας, a Scythis *Papæus* dictus; & Capitolino Jovi *Patris* nomen Romani dederunt, auctore Virgilio I.

Georg.

Georg. 283. Satis enim erecta rum Sacerdotii majestate, Vaticanus ille Jupiter, secundum Hildebrandi Dictatus, non modo ut Episcoporum Episcopus summis honoribus cultus; sed idem quoque, ut Rex Regum, & dominus dominantium in summas quasvis potestates, earumque vitam, regna & subditos auctoritatem suam extendit; tanto illis superior, quanto Sol Luna est, *cap. solitæ 6. X. de Majorit. & obed.* Neque is fuit impudentiæ finis: nam & *Deum* se a Constantino appellatum gloriatur, *can. 7. Dist.* 96. nec gloriatur tantum; sed revera ut Deus hominum conscientiis imperavit, ligandi & solvendi potestate sibi asserta; quam & greges monachorum mendicantium, queis thronus ille fulcitur, aliique fastus proxenetæ jugiter ipsi vindicarunt. *Papa est Deus in terris*, ait Baldus in *l. ult. C. Sent. resc. non posse.* Futilem hanc & thrasonicam arrogantiam alii quidem, Christi modestiæ & præceptorum memores, Cynico *Servi Servorum* titulo incrustare voluerunt: quem primus modestiæ causa assumsit Augustinus, Doctor Ecclesiæ maximus; sed quem etiam Gregorius Magnus Johanni Patriarchæ Constantinopolitano, œcumenicum se vocanti, opposuit; nimis superbum esse ratus, unum Ecclesiæ Episcopum esse ceteros quasi vicarios ejus censeri. Quin omnibus sanæ mentis risum jam diu debuit ille titulus, cum quilibet peponem pro corde non habens videat, hunc vitæ necisque æternæ arbitrum, Dei vice in terris fungi, *sicque revelatum esse hominem illum peccati, & filium perditionis: qui sese efferet supra id quod dicitur Deus, aut Numen: adeo ut in templo Dei, tanquam Deus sedeat, ostentans se, quasi Deus sit.* Pauli verba sunt II Thess. II. 3: licet Hugo Grotius ea ad Cajum Caligulam retulerit; qui teste Josepho, Philone ac Dione Cassio, Deum se credi, sibique supplicationes ac sacra fieri jussit. Quicquid ejus est, puto liquere, cur sæculo undecimo & sequentibus, vi pecuniarum & malis artibus, tot grassati fuerint ad illum Vicedeatum consequendum; prorsus ac Judæi antea sacerdotium summum a Præsidibus Romanis nundinabantur.

De Benedicto IX. A. 1033. ad Pontificatum evecto, Glaber Rodulphus æqualis scribit lib. IV. c. 5. *Universalis Papa Romanus, puer ferme decennis, intercedente thesaurorum pecunia, electus extitit a Romanis.* De Gregorio VI qui Benedictum excepit, idem narrat Victor III. in dialogis lib 3. & Angelus de Nuce ad Chron. Casin. n. 1146. De aliis id genus monstris alii: ut pateat, cur in concilio Lateranensi quod Romæ A. 1059. habitum, cavendum fuerit, *ne venalitatis morbus obrepat* in Pontificis Romani electione, *c.* 1. *dist.* 23. Et quam vere Bernardus lib. IV. de consid. ad Eugenium cap. I hosce mores atro carbone notarit: *Quem dabis mihi*, quærens, *de tota hac maxima Urbe, qui te in Papam receperit pretio, seu spe pretii non interveniente?*

§. IV.

Stetit & in maximos auctus diffusa est nimia ista Pontificum monarchia, donec Concilium Constantiense, divino prorsus consilio, jugulum Hildebrandismi petiit: & Reformatio deinde magnam ejus partem destructum ivit, cum indulgentiarum fumo. In Gallia omnis in clerum potestas ei erepta est, pragmatica sanctione, cujus formulam Ill. Leibnitio in mantissa Codicis diplomatici debemus. Nemo quoque, nisi in temporum historiis sit hospes, memorabilem ignorat Ludovici XII. nummum, cum elogio ex Esaiæ XIV. 22. desumto: *Perdam Babylonis nomen*, pro quo *Babillonis* legi contendit Harduinus Op. pag. 905. ab aliis jam reprehensus. Anglorum Rex Henricus VIII. idem qui, edito contra Lutherum libro, titulum Defensoris fidei a Leone X. meruerat, mox exclusa Papali potestate se ipsum Ecclesiæ illius regni principem constituit. Belgas Fœderatos cum jugo Hispanico auctoritatem Papalem excussisse, immo, jam ante Fœdus illud sacrum, omnia banna & evocationes Romanas ditionibus suis arcuisse, notius est, quam ut commemorari debeat. Franciscus de Salgado Hispanus, de non admittendis Papæ legibus sine Regum consensu, libellum scripsit; nec ulla lex Papalis in Hispania valet, nisi Rex

Rex subscripserit, *placere : pareatur*. Germaniæ denique Principes Protestantes, spoliis suis dudum repetitis, omne imperium sacrum, Pace Religiosa & Westphalcia firmatum tenent; atque apud Pontificios quoque Imperii Status dudum proverbio locus factus: *Bullam non transire Alpes*. Divina interim delictorum vindicta mentes multorum adhuc occupantur caligine vanitatis; quæ satis idonea est eos percellere, ad infimum servitutis gradum perferendum. Livius de Bacchanalibus loquens, nihil, monuit, in speciem fallacius esse, quam prava religio, quum Deorum numen prætenditur sceleribus: subit enim animos timor, ne fraudibus humanis vindicandis divini juris aliquid immixtum violetur. Post tantam enim jacturam duplici adhuc gladio Pontifex est armatus, altero spirituali excommunicationis, altero temporali, potentiæ propriæ & aliorum. Potentioribus blande palpum obtrudit; infirmiores ob remunerandi materiam habet ad nutum, adjutus ubique opera Cleri, tertiam Europæ partem possidentis. Non sine stupore legi potest Eugubinus de temporali Ecclesiæ monarchia & jurisdictione: *tot arces, castella, urbes munitas*; quin integros comitatus & ducatus, in nobilissimo orbis ocello, Papa possidet, omnium rerum bonarum proventu abundantes. Horum populus avare habetur, variisque tributis & spurcis vectigalibus emungitur: unde nullibi minor in Principem amor aut veneratio; & Petrus Pithœus suo tempore recte notavit: Italorum partem maximam Pontificem Romanum, non uti Deum aliquem, aut Dei Vicarium, ob fulmina illa, quibus jam pene totus inermis est; sed ut Principem viris, armis, urbibus, castellis, fœderibusque potentissimum revereri & observare. Notus Romæ est Nepotismus. Quum enim prisco instituto senes tantum eligantur Petri successores, nullumque electo competat, in designando successore arbitrium; unusquisque Paparum quo minus viæ superest, eo majus sibi suæque familiæ viaticum quærit. Omnium, quotquot hactenus numeramus, ducentorum septem & quadraginta

Antistitum ætas si evolvatur, non nisi octodecim reperiemus excessisse annos quindecim: ex iisque solum Silvestrum I. Hadrianum I. Alexandrum III. Urbanum VIII. & Clementem XI. annos viginti. Unus Benedictus XIII. annos quinque & viginti superavit, sed a plerisque ex albo Pontificum expunctus. Porro Fiscus Curiæ Romanæ, non unius Italiæ, sed Europæ universæ, propter Pallia, & mille dispensationum vel confirmationum formas, vorago & gurges insatiabilis est. Adeo ut Cinus Sigisbuldus ante annos quadringentos jam scripserit: *Curia Papæ summopere vellet, ut totus mundus in eam influeret: tanta est in ea argenti & auri sacra fames.* Non utriusque tantum Siciliæ, sed plerorumque Occidentis regnorum sese dominum directum jactare audet: postquam fabula donationis Constantini fundamenta jecit principatus sæcularis; quem Pipinus & Carolus M. inconsulta liberalitate sua auxerunt. Olim non erat sic! nec ab re quæsivit Guntherus noster lib. VI. 624.

Num Petrus? aut Clemens? num cetera turba priorum
Sceptra Latina dabat? Romanus, tempore prisco,
Pauper erat Præsul; Regali munere crevit.

§. V.

Longe autem major, immo sine exemplo est altera, quam venditat, Ecclesiastica majestas: quæ non in sacris modo, sed & profanis, dum vel oblique religionem contingunt, arrogantem illam Hierarchiam tuetur, divinæ institutionis prætextu. Isaacus Casaubonus in fragmento libri de libertate ecclesiastica, tria ejus præcipua notavit capita: Pontificis Romani supra omnes seculares dignitates imperium: Ecclesiasticorum ab omni potestate civili exemtionem: & Laicorum ad quodvis illorum obsequium subjectionem. Sic enim censent Romani, unius Reip. Christianæ Papam unum esse principem; a quo Reges, velut clientes, omnia sua precario possideant. Illi soli vicarium munus à Christo esse commissum, ut omnem Ecclesiam regat, ejusque bona, leges, ministros, Prælatos & Episcopos architectonice gubernet.

net. Unicum illum fidei δημιουργον, & falli nescium arbitrum esse, exorientium omnium controversiarum; qui quicquid ubivis jurium est, in scrinio pectoris habeat, & judicet omnia, etiam per saltum, mediis judicibus præteritis, ipse ανυπευθυνος και ανεκλογιστος à nemine judicetur *c. 7. X. de appellat. c. 1. de constit. in 6. c. solicitæ 6. X. & c. unam sanctam extrav. de majorit. & obed.* Gravi parrhesia hunc thrasonismum Cujacius aliique Pontificii castigarunt, & lepide Duarenus: *Gregorius*, inquit, *forte cum illa scribebat, multa bona jura habebat in scrinio pectoris sui, id est ventris sui, ut accidit bonis Patribus, cum bene pransi sunt. ad tit. C. ubi & apud quem cogn. rest. in int. pag.* 120 Hac tamen potestate fretus, exemplo gentilium Cybeles Sacerdotum, mercede meret religiones, & ex indulgentiarum umbra versute lucrum captat; quod ipse Lucianus in profanis risit, & Patrés Concilii Antiocheni, in Pauli Samosateni condemnatione, suis coloribus variegatum, & artifici penicillo expressum detestati sunt. Isto namque clavium Petri abusu, nox peccatis & fraudibus nubes objicitur; dum accepti sunt orantes: *pulchra Laverna! Da mihi fallere, da justum sanctumque videri.* Ex eadem auctoritate spirituali in reluctantes quosvis Imperatores, Reges, Principes, Respublicas & privatos diu vibravit fulmen excommunicationis Capitolinum, & capita hæreticorum diris devovit; haud dissimili pœnarum genere, quo Druidas Gallorum in illa cæcitatis nocte usos esse. scribit Cæsar de B. G. lib. VI. c. 13. Unde maximi Reges, tanti mali metu, stapedis lorum ei tenere, & religiosa ceremonia pedis osculo eum venerari maluerunt; quum ipse nulli horum assurgat, nulli mortalium reverentiam faciat, phrasi Ceremonialis Romani. Huc pertinet, quod Anastasius Bibliothecarius de vitis Pontificum passim gloriatur, & Carolus du Frene in notis ad Cinnamum pag 470. pluribus exemplis confirmat, non modo Angliæ, Galliæ & Longobardiæ Reges, Principesque Christianos; sed Imperatores Orientales & Occidentales ea religione in Romanam

Ecclesiam fuisse, ut Pontificibus venientibus pedites occurrerent, eos adorarent, & Stratorum munia adimplerent. Vere & ex temporum superstitione! Illud autem non fero, quod addit, Germanicæ stirpis Augustos non ex mera pietate, verum necessario munere, strepam tenuisse, quia clientum & vasallorum officium hoc fuerit peculiare. Rectius longe Joannes Cinnamus lib. v. c. 10 judicavit, sic adulterari Imperatoriam Majestatem, adeoque Papam alloquitur: *Quomodo o bone, & unde tibi in mentem venit Romanorum uti Imperatoribus equisonum & stratorum vice?* Haud minorem fastum pedis osculum sapit, Imperatoribus & Regibus, non permissum tantum, sed cum contemtu imperatum. Quanquam enim Erycius Puteanus Hist. Insub. lib. III. c. XI. silere jusserit linguas obstrepentium ceremoniæ priscæ, qua Magni Principes, Constantinus, Justinianus & Carolus sceptra sua humana divinis subjacere testati sint. Nimis tamen liquet, perinde esse socculum osculandum porrigere, ac calceum cum clavis in os impegisse. Quapropter longe prætulerim judicium hominis ethnici, de ludibrio naturæ, Cajo Caligula, quem antea diximus honores sibi divinos arrogasse; is enim quia sinistrum pedem Pompejo Pennæ, propter vitam datam, osculandum præbuerat, Seneca lib. II. de Ben. c. 12. ita scribit: *Qui excusant & negant id insolentiæ causa factum, ajunt socculum auratum, imo aureum, margaritis distinctum, ostendere eum voluisse. Ita prorsus: Quid hic contumeliosum est, si vir consularis aurum & margaritas osculatus est; & alioquin nullam partem in corpore ejus electurus, quam purius oscularetur? Homo natus in hoc, ut mores liberæ civitatis Persica servitute mutaret: parum judicavit, si Senator senex, summis usus honoribus in conspectu principum supplex sibi eo more jacuisset, quo victi hostes victoribus jacuere: invenit aliquid infra genua, quo libertatem detruderet. Non hoc est rempublicam calcare? & quidem dicet aliquis (nam potest ad rem pertinere) sinistro pede. Parum enim fœde furioseque insolens fuerat, qui de capite consularis viri soccatus*

tus audiebat, nisi in os Senatoris ingessisset Imperator epigros suos Verum ita est: nunquam in superbia magnæ fortunæ ibi consistunt exempla, ubi cœperunt; sed gradus à parvis ad majora fit; præsertim ubi præmiorum amplissimorum, divinarum atque humanarum rerum expectatio blanditur; quorum arbitrum & distributorem Pontifex se dudum esse affectavit. Non alio sane titulo Lusitani Indiam orientalem, aut novum orbem Hispani sibi solis vindicare conati sunt, quam donationis, a Nicolao V. & Alexandro VI. *de Apostolicæ potestatis plenitudine*, obtentæ, bullis illis enormibus apud Leibnitium Cod. jur. gent dipl. n. 165. & 203. quas vanitatis convicit Grotius de mari libero c. 6. & 10. Recte Guntherus lib. VI. Ligurini 340.

Ecce paterna fides, & magni Præsulis alma
Integritas, humilisque Petri vestigia sectans;
Jam non ferre crucem Domini, sed tradere regna
Gaudet, & Augustus mavult, quam Præsul haberi.

§. VI.

Ex quibus liquere arbitror, quantum intersit Regum universæ Europæ, Papam habere moderatum, & a rebus suis non alienum. Per istas enim, de amplissima illa spirituali & temporali dominatione, doctrinas Principibus Romanis, nihil amplius, quam obsequii gloria relinquitur. Nullius autem res magis in electione agitur, quam Imperatoris Romano-Germanici: sive terras ejus in Italia hereditarias, sive Imperii majestatem spectes. Unus est Papa, qui a temporibus Henrici II. fidelitatis jusjurandum, & promissionem obedientiæ ab Imperatore, tanquam vasallo suo, exigere ausus est. Bonifacius VIII. *Ego sum Cæsar & Pontifex* superbe dixit; Julius II Cæsaris & Imperatoris titulum affectavit; Cœlestinus III. coronam Imperialem ignominiosissime, non manuum, sed pedum opera imposuit Henrico, & pedibus iterum ab ejus vertice per ludibrium dejecit. Quod factum immane mirum est probari Baronio Cardinali ad A. MCXCI. immemori frigidæ rationis, qua antea in A. MCLXXVII. nara-

ratiunculam, de collo Friderici I. supplicis calcato, pro fabula habuerat; quod turgens fastu facinus á tanti Vicarii mansuetudine ipsi abhorrere videbatur: procul dubio & hanc rem tuiturus, si eam putasset gestam fuisse: quam puram putam calumniam esse, in odium Germanorum confictam, Reinesius ad Rupertum epist. 57. & Rupertus ad Besoldum c. 18 docuerunt. Illud constat inter omnes, neque Innocentium III. nec Adrianum IV. asserere veritos esse, nomen Imperatoris, & primum ejus inter Principes Christianos locum, Pontificiæ Sedi deberi: cui examen quoque electionis competat, & electi approbandi vel rejiciendi, approbati vero ungendi & coronandi facultas. *can. In nomine domini dist.* 23. *clem. Romani de Jurejurando c. Venerabilem* 34. X *de Electione*. Scilicet vitium, quod coalitis civitatibus familiare est, ut unius jura ad aliam trahantur, idem & regnum Teutonicum afflixit; partim astu Pontificum, partim imperitia juris publici, quod ante Reformationem nullum habuit lumen litterarum. Atque utinam Otho I. Imperium in Romam & regnum Italiæ cum Germania nunquam conjunxisset! Colore enim coronationis Romanæ in Cæsares Patronos, Papæ clientes sensim potestatem usurparunt; vulgique invaluit opinio, Augustos ad horum regiam, velut Imperii matrem, rationes suas potissimum referre debere. Inde axioma illud vulgatum, ad quod magna pars annalium Baronii refertur: à Pontifice Romano tam facile & institui & destitui posse Imperatorem, quam descendit imber, cum pluit. Et quis nescit hunc Servorum servum plus semel sibi facultatem sumsisse, Imperatores ex altissimo dignitatis gradu præcipitandi? id quod Henrici IV. Friderici II. & Ludovici Bavari exempla testantur. Immo sui juris esse deponere Imperatorem, & subditos absolvere à jurejurando, insinuat Innocentius *dicto cap.* 34. & alii in *can. nos sanctorum* 15. *qu.* 6 *cap. ad Apostolicæ de re jud. in* 6. idem profiteri non erubescunt. Nulli præterea incognita est arrogantia Clementis V. qui Imperii Vicariatum, tempore interregni, pu-

blica

blica constitutione sibi asserere non dubitavit, *Clem. Pastoralis* §. *fin. de re jud.* id quod etiam repetiit Johannes XXII. *Extravag. si fratrum. Ne sede vacante*, cujus patrocinium Hugo Grotius suscepit, tum quando exul apud Gallos fortunam novercam habebat; egregium vero, cum aliis Pontificiis parasitis, tulit præmium, ut *Grotianus fœtus de Jure Belli & Pacis* Romæ publico decreto indici expurgatorio insereretur. Quid? Carolus V. quum sceptra deponens Imperium resignarat in manus Electorum, a quibus acceperat, annon rem improbavit Paulus IV. quod sua auctoritas non intervenisset? cui, si Diis placet, claves cœlestis ac terreni Imperii creditæ sint, sine quibus nec Carolus legitime imperio solutus, nec Ferdinandus recte in imperium successerit, ut narrat Thuanus lib. XXI. pag. 628. Et neminem denique latet, diu hoc saxum volvisse Curiam Romanam, ut Electores sua duntaxat auctoritate instituerentur: quem in finem Bellarminus & Baronius fabulam sparserunt, quæ in communem abiit opinionem, Septemviros jus suum beneficio Gregorii V. vel Innocentii IV accepisse: quod figmentum *Johannes Stabius* primum detexit, & late Onuphrius de com. Imp. c. 6. refutavit. Quid multa? Nullum genus hominum à condito hoc universo extitit, quod Imperatoris Majestatem, & augusta Electorum Principumve jura contemserit superbius, & gravius afflixerit, quam Pontifex ille Romanus: potissimum quando Heroes illi jura sua in Italiam vindicarunt. Simon Schardius librum singularem, plenum animi, de perfidia ac tyrannide Pontificum Romanorum adversus Imperatores scripsit. Guicciardinus in comm. pol. adagium tritum refert: *Proprium Ecclesiæ esse, Cæsares timere & odisse.* Quibus invidiæ stimulis adversus Fridericum I. exarserit Hadrianus in Ligurino Guntherus memoravit lib. IX. v. 105. Fridericus II. apud Petrum de Vineis lib. 1. epist. 31. scribebat: *Revera Imperialis felicitas papali semper impugnatur invidia.* Sed maxime memorabilis est libellus Ulrici de Hutten, Equitis Franci, apud Goldastum & Cl. Burchardum

in ejus vita parte post. p. 134. quo longas Paparum injurias Carolo V in memoriam revocat, & in primis avi ejus Maximiliani I. querelam, dignam quæ ibidem ab omnibus Germanis legatur. Hæc itaque ac innumera alia majorum suorum fata edocti, Leopoldus & Josephus, gloriosissimæ memoriæ Imperatores, jura sua in ducatum Parmensem, Placentinum & Ferrariensem, aliasque territorii Italici partes, tum etiam jus primariarum precum adversus Clementem XI. ducto exercitu, asseruerunt. Horum quoque vestigia, gloriosa æmulatione, nuper premens Carolus VI. Augustus, Cardinalem Pauluccium ex ordine Candidatorum Pontificatus exclusum voluit. De voto & jure exclusivo in Conclavi, librum elegantissimum Gabriel a Darzo Hispanus scripsit; quia hæc semper Hispanorum arcana fuit ratio, ut non facile paterentur eligi Papam, a quo sibi metuendum esset propter regnum Neapolitanum. Nobis curæ erit ostendere, plus potuisse Imperatorem: saltem ipsum meliore jure, hunc é numero eligendorum exemisse, quam olim Galliæ & Hispaniarum Reges fucos à præsepibus arcuere.

§ VII.

Hæc neque extra oleas prorsus, præmittere visum fuit; partim ut de momento causæ constaret, partim etiam ut is, de cujus electione quærimus, per omnia cognosceretur. Nunc age fata electionis, per varia temporum intervalla, ab ovo repetamus. Fuit apud Athenienses singularis Magistratus & Sacrorum præfectos constituendi modus per χειροτονίαν; quando populus universus dextræ sublatione & acclamatione rectorem designabat, qui χειροτονητὸς dicebatur: qua de re Petitus de LL. Attic. pag. 196. 220. & Pfeiffer lib. II. Antiq. Græc. c. 5. fusius egerunt. Cicero Græcorum illa psephismata *porrigenda manu*, *profundendoque clamore multitudinis* facta ait pro Flacco c. VI. & apud Hesychium χειροτονία, ἐκλογὴ explicatur. Idem vero modus in Ecclesiam receptus videtur, Paulo & Barnaba, per singulas civitates, populi suffragio, ordinantibus presbyteros: χειροτονήσαντες αὐτοῖς

πρ[illegible]

πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν, Actor. XIV. 23. minimum illa Concilii Laodiceni verba can. 5. περὶ τοῦ, μὴ δεῖν τὰς χειροτονίας ἐπὶ παρουσίᾳ ἀκροωμένων γίνεσθαι. *Quod non oportet Electiones fieri in præsentia audientium*, eo referuntur apud Zonaram & Theodorum Balsamonem ad can. 1. pseudo Apost. Sed quia chirotoniæ vocabulum, pariter ac τὸ χειροτονεῖν & χειροτονεῖσθαι, jam Apostolorum ævo, à prima & propria notione deflexerat, ita ut interdum quamvis designationem, electionem & renunciationem; aliquando consecrationem, ordinationem & sacram inaugurationem significaret; idcirco V. Cl. Conradus Samuel Schurtzfleischius disp. 90. post Seldenum lib 1. de Synedriis c. 14. & Hammondum ad Nov. Test. χειροτονεῖν apud Lucam idem esse voluit, quod Titus ep. 1. v. 5. καθιστάναι vocat: χειροτονίας autem in canone laudato, secus quam Justellus, inaugurationes sacras interpretatur. Quicquid ejus est, si non sublatis palmis suffragia tulerunt primi Christiani, reipsa tamen civium vota, testimonia populorum & honoratorum arbitria in electionibus Episcoporum requirebantur; sola tantum plebis fæce exclusa, ut ex voce ὄχλοις *in can. XIII.* ejusdem concilii Laodiceni patet. Perinde enim ac Quirites Pontifices suos majores & minores in comitiis curiatis creabant, & decuriones ac sacerdotes municipiorum POSTULANTE POPULO, vel EX POSTULATIONE POPULI facti dicuntur apud Gruterum pag. 431. & 483. Sic quoque cœtibus fidelium in primitiva Ecclesia invitis non obtrudendus videbatur Episcopus, cujus nec amor, nec æstimatio: quandoquidem nil magis naturale est, quam ut *qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur*, ajebat Leo Magnus in epistolis. Certe populi consensus in Occidente, ad extremum usque sæculi duodecimi, in Episcoporum electione necessarius fuit; sic tamen ut populus subesset moderationi & regimini metropolitani; quemadmodum Athenis πρόεδροι popularibus suffragiis præerant, & per ἀνακρίσιν in Candidatorum mores inquirebatur, ut Pollux docere potest. Plebis autem suffragium non modo negati-

vum fuit, & in nuda comprobatione electionis jam factæ situm, ut quidam ex Cypriani verbis *præsente populo vel assistente plebe* collegerunt, sed excellentius & plenum, prout ex ejusdem Cypriani epistolis 24. 33. & 42. liquet, ac Cælestinus Papa epist. ad Episc. Narbon. prov. c. 5. non obscure innuit: *Nullus*, ait, *invitis detur Episcopus: Cleri, plebis & ordinis consensus requiratur:* idque variis argumentis Blondellus de jure plebis in regim. eccl. demonstravit. Apud ipsum Gratianum quædam moris ejus vestigia *can.* 5. *Dist.* 51. *can.* 13 *Dist.* 61. *cap. factus* 7. *qu.* 1. Nec aliunde, primis Ecclesiæ sæculis, enata fuerunt schismata inter Cornelium Pontificem & Novatum, inter Liberium & Felicem, Bonifacium inter & Eulalium, quam quia clerus & populus in diversa ibant, ut vidimus ex Ammiano Marcellino. Quinimo formulæ litterarum, quibus summi Pontificis confirmatio ab Exarchis Italiæ petebatur, sæculo VI. & sequentibus, satis loquuntur, populum non solius assensus, aut ferendi de probitate electi Papæ testimonii gratia, sed ut vere eum eligerent, convocatum esse: unde in libro illo diurno Pontificum Romanorum, quem Garnerius in lucem produxit, quemque Mabillon. p. 2. Musei Ital. supplevit, legitur: *Similiter totus Clerus, cum Optimatibus & Militibus seu civibus subscripserunt.* Isque mos usque ad sæculum decimum ac undecimum duravit: Agapeto enim A. 956. defuncto: *omnes Romani uno consensu unaque voluntate Clerici atque laici rogaverunt Imperatorem Othonem I., ut Sanctæ Matri Ecclesiæ dignum tribueret Pontificem & pium Rectorem. Factaque sic postulatione atque petitione, universus populus tale à Domino Imperatore accepit responsum: Eligite qui dignus sit, & ego libentissime eum vobis concedam. Statimque a cunctis tam Clericis quam Laicis electus & expetitus est Leo* &c. verba sunt Petri Bibliothecarii in vita Joh. XII. Similiter Gerardus Florentinus Episcopus A. 1059. consentientibus Optimatibus Romanorum, Senis electus, & adscito Nicolai II. nomine, *à Cle-*

ro

ro Romano & Populo Apostolica Sede inthronizatus est, auctore Petro Casinensi lib. III. Chronici cap 13.

§. VIII.

In universum triplex fuit forma electionis canonica, Gregorio etiam XV. in Ceremoniali conclavis Papalis probata: per *inspirationem*, per *compromissum*, & per *scrutinium*, *c.* 42. *X. de Elect.* Per *inspirationem* eligebatur, in quem omnes, nullo praecedente tractatu, quasi divino spiritu afflati consentiebant. Hic modus ortum duxit ex χειροτονία, quando non deliberatione longa, nec morosa suffragiorum trutina, sed impetu & velut manibus elatis, ut diximus, aut clamore subitaneo populus assensum testificabatur. *Cunctique profanas porrexere manus*, Claudianus cecinit; & Corrippus: *Emittunt pariter dextras, pariterque remittunt.* Talis fuit Fabiani electio, Ambrosii, Augustini, Hieronymi & aliorum. Talis etiam electio Episcopi Trajectini, Theodorici de Are, quem *tota Ecclesia divinitus inspirata, ex improviso, nemine petente vel promovente a.* 1201. *in episcopum elegit.* verba sunt Auctoris incerti à Cl. Matthaeo editi pag. 9. Vox populi Episcopum certum postulantis, aut Electum approbantis apud Graecos fuit ἄξιος, apud Latinos *Dignus est*, de qua formula elegans Eusebii locus est lib. VI. c. 29. & alius in vita S. Hilarii apud Henschenium, die V. Maji, ubi *Dignus Pontifex.* At vero quum vox populi vox Dei semper credebatur, inspiratio ejusmodi, magis aliquando conspiratio fuit, vel coecus vulgi impetus, arte oratoria concitatus. Et valde placet, quod Ulpianus Duumviri, vocibus popularium tantum postulati, creationem nullam esse pronunciat, si actus ex lege habitus non accessit *l.* 12. *D. de Appellat.* Interim rebus desperatis, clamor ita sublatus, nonnunquam incrementa cepit; eaque ratione Clemens I. & Leo XI. electi feruntur. Frequentior autem saeculo decimo sexto fuit, huic affinis per adorationem eligendi modus; cum duae partes Cardinalium, nullo facto scrutinio, aliquem ut Romanum pontificem adorarunt & salutarunt: qua via Clemens VII. Paulus III. Julius III. Mar-

cellus II. Pius IV. & V. apicem honoris adepti sunt, auctore Julio Lavoro de elect. c 9. & Pontifi a-um hoc p cto delatum, Paulo V. Lipsius gratulatur in Senecæ sui dedicatione. Per *compromissum* fit electio, quum uni, vel pluribus, non quidem laicis, Electionis arbitrium mandatur, cujus fines diligenter custodiri debent, *cap. cum dilectus X. de Elect.* In summa Cleri & plebis discordia hujus usum fuisse, docet concio habita a Sidonio Apollinare lib. VII. epist. 9. & consilium Gregorii M. lib. 2 ep 15. Etiam Clemente V. defuncto dissidentes Purpurati in Jacobum Cothurcum, Cardinalem Portuensem compromiserunt, ut Papam faceret, quem vellet, qui vero confestim dixit se ipsum; stupentibus tum quidem aliis, ait Nic Burgundus lib I. Hist Bav. sed ejusmodi electionem sui ipsius alii ex libero suffragii jure defendunt. male! *nec enim compromissarius ex sua sententia fieri potest*, in re simili scripsit Ulpianus *l.* 4. *D. de Tutor. & curat. dat.* Denique ordinarius & frequentior electionis modus est per *scrutinium*, quando assumti quidam de collegio fide digni palam vel tabellis in urnam, arculam vel calicem receptis, cunctorum suffragia exquirunt; κατὰ μίαν in re simili Polybius dixit. Simplicior autem, quam Barciconense concilium can. 3. præscripsit, per *sortem* eligendi ratio, reprobata & damnata est ab Honorio III. *c. f. X. de sortit.* id quod de calculorum vel tesserarum in urnam conjectarum sortitione nonnulli tantum admittunt; caulati, quod sortem consultatoriam, qua divinum inquiritur consilium, Dion Chrysostomus commendavit, oratione in Fortunam; Cyprianus *divinum judicium* appellavit epist. 40 & multo ante utrumque Salomo Proverb. XVIII. 18. Romæ virgines Vestales sorte capiebantur, Sueton. Aug. 31. & apud Virgilium II Æneid. 201. *Lacoon ductus Neptuno sorte sacerdos* memoratur. Sed constitutioni Honorii ansam præbuisse videntur gentilium leges apud Dionysium Halicarn. lib. 2. Et licet concursus providentiæ divinæ in sorte negari nequeat, pro certa tamen Dei revelatione, nobisque præ-

scripta

scripta agendi norma haberi nequit; quandoquidem κλῆρος in electione Matthiæ Dei voluntatem notat; pariter ac Apollinis oracula *sortes* dicuntur Maroni IV. Æneid 346. *Sorte & urna mores non discerni* Tacitus scribit IV. Hist. c. 7.

§. IX.

Jam vero eodem sæculo XI. quo supra vidimus Papalem majestatem firmatam esse, Cardinalium quoque dignitas majore loco esse cœpit, postquam Nicolaus II. A. 1059. in Synodo generali, ad schismata vitanda, primas iis partes in electione Pontificum dedit, nuda fere petitione Clero, & electi approbatione extra comitia, in Ecclesia vel atrio, populo relicta. Partem decreti servavit Gratianus *can.* 1. *Dist.* 23. & Floriacensis apud Baluz. IV. misc. pag. 62. integrum vero canoni 1. Concilii Romani dicto anno habiti, subjectum legi potest. Lux illi ex Petro Damiano coævo lib. 1. Epistola 20. quæ eo minus hic omittenda, quo distinctius Cadolao Pseudopapæ vera requisita vitiis creationis ejus opposita demonstrat: nimirum quod *electio illa per Episcoporum & Cardinalium fieri debeat principale judicium: secundo loco, jure præbeat Clerus assensum: tertio popularis favor attollat applausum: sicque suspendenda est causa, usque dum Regiæ Celsitudinis consulatur auctoritas nisi periculum fortassis immineat, quod tum quantocyus accelerare compellat.* Tria ergo hoc ævo præter suffragia Cardinalium, necessaria fuerunt; Imperatoris confirmatio; cleri assensus; & populi applausus: sed quæ mox ceu nimis molesta magis magisque aboleri cœperunt, aut certe statim in umbram juris pristini conversa sunt. Cardinalibus enim Episcopis & Presbyteris non poterat non fastidium parere, quod electio sua ab Imperatorum confirmatione penderet, quum tantum de sua dignitate detrahi existimarent, quantum Cæsari auctoritatis accedebat. Hinc Leo IX. ab Henrico III. constitutus, vix admissus fuit. Cardinalibus querentibus: *Imperatorem nullam creandi Pontificis potestatem a Deo habere, sed ad Clerum populumque Romanum id pertinere:* teste Platina in ejus vita. Jus vero Cle-

Cleri & populi tum nondum penitus extinctum fuit: nam sub Henrico IV. electi approbationem ad eos pertinuisse probat decretum de electo Gregorio VII. A. 1073. conceptum hoc modo: *Nos Sanctæ Romanæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, præsentibus venerabilibus Episcopis, Abbatibus, Clericis & Monachis consentientibus eligimus* &c. Immo post mortem Victoris III. 1087 Episcopi dispersi, rursum undique *coadunati, miserunt litteras Romanis Clericis & Laicis S. Petri fidelibus, ut quotquot ex iis possent prima hebdomada Quadragesimæ Terracinam venirent, quotquot vero non possent assensum suum in persona, quam ipsi concordi voto eligerent, propriis litteris repræsentarent.* verba sunt Chronici Casinensis lib. IV. c. 2. ubi Angeli de Nuce notæ addantur. Verumenimvero ne abactus Imperator ob populi tumultus revocandus esset, neve is ultro jura sua repeteret, sæculo sequente Innocentius II. populum Romanum ab approbatione Pontificis omnino exclusum voluit: sine cujus interventu Cælestinus II. A. 1143. a solis Clericis primus electus fuit, auctore Cæsare Raspono in descriptione basilicæ Lateranensis, & Onuphrio ad Platinæ Innoc. II. Et sane plebs Romana tot vitiis scatebat, ut non nisi ad comitia turbanda nata esse videretur, vereque de ea dici potuerit, quod Cicero de Quiritibus suis dixit, pro Plancio cap. IV. *Non enim comitiis judicat semper populus, sed movetur plerumque gratia: cedit precibus: facit eos, à quibus est maxime ambitus. Denique, si judicat, non delectu aliquo, aut sapientia ducitur ad judicandum, sed impetu nonnunquam, & quadam etiam temeritate. Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia: semperque sapientes ea, quæ populus fecisset, ferenda, non semper laudanda duxerunt.* Necdum vero populus tenax post Cælestinum II. prorsus excludi potuit; Eugenium enim III. *communi voto Cleri & Populi electum*, ait Otho Frisingensis lib. VII. Chron. c. 31. Donec tandem Alexander III. A. 1179. lata in concilio generali Lateranensi lege sancivit,

civit, ut, Clero etiam inconſulto, ſoli poſthac Cardinales, *duabus tertiis ſuffragiorum*, Papam crearent; teſte *cap. 6. X. de Electione:* atque ita a ſolis Cardinalibus Lucium III. primum Pontificem conſtitutum eſſe, Onuphrius Panvinius ad Alexandri vitam, ſibi ex Pontificis illius diplomate, apud ſe aſſervato, conſtare teſtatur.

§. X.

De Cardinalibus, eorumque origine & dignitate, omnia jam ex Onuphrii Panvinii, Ciacconii, Hieronymi Plauti, Antonii Auberii, Jureconſulti Pariſini, Hiſtoria Cardinalium, Gallico idiomate ſcripta, & Cl. Buddei ſchediaſmate Hiſtorico, de origine cardinalitiæ dignitatis in vulgus nota ſunt; ut Soli faces accenderem, ſi operoſa diligentia multa de his dicere inſtituerem, id quod & titulus hujus diſſertationis vetat. Illud autem obſervari non injucundum erit, decem prioribus, à Chriſto nato, ſæculis, fruſtra ejuſmodi ſplendidum Cardinalium ordinem quæri, qualem noſtra ætas veneratur. Suos olim presbyteros & diaconos habuit Eccleſia Romana, qui cum Epiſcopo rei eccleſiaſticæ præerant; at Cardinalium appellatio, nec Romanis propria erat, nec ſingularem prærogativam involvebat: quum Eccleſiæ Mediolanenſis, Compoſtellanæ & Gallicanarum eccleſiarum Cardinales memorentur, apud du Frenium in *Abbas*, *Epiſcopus*, & *Presbyter*. In ſingulis quippe Epiſcopalibus Eccleſiis Cardinales erant, ita dicti, quod cardine urbis adſtricti eſſent, ut ex can. 3. Synodi Romanæ ſub Sylveſtro I. docuit Mabillon ad tom. 1. Act. Bened. pag 437. Neque *enim* vox iſta hic tam eſt idem, quod principalis, in cardine conſtitutus; ut voluit Salmaſius de primatu Papæ cap. 1. & Exercit. Plin. fol. 882. ſed qui fixus & immobilis, cardinis inſtar, in quo janua movetur. Noti ſunt *cardines cœli*, & *venti cardinales*. Gregorius M. addictionem ad Eccleſiam paſſim *cardinationem* vel *incardinationem* vocat, nam canone 6. concilii Chalced. ſtatutum erat, ut ne Clerici, niſi ad certam Eccleſiam ordinarentur. Quamobrem jam

D ſæ-

sæculo IV. Sacerdotes *Cardinales* dici cœperunt, quasi Ecclesiæ quique suæ affixi, ordinarii, & incardinati: circa quos fideles unius tituli, templi & cœtus volvebantur, ut loquitur M. Ant. de Dominis lib. IV. de Rep. Eccl. c. 5. §. 5. Onuphrium & Baronium secutus. Horum titulorum ab initio non ita magnus Romæ erat numerus. Sylvester I. can. 6. refert septem tunc in Romana Ecclesia fuisse Presbyteros & Diaconos Cardinales: sed cum tempore creverunt ad octo & viginti, quibus septem ex vicinis civitatibus accesserunt Episcopi, & octodecim diaconi, qui numerum Cardinalium LIII. efficiebant. Sub Leone X. circiter LXV. numerabantur. Sixtus V. eos LXX. esse voluit ad numerum discipulorum Christi. Antiqua eorum est eminentia; ut qui Pontifici Summo sacra facienti, in Stationibus & Processionibus aderant, & ipsi Candidati erant Pontificatus: postquam a Stephano IV. in Concilio Romano constitutum fuit, ut ex his solis, qui per distinctos gradus ascendissent, ad illum sacerdotii apicem eveherentur, auctore Anastasio. Carolus Magnus lib. I. capit. 139. sancivit: *Diaconus in cardine constitutus in Urbe Roma*, *nisi* XXXVII. *testibus*, *non damnabitur*. Leo IV. P. P. eos *Presbyteros sui Cardinis* appellat in Synodo Rom. A. 853. Petrus Damiani lib. I. ep. 20. *oculos unius lapidis*, *lucernas unius candelabri* vocavit. Simulac vero Urbis Episcopus, secundum Dictatus Hildebrandinos, *Papæ* nomen per excellentiam sibi vindicavit, novus etiam *Cardinalium* ordo, supra omnes ecclesiasticos extulit caput. Tum enim & electio Pontificis illis solis attributa est, & sede vacante Soli Ecclesiam administrare cœperunt, ut ex Arnulpho apud Dacherium tomo 2. spicilegii c. 4. non obscure colligitur. Cum sacro hoc Cardinalium collegio Pontifex statum ex monarchia & oligarchia mixtum format; perinde ut in episcopatibus Canonici Cathedrales bonam regiminis partem habent, suorumque Episcoporum decreta probant ac subsignant. Unde Cardinales absolute *Fratres laterales* & *coadjutores* Pontificis dicti in *cap. excommunicatis de off.*

off. legat. cap. officii eod. tit. in 6. & pars corporis ejus, in quorum persona crimen majestatis committitur *c. felicis de pœn. in 6.* Galerum, seu pileum rubrum, Innocentius IV. iis tribuit, in concilio Lugdunensi A. 1244. forsan imitatione Romæ gentilis, cujus sacerdotes Jovis, seu Flamines Diales albo galero utebantur, auctore Festo aliisque. Bonifacius VIII. vestes purpureas iis dedit, regii decoris insigne. Ante Urbanum VIII. titulo in Italia satis vulgari, Illustrissimi dicebantur, is vero A. 1630. *Eminentiæ* & *Eminentissimi* titulo eos ornatum ivit. Leo X. in concilio Lateranensi eos dignitate & honore reliquos omnes antecellere asseruit; qua de re tamen ante querelæ motæ: *Quod in curia Romana Regi Hungariæ, cui inter Reges quartus est locus, sit locus intra ultimos Cardinales datus, & ipsi Electores nequaquam inter Cardinales recepti*, apud Raynald. Annal. Eccls. ad A. 1455. pag. 426. Nec tum ergo, nec postea Cardinalibus Electores loco cesserunt. Vid. Sleidani lib. VII. Freinshemii Diatribas de Electorum & Cardinal. præced. & Leti Ceremon. Polit. tom. 4.

§. XI.

Quanquam vero eligendi arbitrium ad Cardinales solos esset delatum, ne sic tamen omni ex parte consultum fuit electioni. Conclavi opus erat, quod Viterbii A. 1270. initium sumsit, ex quo cives loci, suasu S. Bonaventuræ, Cardinales ibi moram trahentes, Palatio Pontificio incluserunt. Clemente enim IV. Viterbii defuncto, unusquisque Cardinalium, qui tum præsentes erant, numero octodecim, ad Pontificatum adspirabat, adeo ut pertinaciæ dissidiis electio prope in triennium protraheretur. Lepide tum Joannes Zranciogia, Cardinalis Episcopus Portuensis, videns fratres discordes continuo Spiritum S. invocare, dixit: *Domini, discoo periamus tectum cameræ hujus, quia Spiritus S. nequit ad nos per tecta ingredi*; quod Onuphrius ad Plat. Gregor. X. & Papyrius Massonus retulerunt. Petrus autem Correttinus addit, Viterbienses, jussu Raynerii Gatti, primarii Urbis

D 2 &

& conclavis custodis, tectum Palatio revera exemisse, ut incommodo ac tædio affecti electionem maturarent Cardinales, qui sedecim menses in eo confecerant. Tandem per viam compromissi, in sex Cardinales facti, Gregorius X. renunciatus est; idem, qui schismatis hujusmodi in posterum vitandi causa, in Concilio Lugdunensi generali, A. 1273. formam Conclavis instituit, omnemque in eo servandum ritum præscripsit, insigni sanctione, quæ *cap.* 3. *de Elect. in* 6. tota reperitur. Diserte in ea cautum, Cardinales absentes decem tantum dierum spatio expectandos esse; de loco item & clausura conclavis; de interdicta quacunque sive per literas, sive per internuncios communicatione; de omnimoda pactionum & pollicitationum diremtione diligenter cautum, quæ & alia ex canone 1. laudati Concilii desumta, in illo capitulo legi merentur. Gregorii autem post Innocentium V. successor Adrianus V. & Joannes XXI. constitutionem istam, ambitiosis æque ac avaris molestam, iterum abrogarunt, auctore Martino Polono: adeo ut tunc sex ordine Pontifices, extra conclave sint creati, usque ad Benedictum XI. in cujus electione, lex illa a Cœlestino V. renovata & a Bonifacio VIII. confirmata demum observari cœpit. Deinde cum quorundam irrepserat opinio, decretum istud Gregorii, vacante Sede, per cœtum Cardinalium corrigi vel immutari posse: Clemens V. eam in concilio Viennensi damnavit, & alia constitutioni adjecit; inter quæ illud speciale, quod Cardinales excommunicati, suspensi vel interdicti non repelluntur ab electione, ut omnis occasio discordiæ tolleretur, *clem. ne Romani* 2. §. 4. *de Electione.* Alia porro non magni momenti, de cibo & potu, post triduum in Conclavi exactum, constituit Clemens VI. apud Baluz. vit. Pap. pag. 261. cujus vana imitatione, Carolus IV. Electores post diem trigesimum, sine Imperatoris electione præterlapsum, pane & aqua nutriri voluit in Aurea Bulla tit. 2 n. 5. De novis Cardinalibus, qui titulo destituti, dubitatum fuit, an vocem in electione haberent. Post obitum
Eu-

Eugenii XI. Androinus de Recha admissus est; sed postea Dominico Cupranicæ facultas negata est intrandi Conclave, in quo Eugenius IV. electus est, apud Baluz. lib III. Miscell. pag. 272. immo Eugenius in eum paulo commotior, sanctione edita promulgavit, eos tantum Cardinalatus jure potituros, qui præsentes pileum rubeum, titulum, annulumque a Pontifice receperint, vel ad quos absentes Pontifex galerum rubeum miserit: neque in renuntiando novo Pontifice, ceterisve rebus suffragia laturos, nisi postquam in consistorio promendæ suæ sententiæ acceperint potestatem. Vid. Baluz. Vit. Pap. t. I. pag. 981. Deinde tot legibus aliis super alias coacervatis A. 1562. accessit Bulla Pii Papæ IV. quæ in Conclavibus legis absolutissimæ vim habuit; donec Gregorius XV. A. 1621. rem omnem absolvit, edito Ceremoniali, quo solennia electionis & schedularum exempla in posterum adhibenda plenissime præscripsit. Sed ejus quidem externa satis exacte observantur, cetera ad leges sine moribus dudum pertinuere.

§. XII.

Non equidem inficior, multa harum electionum Conclavia exquisitioris prudentiæ civilis exempla esse; in multis divinam providentiam manibus palpari posse, dum optime cogitata, ad omnium stuporem sæpius pessime ceciderunt, & Romæ tritum in ore vulgi proverbium enatum: Illum de Conclavi Cardinalem egredi, qui Papa ingreditur. Quantum etiam satis est, animis Cardinalium religionem injicere potest jusjurandum his verbis conceptum: *Testor Christum Dominum, qui me judicaturus est, eligere, quem secundum Deum judico eligere debere, & quod idem in accessu præstabo.* At vero quoniam ad illud culmen tot tendunt potentes, res sine ambitu & dissidiis vix transigi potest; nec fidem habuerim Scipioni Amirato, nisi melioribus pignoribus allatis, quam istis, quibus omni ævo divinum id opus fuisse probare voluit, in dissert. polit. l. 3. c. 1. Suaviter sane ridiculus fuit Petrus Matthæi, Jurisconsultus Lugdunensis, & septimi decretalium

 libri

libri compilator, qui l. 7. decret. tit. 3. c. 3. in notis, scribere non dubitavit: *Tanta integritate inauguratio Pontificis peragitur, ut nihil sanctius, nihil incorruptius judicetur. Quamobrem leges in Comitiis Conclavis observantur pro electione Papæ religiosissime: observatur & fides, ut elucescat omnibus, quam longe absit à fuco & ambitu tum simoniaca ambitione.* Vel sola enim legum, toties repetitarum & flexarum multitudo, vitia circa electionem arguit; cum perpetuum sit illud Platonis: legum multitudinem morum corruptelam comitari, ut egregie Hermannus Conringius in procemio Electionis Urbani observavit. Immo quemadmodum ethnicos sacerdotiorum Candidatos pungit Seneca lib. VII. de benef. c. 28. quod data pecunia populi suffragia coëmebant; sic tantum abest, ut hodie Simoniacus ambitus Romæ ignoretur, ut non alibi lues ista sæviat atrocius. Æneas Sylvius, qui & ipse postea Pontifex creatus, epist. 56. *Nihil est*, inquit, *quod absque argento Romana curia dedat. Ipsa manuum impositio & Spiritus Sancti dona venduntur, nec peccatorum venia, nisi nummatis impenditur.* Eadem de re Baptista Mantuanus, raræ eruditionis vir, conquestus est, in decantato illo:

----- ----- *Venalia Romæ*
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignis, thura, preces, cælum est venale, Deusque.

Magis ad rem præsentem faciunt, quæ supra dicta sunt §. 3. & maxime *venalitatis ille morbus*, cui occurrendum fuit constitutione singulari, quæ *can.* 1. *dist.* 23. reperitur. Blasius Ourzius in Itinerario Alexandri VI. apud Baluz. lib. 3. miscell. pag. 443. *Quæ*, inquit, *compositiones & conventiones, si fas est foras effutire, diebus conclavis inter reverendissimos Cardinales, eorumque confœderatos ultro citroque factæ fuerint, aliis scriptoribus relinquamus, qui verius gesta secretiora intellexerunt. Sat sit nobis tot sine controversia dies elabi non potuisse.* Rursus quæ fides in Conclavi obtineat, ex iis patet, quæ Thuanus lib. 100. notavit, in Conclavi Gregorii XIV. ita Cardinales sibi mutuo verba dedisse; *ut ex ea occa-*

casione verba Conclavis, quasi sceleſtæ fidei plena, in proverbium abierint. Legantur modo Conclavia recentiora, & patebit electionem Paparum iiſdem adhuc vitiis laborare, quibus olim: vitia erunt, donec homines. Levinus Nicolaus Moltkius, Eques generoſiſſimus, Alexandri VII. conclave cum præfatione in lucem emiſit, Sleswici A. 1656. Urbani VIII. & Innocentii X. Conclavia, cum erudito proœmio edidit Conringius. Urbani VI. Nicolai V. Calliſti III. acta electionis, cum hiſtoria Conclavium Julii II. Leonis X. & Adriani VI. exhibuit Cl. Papebrochius in propylæo ad Acta Sanctorum Maji, in conatu Chronico-hiſtorico ad catal. Pontif. part. 2. ubi pagina 156. laudat collectionem manuſcriptam pretioſiſſimam, in bibliotheca Laurentii van der Hem, Juriſconſulti Amſtelodamenſis, tum temporis, id eſt A. 1685. ſervatam; cujus tomus primus varia ſcripta de ratione, praxi myſteriiſque Conclavium Italico ſermone complexus; reliqui autem quatuor tomi hiſtorias Conclavium a Clemente VI. ad Clementem VIII. partim Latinas, partim Italicas exhibuerunt. Num Lugdunenſes Gallici *Conclavium* quatuor ſæculorum collectores eo theſauro adjuti ſint, non temere dixerim. Utiliſſima autem eſt collectio Conclavium fere omnium, a Clemente V. ad Clementem XI. quæ in plurium manibus verſatur. Ex Latino vel Italico ſermone in Gallicum tranſlata ſunt omnia, nec Coloniæ, ut titulus præfert, ſed hic loci typis expreſſa A. 1694. & iterum iterumque repetita & aucta, auſpice, ut accepi, Henrico L. B. ab Huyſſen, Ruſſorum Cæſari a conſiliis intimis, Viro Clariſſimo. In nupero Innocentii XIII. Conclavi quid actum ſit, ætas docebit. Vereor ne illis, qui prorſus ſuperſtitioni non ſunt immerſi, ſcrupulum injiciat nummus Paſquini, in cujus altera parte Roma, in altera Spiritus Sanctus, ſub figura columbæ, expreſſus cum elogio:

Omnia venduntur Romæ, imo Dogmata Chriſti:
Et ne me vendant, evolo; Roma vale.

§. XIII.

§. XIII.

Nunc expectabunt forsan nonnulli, ut, quo ritu electus ad pontificatum acceptandum invitetur, suscipiens populo per formulam *Annuncio vobis gaudium magnum* &c. promulgetur, idem deinde a Cardinalibus prima, secunda & tertia vice adoretur, porro a Legatis, Principibus omnique populo in Ecclesia Petri, super altari Apostolorum, adorandus exponatur, & tandem conclave disjiciatur, exponam: sed avidos ejus rei Lectores ad ipsum Ceremoniale Romanum, & Bonacinæ, Wagenseilii & Mayeri de Pontificis Romani electione dissertationes remitto, quibus hasce minutias, nihil in recessu habentes, professa opera sibi excutiendas sumserunt. De nominis mutatione tantum pauca adjicere lubet, cujus originem Platina a Sergio II. repetiit, qui *Os porci* antea dicebatur. Albertus, Abbas Stadensis Sergii II. decessori Gregorio IV. nominis illius deformitatem tribuit; Baronius moris initia a Sergio III derivat, qui reverentiæ causa abstinuerit a proprio Petri nomine. Ditmarus lib. VI. Sergio IV. id cognominis adscripsit: *Sergius qui vocabatur Bucca porci*, apud Leibnitz tom I. script. Br pag. 399. Alii vero ad Simonem ascendunt, cujus nomen ipse Christus mutavit: alii gentilium ἀπόθεωσιν in ea latere suspiciati sunt, quorum multa retinuerunt. Platinæ adstipulantur plerique, ut auctor Magn. Chron. Belg. pag. 19. Joh. à Leidis lib. V. Hist. c. 23. & Godefridus Viterbiensis *Sergius*, inquit, *Papa fuit primus, qui nomen suum mutavit, & sequentes omnes idem fecerunt.* Verum Sergius II patre Sergio Romano natus, ante Papatum jam ita dictus fuit, & fœdum tantum cognomen, postquam Papa factus, abjecit. Primus fuit Octavianus, sæculo X. qui nomen Johannis XII. assumsit, centum & quod excurrit, post Sergium illum, annis elapsis, ut Onuphrius observavit. Nec tamen illius exemplum secuti sunt successores omnes, nec hodie mutant inviti. Nostras ille Adrianus VI. Pontifex candidissimus, & Marcellus II. quod habebant, nomen retinuerunt. Dormi-

mitavit certe Baronius a Sergio III. consuetudinem illam nominis mutandi repetens; siquidem non illi, sed Sergio IV. Petri nomen fuit; neque hic, sed Johannes XIV. primus extitit, cui Petri nomen in baptismate obtigerat: qui vero Petri successor renunciatus, præ reverentia erga Apostolorum principem, nomen mutavit; ut Papebrochius ad ejus vitam pag. 168. ostendit; cui Antonius Matthæus in notis ad veterem Johannis de Beka interpretem tom v. Anal. pag. 471. jungatur. De sede Stercoraria, cui Pontifex in possessionem Basilicæ Lateranensis mittendus, olim imponebatur, multa hic dicere, nihil attinet; quia fabula de Johanna Papissa, ipsis ejus auctoribus displicuit, & nunc a plurimis ridetur: postquam Lambecius lib. 11. Bibliothecæ Cæsareæ c. 8. testatus est, in quatuor codicibus manuscriptis Martini Poloni, ejus rei nec mentionem extare, nec unquam extitisse. Blondellus item, ex temporum ratione docuit, Papissam illam locum suum tueri non posse; & Sarravius denique Anastasii Bibliothecarii locum ὑποβολιμαῖον esse evicit, epist. 140. Byzantii, fateor, ejusmodi quid contingere potuisse, ubi Eunuchi sæpe Episcopi facti sunt: at vix credibile est, ut mulier, quæ nullum ordinem Romæ recipere poterat, summus Sacerdos & Pontifex fuerit creata. Nec Leo IX. forsitan epist. 1. c. 23. feminæ Constantinopoli electæ fecisset mentionem, si idem vitium Sedi Romanæ objici posse novisset. Genuinam sedis hujus marmoreæ non pertusæ originem & usum, Joanna antiquiorem; ostendit Mabillonius tom. 1. Musei Italici p. 1 pag. 59 dum enim Pontifex in porticu Basilicæ eam occupabat ex Psalmo canebatur: *Suscitat ex pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat.*

§. XIV.

Nunc de consecratione quoque Pontificis addere juvabit, eam jam diu, licet non tanto semper apparatu, peractam fuisse; ut minime mos ille pro recente habendus sit. Duplex autem coronatio est; alia in Vaticana S. Petri, alia in Basi-

lica Lateranensi, quæ proprie inthronisatio appellatur; etsi idem ordo non perpetuo fuerit servatus, & inthronisatio aliquando præcesserit consecrationi, ut in Benedicto III. aliisque. Ita Wibertus, oculatus testis, in vita Leonis IX. a Sirmondo & Henschenio publicata lib. II. cap. 2. *Divina favente gratia a cunctis applaudentibus consecratur*, *ac dominica quadragesimalis initii*, *pridie Idus Februarii*, *Apostolicæ Cathedræ inthronizatur.* Sic etiam impostor ille antiquus, qui Constantini donationis tabulas confinxit, ad sua tempora respiciens: *Decrevimus*, ait, *ut ipse* (Sylvester) *& successores ejus diademate*, *videlicet corona*, *quam ex capite nostro illi concessimus*, *ex auro purissimo & gemmis pretiosis*; *uti debeant*, *& in capite*, *ad laudem Dei*, *pro honore Beati Petri gestare*, apud Ivonem Carnotensem & Gratianum *can.* 14. §. 5. *Dist.* 96. Quinam consecrationis, ante sæculum XI. proprii fuerint ritus, Mabillon optime ex Anastasio, tum ex Actis Vaticanis & Ordinibus Romanis explicavit, in commentario ad Ordinem Romanum §. 18. nempe ipsa consecratio Pontificis ad Petrum; impositio ejusdem in Sedem Petri; oblatio sacrificii per novum Pontificem; mitra pretiosa, pallium, chirothecæ, & annulus Pontificalis: dein processus ad Lateranum, convivium, & munera in Senatum populumque erogata. Add. Pagius in Crit. ad A. 686. n. 5. ad A. 1049. n. 6. & junior Franciscus Pagius in præfat. breviarii Pontif. Rom. §. 7. seqq. Hodiernæ inaugurationis solennia fuse descripta extant in Ceremoniali Romano, & si quis ea multipliciter aucta nosse cupit, cum non pœnitebit adiisse ad doctissima commentaria Danielis Papebrochii, in Jacobi Cardinalis de coronatione Bonifacii VIII. ligatam orationem conscripta, die XIX. Maji. Act. Sanctorum. Ibi ritus notabiliores occurrunt, impositio triplicis coronæ, porrectio clavium, accensio fasciculi stupæ, levatio, sparsio nummorum cupreorum, quæque id genus sunt alia, in quorum rationes mysticas Thuldenus de inauguratione Alexandri VII. & Banckius in Roma triumphante, seu Innocentii X. coronatione, inquisiverunt.

Tæ-

Tædet omnem pompam persequi, quæ jam olim, cum ad istum vanitatis gradum nondum evecta, Petro Damiano non ridenda, sed gemenda videbatur. Priscis vero Pontificibus in usu fuit mitra oblonga in acumen desinens, instar saccarei panis; qualem exhibet effigies Joannis apud Ughellum Ital. sacr. tom. v. col. 1542. Et nisi me omnia fallunt, ejus usus a pileo sacerdotali gentilium Romanorum desumtus videtur, qui in coni formam coibat, ut Rubenius docuit lib. 11. Elect. c. 25. Inde apex pro Episcopatu apud Sidonium. Hormisdas datum sibi non a Clodovæo, quæ vulgaris sententia est, a Papebrochio rejecta, sed a Clodovæi filio *regnum*, seu coronam auream cum gemmis mitræ circumdedit; forsan imitatione summi Pontificis Ebræorum, qui præter cidarim mitram gerebat, Exod. xxviii. v. 4 unde μιτρηφόρος Plutarcho dictus in problem. conviv. Bonifacius *VIII.* coronam duplicavit, utrumque imperium sæculare & Ecclesiasticum indicaturus: Joannes autem xxii. triplicatam coronam *Triregno*, fecit, ut summa quoque Imperialis dignitas significaretur. Vide Raynaudum de corona & mitra triplici Papæ tomo x. operum; Mabillon præfat. ad tom. vi. Act. Bened. & Papebrochium in conatu chron. ad catal. Pontif. pag. 208. Quod ad Pallium Pontificis rubeum attinet, singulare est, quod non ab illo, a quo consecratur, sed ab Archidiacono, velut ministri vice fungente, id accipiat, & ipse quasi in se transferat, ne superiorem habere videatur. Ceremoniale Romanum lib. 1. sect. 2. *Cum duæ partes in electione concordabant, Priorem Diaconorum consuevisse induere Electum mantum Papale, dicendo: Ego investio te de Papatu, ut præsis Urbi & Orbi.* A manto *immantare* & *ammantare* proprie de summis Pontificibus dici, du Frene ostendit. Nescio autem, an stuppæ accensæ ab aliis observata sit elegans Petri Damiani explicatio, qui lib. 1. ep. 17. in coronatione Imperatoris Græci eandem adhibitam esse refert: *quatenus dum se simul ac sua tam vana, tam flocci pendenda considerat, de culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat: &*

 dum

dum possessor atque possessio subjacere communi omnium casui non ambigitur, jam quasi de singulari dignitatis apice, qui ad summa provectus est, non infletur. Pulchrum ergo mundanæ conditionis ordinem homo consideret, & dum suis usibus omnia cernit tribui, non sibi, sed suo referat gratias Conditori. & quæ sequuntur.

CAPUT II.

DE

JURE IMPERATORIS CIRCA ELECTIONEM PONT. ROM.

§. I. *Dissensiones crebræ & interpontificia Imperatores provocarunt, ut electioni partes suas interponerent.* II. *Sed Regii consensus verum fundamentum ex jure circa sacra declaratur.* III. *Confirmatio Pontificum necessaria; quia Imperatores Ecclesiam Romanam dotarunt, ejusque sunt Advocati.* IV. *In Oriente Patriarchæ electi & remoti ad Imperatorum nutum.* V. *In Occidente confirmatio novelli Papæ primum a Cæsaribus, deinde a Regibus Herulorum & Gothorum data pecunia fuit redimenda.* VI. *Quanta hac in re Exarchi Ravennatensis, sæculo sexto & septimo, fuerit auctoritas, excutitur.* VII. *Carolus M. jus ordinandi Sedem Romanam adeptus ex pacto, quia illius Ecclesiæ Advocatus,* VIII. *tum quia Patricius Romanorum, jurisdictionem in Urbem, & defensionem Ecclesiæ per Vexillum accepit;* IX. *denique quia Imperator factus, Imperium in Urbem, & quævis ecclesiastica obtinuit.* X. *Fata hujus juris sub Ludovico Pio & Lothario;* XI. *diversa sub Ludovico II. Carolo Calvo & Crasso.* XII. *Othoni I. eadem, quæ Carolo M. facultas jurejurando firmata.* XIII. *Ejus successores omnes ea gavisi, usque ad Henricum IV. qui tenaciter ipse retinuit.* XIV. *Hildebrandus frivolis rationibus Imperatores excludere est conatus.* XV. *Hi usque ad Ludovicum Bavarum jura sua strenue vindicarunt.* XVI. *Nec confirmationis necessitas ex hoc tempore per præscriptionem sublata esse videtur,* XVII. *sed durare ex pacto jurato, tituloque Advocati jugiter servato.*

§. I.

§. I.

EX his quæ superiore capite demonstravimus, inde ab initio Ecclesiæ usque ad sæculum XII. Clerum Populumque Romanum Episcopos suos elegisse, non parum lucis quæstioni principali, ad quam nunc pergimus, affusum iri opinor: quum sic vel sola eminentis dignitatis, imperii & utilitatis ratio poposcerit, Imperatoris, maxime Christiani, adhiberi consensum; cujus majestas ad frenandam populi inconsulti libidinem plurimum valebat. Quemadmodum enim in aliis rebus facile est, non omnes consentire, ita hic facillimum erat dissentire non unius animi, studii & nationis homines, quos diversus & multiplex spiritus in varias sententias agebat. Adhæc rara est electio, quæ sine privato affectu & corruptela fiat: ista autem pluribus malis fuit obnoxia, quo magis Candidati per ambitum ad illum rerum divinarum & humanarum apicem grassabantur. Inde toties populus, in studia contraria divisus, plures uno tempore Pontifices elegit, & hi quoque cum probro Sedis Romanæ, armis tales se esse voluerunt. Ipsum Conclave tot legibus acervatis sepiri non potuit, quin Cardinales Joannem XXIII. Romæ, Gregorium XII. Arimini, Benedictum XIII. in Hispania eligerent. Quod si his addamus incommoda Sedis diu vacantis, in tanto discrimine Urbem sæpe positam fuisse deprehendemus, ut funus & cadaver ex anarchia ei imminere videretur, quando Imperatorum auctoritas tepuit aut refriguit. Exemplorum plena est historia, eligentium dissidiis per annos & menses sedem sæpe desertam fuisse. Mortuo Nicolao I. Platina ait, esse qui scribant, per annos octo, menses septem, dies novem eam vacasse: utique post Gregorii VII. & Cœlestini IV. obitum amplius annum, navis illa sine gubernatore jactata est; post obitum vero Nicolai IV. Urbani IV. & Clementis V. ultra biennium Sedes rectore, & Roma principe destituta fuit.

Jam vero tralatitium est, ferocissimos quosque civium Romanorum plus semel, Pontifice mortuo, carceres effregisse, custodes necasse, omnia divina humana miscuisse; quia initiati Papæ omnia omnibus ignoscebant. Unde Bodinus lib. VI. de Rep. c. 5. observavit, ultiones & parricidia in occasum Pontificis maximi differri solere, duosque famosos latrones hac causa, non nisi post centum & sedecim parricidia, pœnas dedisse. Ne ergo publicæ quieti clades inferretur, finem tot malorum facere debuerunt Imperatores, tanquam custodes & vindices εὐταξίας & legitimarum omnium ordinationum. Et cur passi fuissent, ad arma & rixas pervenire eligentes, quos sua majestate componere poterant? Non tamen assentior Pagiis eruditis, Antonio in crit. ad A. 419. n. 1. vel Francisco in præfat. breviarii §. 6. qui ex dissidiis illis, & contentionum vitandarum prætextu, unice factum putant, ut Honorius primum, deinde Italiæ Reges, post Exarchi & Imperatores sese immiscuerint electioni: dolentque id malum, a parvis initiis profectum, in grande Romanæ Ecclesiæ dedecus degenerasse. Nec magis illorum castra sequar, qui cum Petro de Marca lib. VIII. c. 2. Jano a Costa, Innocentio Cironio, aliisque ad Decret. tit. de Elect. jus Regiæ vel Imperatoriæ confirmationis, ex populi consensu, olim in electione necessario, derivatum esse tradiderunt. Quanquam enim ad exemplum legis regiæ hic provocetur, quæ Principi non modo bonorum, sed corporum quoque & suffragiorum potestatem dedit; tum quando non aliud discordantis Romæ remedium erat, quam ut ab uno regeretur; inspectio tamen & βεβαίωσις illa simul, per aliquot sæcula, cum populi suffragiis stetit, & nititur augustiore Majestatis jure, quo Imperatores circa sacra, iisque præpositos Episcopos, summos & imos gavisi fuerunt, ex dictamine rectæ rationis, & Apostolorum doctrina Rom. XIII. v. 1. 1. Petr. II. v. 13.

§. II.

Enimvero ita proprium est Principis, curare sacra, & regere

gere electiones sacerdotum, ut plerique veterum duo munera habuerint conjuncta, Sacerdotium, inquam, & Regnum; quorum curatio tam arcto nexu cohæret, ut divelli nequeant, nisi monstrum reipublicæ in republica statuere velimus. De Ægyptiorum & Persarum Regibus certum est, sacerdotum principes egisse; quin ipsos barbaros Reges, diu lateque, & duces belli, & dominos ceremoniarum fuisse, Diotogenes Pythagoricus apud Stobæum de Regno, Plato in Politico, & Aristoteles III. Polit. xi. testantur. Apud Ebræos nunquam non a Regis & Synedrii arbitrio Sacerdotes pependerunt; Rex enim horum exemplo unctus, sedem & jus loquendi in sanctuario, inspectionem in sacra, jus etiam eligendi & destituendi Pontificis Maximi habuit, quod vel ex unius Salomonis historia constat. Apud priscos item Romanos, qui summus Pontificum, etiam summus hominum fuit: sed quia multiplices illæ curæ nimis Reges distringebant, Rex sacrificulus, dicis causa, est institutus, non multum dissimilis ei, qui in mimo celebratur. Verum Augustus Pontificatum Maximum Imperio iterum junxit, *quo religiones* & sacerdotes in sua haberet potestate; & secuti principes, non gentiles tantum ab Augusto ad Gallienum, sed Christiani quoque id nominis gesserunt; quo in comitiis, in Senatu, domi militiæque summo religionis jure, velut freno, contumaces coercere possent, ut præter Zosimum l. iv. c. 36. tradit Ausonius in panegyr. Gratiani c. 15. & 18. Servius ad Virgil. viii. Æneid. 80. & priscæ veræque inscriptiones apud Gruterum p. 159. n. 7. 1032. n. 13. Dissentienti Jacobo Gothofredo Ill Spanhemius de usu & præst. diss. xii. n. 4. & Joh. Andreas Bosius diss. de Pontificatu Rom. satisfecerunt. Nec audiendus est Baronius, qui Principes eum titulum adsciviſſe, ait, permissu Pontificis Romani, & in hujus gratiam eodem abstinuisse putat: Gratiani enim temporibus, ea Episcopi Romani nondum erat auctoritas, ut dignitatum arbiter esset, recteque Justinianus Nov. vi. Sacerdotium & Regnum ab eodem principio manare

nare

nare dixit. Ipse etiam Baronius suos Annales tom. 3. A. 312. n. 93. & seqq. & notas ad martyrologium die XXII. Aug. quodammodo correxit, veritatis amore. Licet vero postea cum Senatus majori ex parte Christianus esset, Imperatores desierint Pontificatus titulum & stolam sumere, nihilominus tamen potestas eorum ad munera Ecclesiastica, & Romani Pontificis electionem extensa mansit. Huc pertinent leges plurimæ ad cultum Dei, & Ecclesiæ πολιτείας, & Episcoporum electiones tendentes, in utroque Codice nobis servatæ: & Augustinus pariter ac Optatus Milevitanus Donati hæresiarchæ vocem: *Quid est Imperatori cum Ecclesia?* damnarunt. Certe multum ad rem pertinet, qui religioni præest, & qui per Episcopos & Clericos cum populo & ad populum agit, an ei cum summo Magistratu bene conveniat; an pareat Principi, an legibus sit solutus. Maxime autem Imperatoris hæc curatio esse debuit, ut tali regenda committeretur Ecclesia Romana, qui pacis & concordiæ esset amans, qui populum doceret jura majestatis non esse violanda; cujusque exemplo subditi non fierent deteriores: id vero quomodo præstabit, nisi in summi Pontificis electione potior ejus ratio habeatur?

§. III.

Non omne quidem jus eligendi Regibus adscribit sana ratio; & convenientius, fateor, ex Hippocratis præcepto, sancta a sanctis concedi; profanos a sacris arceri. Inde scilicet tot mala in Ecclesiam aliquando redundarunt, quod ignari & indigni homines, precibus & pretio regium consensum obtinuerunt: *Non nostrum morem, sed Regis jussa sequentes*, de puero electo cecinit Ivo ep. 67. Plena autem confirmationis potestas, Summæ Potestati tam necessario competit, ut Respublica sine ea salva esse haud possit. Quemadmodum enim jus & æquum esse censetur, ut Pastores præficiantur, vel electi confirmentur per eos, ex quorum proprio vel avito patrimonio Ecclesiæ sunt fundatæ; sic contra absurditatis nota non caret, bona temporalia & integras pro-

provincias a Regibus Francorum & Germanorum liberaliter in Sedem Romanam collatas, ab hominibus aliquot privatis conferri, nullo prævio domini directi consensu, nulla etiam ejus insecuta confirmatione? Quanto melior auctoritas Regum Galliæ & Hispaniæ, qui tanquam defensores omnium in regnis suis Ecclesiarum, ob mundiburnium, *mainbournie*, ut loquuntur, jus nominandi Episcopos exercuerunt & exercent; uti perpetuum est apud Gregorium Turonensem, & præter Vasquium *p.* 1. *Ill. controv. lib.* 1. *cap.* 22. Segobiensis Episcopus Covarruvias *tom.* 1. *p.* 2. *Relect. c. Possess. mal. fil.* §. 10. graviter testatur. De Anglia olim Eadmerus præfat. Histor. *Nemo in ea Episcopus vel Abbas ante Anselmum factus est, qui non primo homo Regis ac de manu illius Episcopatus vel Abbatiæ acceperit investituram.* Eodem jure Hibernia, Dania, Sicilia, Polonia, & Hungaria usa est, ut Fr. Florens ostendit ad tit. de elect. pag. 151. Quin imo perpetuum fere fuit, ut Episcopi Regibus Sacramentum fidelitatis præstarent, de quo multa Juretus *ad Epist.* 35. & 190. Ivonis Carnotensis & Jac. Petitus *ad Pœnitentiale Theodori pag.* 476. Præterea Advocatos quoque & Patronos jus præsentandi Episcopos & Sacerdotes exercuisse, ex multis legibus constat, *l.* 15. *C. de SS. Eccles. l.* 46. *C. de Episcopis. Nov.* 57. *c.* 2. *Nov.* 123. *c.* 18. *cap.* 3. *X. de jure patron.* maxime autem exemplo Theodorici, Mosellanorum Ducis; qui mortuo fratre Alberone, filium suum adhuc impuberem, Ecclesiæ Metensi, cujus Advocatus erat, Episcopum dedit, auctore Sigeberto *ad A* 1009. Jam vero Imperatores nostri plus juris in Pontifices Romanos, quam nudam protectionem, Advocatiam nimirum majestaticam habuerunt; quod ipsum nec Pius V. diffitetur, & deinde clarius apparebit, ubi Carolum M. aliosque Advocatos S. Petri fuisse ostendemus. Plane Henricus II. Imperator a Benedicto VIII. cum ineffabili honore Romæ susceptus, *meruit fieri Advocatus Sancti Petri*, hoc est, Protector & defensor patrimonii Ecclesiæ Romanæ, auctore Ditmaro lib.

VI. Sic Chunradus Imp. *Romanorum Rex & Advocatus Pacificus* dicitur apud Browerum lib. III. Antiq. Fuld. c. 17. item *Advocatus primus & defensor Romanæ Ecclesiæ* apud Chifletium Alsatia vind. pag. 9. & ipse Alexander Papa IV. vacante Imperio *requisivit Electores, ut Advocatum Ecclesiæ eligerent*, apud Naucler. gener. 43. Deinceps de jure Imperatorum confirmandi Episcopos Romanos, cordatiores Pontificios laudare possem: e priscis Hieronymum Balbum de coronatione cap. *Quomodo olim delatus sit Pontificatus.* Marsilium Patavinum, de Translat. imp cap. 8. & Jacobum Pamelium ad Cypriani epist. 52. inter recentiores Mabillonium Musæ. Ital. tom. 1. part. 2. pag. 42. & Baluzium miscell. tom. 3. pag. 490. Sed malo vitare satietatem. Tantum ob nudam, & veritati amicam simplicitatem, utar auctoritate Johannis Petri de Ferrariis, qui circa annum CIↃ CCCCX. tit. 50. gloss. 9. n. 4. Practicæ judiciariæ, sequentem in modum scripsit: *Scire debes, tu ignare Laice, quod Imperium aliquando habuit utrumque gladium, temporalem scilicet & spiritualem: adeo quod tunc Imperatores conferebant multa beneficia & ecclesiastica, per universum orbem, & amplius eligebant Papam.*

§. IV.

Hæc generalia vel parum credulo sufficere poterant, ut causæ, quam demonstrandam suscepimus, fidem haberet: sed mage juvabit per omnia temporum intervalla justos Imperatoris titulos, ex vi imperii in Romam, & pactis jurejurando firmatis & actuum frequentia investigasse: quia non una omnium hic mens est, & diffidens ambitio mortalium aut gratiæ subscribit, aut odio suo. Ergo exploranda erit veritas multum prius, quam animus sententiam ferat. Quamdiu sub duris persecutionibus gemuit Ecclesia, prorsus alia Episcopi Romani conditio fuit: nondum tum principem sæcularem agebat, & solus populus clero junctus eum eligere poterat; quia metus crudelissimorum suppliciorum prohibebat, ne electionis faciendæ facultas, aut factæ confirmatio ab

ab Imperatoribus peteretur. Nihilominus tamen, quum Paulo Samosateno episcopo fidei controversia movebatur, ejus decisio ad Aurelianum Imperatorem ethnicum delata est, qui etiam Concilii Antiocheni decretum executioni mandavit, auctore Eusebio lib. VII. 24. 30. Pleniorem vero auctoritatem sibi vindicarunt Imperatores, ex quo pax & libertas cum Republica conjuncta fuit, ipsique Christo nomen dederunt. Testantur id Constantini, Constantii, Valentiniani, Valentis, & Arcadii constitutiones de Episcopis & Clericis, in utroque Codice; maxime vero Theodosii jussus de Proclo ordinando apud Socratem l. VII. c. 40. dignumque annotatu est, quod idem scribit Hist. Eccl. lib. V. Prooem. *Ex illo tempore, quo Imperatores Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum nutu pependerunt.* Ut de Græcis primum agamus, in Oriente certum est, Imperatorem non modo, si dissentiente clero duo nominati & designati essent, unum ex his Episcopum, qualem ipse vellet, declarare potuisse, sed etiam Patriarchas Metropolitanos, Archiepiscopos & Episcopos fuisse electos, translatos & remotos, ad Imperatoris nutum. Exemplorum plena sunt omnia historicorum volumina: Cedreni, Zonaræ, Glycæ, Nicephori, Constantini Manassæ, & Contacuzeni: præsertim vero Codinus Curopalata de off. Constant. hoc docuit cap. 20. Sane adeo parum coarctata fuit Imperatoris libertas, ut omissis etiam Episcoporum suffragiis, quem vellet designare potuerit, quod Blastares aliique a Jacobo Goar, & Gretsero in notis ad Codinum allati confirmant. Sed valde memorabilis est locus Demetrii Chomatiani in responsis ad Cabasilam: *Imperator ut communis in Ecclesiis sapientum Princeps & re & nomine, Synodorum placitis præsidet, & auctoritatem ipsis largitur. Ecclesiasticas ordinationes disponit, & legem ponit vitæ atque officio eorum, qui altari inserviunt. quin & judiciis Episcoporum & Clericorum & electioni Ecclesiarum vacantium. Promovet insuper a minori dignitate ad majorem, puta ab Episcopali ad Metropolitanam, honorem eum exhibens*

hibens aut urbi aut homini. In summa, præter sacrificandi potestatem, cetera omnia jura Pontificalia manifeste exprimit Imperator, quibus in rebus convenienter agit & legibus & Canonibus. Caussa plenissimi hujus juris circa sacra non alia est, quam quod Græcorum Cæsares ora sua capistro Romano porrigere noluerunt, vel quia jugum illud cervicibus suis grave excusserunt. Inde de rebus Ecclesiasticis sancire, privilegia, titulos, dignitates Ecclesiasticas augere, minuere, tollere; ipsarumque diœcesen fines ampliare Imperatoris erat; ut vel unius Balsamonis in Nomocanonem Photii commentarii testantur. Ex eodem fonte manavit, ut Imperatores Episcoporum Synodis præsiderent, primique subscriberent; cujus specimen etiam in Imperatrice est apud Cantacuzenum sub finem libri III. Inde sine ullius metu fraudes & corruptelas, quæ in electionibus a Clero & populo solebant frequentari, coercebant, de quibus Chrysostomus lib. 3. de sacerd. c. 15. Sed quod maxime huc pertinet, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus Patriarchæ δικανίκιον, hoc est pedum, seu sceptrum episcopale ex manu Imperatoris acceperunt, qui hæc solennia verba adhibebat: *Sacrosancta Trinitas per imperium nobis concessum constituit te Archiepiscopum Constantinopoleos novæ Romæ*, ut planum ex Curopalatæ dicto cap. 20. n. 8. & 14. & pluribus erudite confirmat doctissimus Harbertus ad Pontificale Ecclesiæ Græcæ p. 430. & 470. Similiter pallium Archiepiscoporum munus Principum erat, etiam imperante adhuc Constantino Pogonato, nec tanto ære, ut Romæ, vendebatur. Liberat. Diac. Brev. c. 21. *Anthimus vero videns se sede pulsum, pallium quod habuit Imperatori reddidit.* Hinc denique omnia apud Græcos inversa, & rectiora quam Romæ: Præsules juxta scabellum pedis Imperatorum sedebant, ut Innocentius III. *cap. solitæ X de Major. & obed.* scribit, nec Princeps Patriarchæ, sed hic Imperatoris pedes per adulationem osculo prosequebatur, sive ut Corrippi verba mea faciam,

--- po-

---- ---- poplite flexo
Plurima divinis supplex dabat oscula plantis.

§. V.

Nunc ex Oriente proficiscamur in Occidentem, ubi diutius Cleri & Populi consensus retentus est in Pontificis Romani electione: sic tamen ut Imperatores, simulac Christo nomen dederunt, deinde Italiæ Reges & Exarchi eam auctoritate sua firmarent. Quum enim tempore Valentiniani inter Damasum & Ursinum schisma excitatum esset, Prætextatus, Præfectus Urbi, qua pollebat potestate, electionem Damasi tutatus est, Ursino rejecto, quod ἐν γωνίᾳ ἀκεχειρωμένος fuisset ordinatus: ut præter Socratem lib. IV. Hist. Eccl. c. 24. Rufinus, Nicephorus, Theodoretus, Sozomenus aliique testantur. Ammianus Marcellinus gentilis lib. XXVII. c. 9. ita ea de re scribit: *Cujus* Prætextati *auctoritate, justisque veritatis suffragiis, tumultu lenito, quem Christianorum jurgia concitarant, pulsoque Ursino, alta quies parta.* Similiter Honorius Augustus Bonifacii electionem, excluso Antipapa Eulalio, non modo ratam esse jussit A. 419. sed *insuper* lata lege sancivit, utrumque Papam pellendum Roma, si duo scissis populi studiis ordinarentur. Quam constitutionem ipsimet Papæ, Dionysio Exiguo curante, codici Canonum veteri Romano inseruerunt, unde in decretum transtulit Gratianus *can.* 8. *dist.* 79. & *can.* 1. 2. *dist.* 96. & 97. Cæsarum deinde per Italiam extincta auctoritate, cum Odoacer Herulorum Rex imperium Augustulo ereptum tenebat, ejus primarius Minister Romæ relictus, Basilius Patricius, & Præfectus Prætorio, Ecclesiæ non modo non molestus, sed etiam benevolus, congregatis in Basilica Vaticana Episcopis, lata lege vetuit, ut ne Papa, nisi ejus consilio & consensu, eligeretur, *can.* 1. *dist.* 96. cujus constitutionis mentio fit *in cap. Ecclesia* 10. *de constitut.* verba autem a Sigonio lib XV. de occident. Imp. nobis servata, ita sese habent: *Quanquam studii nostri & religionis interest, ut in Episcopatus electione concordia præcipue conservetur Ecclesiæ, ne per ele-*

electionis occasionem status civitatis in dubium revocetur, tamen admonitione beatissimi Papæ nostri Simplicii, quam ante oculos semper habere debemus, hoc nobis sub obtestatione scitis esse mandatum, ut propter illum strepitum, & venerabilis Ecclesiæ detrimentum, si eum de hac luce transire contigerit, non sine nostra consultatione cujuslibet celebretur electio. Mox quum Ostrogothi, Odoacre occiso, Italiæ potiti essent, horum Rex Theodoricus, Arrianæ licet hæresi addictus, idem juris in Pontifices usurpavit, hoc onere adjecto, ut consensus regius nummis redimeretur. Hinc Schismate A. 498. ob Symmachi & Laurentii electionem, exorto, ambo ordinati perrexerunt *ad judicium Regis Theodorici, qui dum ambo introiissent in Ravennam, hoc judicium æquitatis invenerunt, ut qui primo ordinatus fuisset, vel ubi pars maxima cognosceretur, ipse sederet in sede Apostolica*, verba sunt Anastasii in Symmacho. Idem Theodoricus Joannem Papam in carcerem conjecit, in quo quum diem suum obiisset, Clerus populusque Romanus A. 526. designatum pridem a Theodorico Felicem IV. ab illius tum etiam defuncti nepote Athalarico suscipere coactus est, ac simul tristem conditionem subire, non habendi Pontificem, nisi quem Reges, iique Arriani, accepta pecunia probassent; quod ex Athalarici epistola liquet ad Senatum Urbis Romæ, apud Cassiodorum lib. VIII. ep. 15. *Gratissimum nostro profitemur animo, quod gloriosi domini avi nostri respondistis in Episcopatus electione judicio. Oportebat enim arbitrio boni Principis obediri, qui sapienti deliberatione pertractans, quamvis in aliena religione, talem visus est Pontificem delegisse, ut nulli merito debeat displicere.*

§. VI.

Everso per Narsetem Gothorum regno, & Italia in provinciam Imperii orientalis redacta, quid juris Imperatores Græci in electionem Pontificis Romani sibi vindicarint, ex iis quæ supra §. 4. de potestate in Patriarchas diximus, facile conjicere licet. Plane omnia in manu eorum fuere: nec enim electionem sine venia principali susceptam, aut

C 2 eam

eam, quæ rite facta erat, solo dissensu suo tantum irritam reddere potuere; sed & eadem vectigalis mansit, ex novo Justiniani decreto. Unde Gregorius I. ejusmodi temeritatem (sic enim vocat) acerbissime deplorat, vocatque Dei Ecclesiæ captivitatem, atque invehitur in Imperatorem talia sibi vindicantem in psalm. pœnitent. & lib. IV. ep. 4. unde eruditissimus Antonius Dadinus Alteserra, & ex eo Joh. Strauchius amœn. jur. Can. c. 18. ecl. VI. id observarunt. Nullus Paparum ex illo tempore in possessionem missus, invito Imperatore Constantinopolitano, vel qui ministerium imperialis fastigii peragebat, Exarcho Ravennatensi, cujus ex A. 567. ad A. 752. terror erat magnus; quia militum robora habebat in manu, ut Italiam contra barbaros in obsequio retineret. Scaliger eum descripsit, Præfecti prætorio vicarium, qui Ravennam, cum aliquot urbibus, Imperii Romani nomine, adversus Longobardos tuebatur. Formulas litterarum humilimarum, quibus confirmatio ab Imperatoribus & Exarchis petita, habes in libro diurno Pontificum Romanorum, illustri illo antiquitatis monumento, quod Garnerius Societatis Jesu Theologus, anno demum 1680. Parisiis in lucem produxit. Principi ibi videmus *lacrymabiliter cunctos famulos supplicare, ut dominorum pietas servorum suorum obsecrationes dignanter exaudiat, & concessa pietatis suæ jussione, petentium desideria, pro mercede imperii sui, ad effectum de ordinatione ipsius præcipiat pervenire* &c. Exarcho autem ita: *Et ideo supplicantes quæsumus, ut inspirante Deo celsæ ejus dominationi, nos famulos voti compotes celeriter fieri præcipiat* &c. Tum ergo fuit tempus optimum, quo electis, & clero, populoque universo non modo supplicandum, sed potentes in aula, Patriarcha Constantinopolitanus, Judices & Archiepiscopus Ravennæ orandi, ut apud Principem, pro celeri expeditione negotii, intercederent. Certe hujus consensus adeo fuit necessarius, ut Anastasius Bibliothecarius de vitis P. P. in Pelagio II. & Paulus Warnefridus de gestis Langob. l. III. c. 20. tanquam singulare tradiderint, Pe-

la-

lagium II. *absque jussione Principis ordinatum esse*; & causam addunt, qua Archidiaconus Gregorius Constantinopolim missus, id excusavit, *quod Longobardi Romam per circuitum obsiderent, nec posset quisquam a Roma progredi.* Postea Constantinus Pogonatus Imperator, postulante Agathone, nummarium illum censum Exarchis ademit, relicta iis tamen confirmandi potestate, ut ex gestis Romanorum Pontificum retulit Gratianus *can. Agatho* 21. *Dist.* 63. & ex Anastasio constat. cujus ipsa verba adscribere non pigrabor, quia rudi licet stilo, fidelissime tamen omnia enarravit, adeo ut Baronius meliorem scriptorem in hac materia nobis deficere scripserit. Sic autem de vitis P. P. ad A. 678. *Hic Agatho*, inquit, *divalem jussionem, secundum suam postulationem, ut suggessit suscepit, per quam relevata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda: sic tamen, ut si contigerit post ejus transitum electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in regiam urbem, secundum antiquam consuetudinem, & cum eorum conscientia & jussione debeat ordinatio provenire.* Idem mox ad A. 684. Benedictum II. ejusdem Pogonati jussiones clementissimas refert suscepisse, *per quas concessit ut persona, qui electus fuerit, ad Sedem Apostolicam e vestigio absque tarditate Pontifex creetur.* Quo ipso tamen necdum remissa est Exarchalis consensus necessitas; aut certe Ecclesia Romana eo privilegio frustrata fuit: ipse enim Anastasius, electo Conone A. 686. *Exercitus, Clerus, & populus*, ait, *missos ad excellentissimum Theodorum Exarcham, ut mos est direxerunt:* & in Sergii hujus successoris vita Paschalem antipapam carpit, quod Joanni Patricio & Exarcho centum librarum auri promiserat, ut ne Sergio, sed ipsi suffragaretur. Tandem Gregorius II. Leoni III. Isaurico, propter edictum de imaginibus tollendis promulgatum, obedientiam renunciavit; eoque defuncto ad Gregorii III. ordinationem jussio Exarchi ultimum postulata est A. 731. Is vero Pontifex, quia Paulum Exarchum anathematis fulmine percussit: cum pul-

so

so Aistulpho, penitus abjectum Græcorum fuit imperium, & Exarchi dignitas extincta est. Vide Papebrochium in conatu chronic. Hist. pag. 116. eumque ex Garnerio supple, quem vidisse non videtur.

§. VII.

Vix dici potest, quam repente, Principum auctoritate semota, Roma viderit Cleri sui petulantiam, & magnatum intestina dissidia, populique tumultuantis rabiem, maxime in novelli Præsulis electione. Pericula intendebant alii, desiderio pristinæ reip. formæ: alii stimulis avaritiæ incitabantur, ex qua audaciam erumpere Tullius scripsit. Primum igitur Langobardorum amicitiam ambiverunt Papæ, ut horum armis adversus injurias munirentur. Sed Hadrianus Papa, cum omni Clero & populo, in summas a Rege illorum Desiderio angustias redactus, communi consilio Synodi Romanæ, A. 773. celebratæ, Carolo M in memoriam beneficii, quo ipsis libertatem, pulsis Langobardis, reddiderat, Sedemque Papalem variis donis locupletarat, *omne suum jus, & potestatem eligendi summum Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatemque Principatus concesserunt:* verba sunt diplomatis, quod integrum produxit Schardius Syntagm. de jurisdict. imp. pag. 249. cujusque particulam in Decretum retulit Gratianus *can. Hadrianus* 22. *Dist.* 63. Ut autem via & ordine nostra proficiscatur oratio, tres titulos diversos, quibus Carolo M. jus illud eligendi competiit, distincte considerabimus. Fundus hujus demonstrationis erit, Monachus Engolismensis in vita Caroli M. apud Chesnium tom. 2. *Post Pipinum Pium*, inquit, *regnavit Domnus Carolus, filius ejus; quem postea Romani sibi elegerunt* Advocatum S. Petri, *contra Reges Longobardorum. Deinde ipsum Domnum Carolum elegerunt sibi in* Patricium Romanorum. *Deinde elevaverunt in* Imperatorem *& Augustum*. Primo loco ait, Carolum electum esse Advocatum S. Petri, adversus tyrannidem Langobardorum. Hujusmodi enim potente Defensore Ecclesia Romana hoc tempore potissimum in-

 di-

digebat; qui ejus jura & facultates ferro & armis, contra validissimos hostes, tueri posset. Ejus autem electionis Symbolum fuit vexillum, cum cruce & clavibus, ad ipsum missum, ut infra dicemus. Nec tenuius tributum, in compensationem molestæ tutelæ, promitti potuit Summo huic Advocato; quam ut, exemplo plerorumque Advocatorum minorum, jus haberet ordinandi Sedem Episcopalem. Sigebertus Gemblacensis id affirmat diserte, in chronico vetere, ante annum 1112. quo obiit, scripto: sic vero ad A. 773. *Hadrianus Papa*, inquit, *ad tuendas res Ecclesiæ Carolum Romam accersit. Qui pergens Papiam obsidet, ibique relicto exercitu Romam pervenit, sanctam resurrectionem ibi peregit: postea rediens Papiam cepit. Iterumque Romam rediit, Synodum constituit cum Hadriano Papa, aliisque* CLIII. *religiosis Episcopis & Abbatibus, in qua Hadrianus Papa, cum universali Synodo, dedit ei jus eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatem quoque Principatus.* Bilem hic locus movit Baronio tom. 9. ad A. 774. n. 10. & A. 964. n. 22. quod Pontificiæ majestati, quam sibi extollendam sumserat, nimium adversatur: ideoque *stulte ante se id creditum* clamat, & Concilium illud Romanum a Sigeberto, *dolo malo*, *malisque artibus* confictum esse queritur, ut Henrici schismatici Imperatoris partes, quibus favebat, ejus auctoritate muniret adversus Paschalem. Sed Petrus de Marca, ipse licet a nobis dissentiens, lib. VIII. de Concordia c. 12. fatetur, argumenta, quibus utitur Cardinalis, nimis levia esse, ad concilium hoc infringendum. Baluzius item ad Flori Diaconi librum de Elect. Episc. c. VI. & Florens ad decret. pag. 123. id agnoscunt: imo eruditissimus Mabillonius lib. III. de re dipl. c. 3. n. 16 ex Joannis Beraldi chronico Casauriensi ostendit, Italos Sigeberti ætate Synodum illam agnovisse. Alia tamen movent Gretserus in apol. pro Baronio c. 1. & 2. Papebrochius in conatu chron. in vita Hadriani I. Pagius ad A. 774. n. 13. aliique, ex quibus res nostræ minus securæ videntur. Urgent enim, in optima Sigeber-

geberti editione, a Miræo ex manuſcriptis adornata, nullam ad eum annum iſtius Synodi mentionem fieri: Leonem quoque, mortuo Hadriano, absque ullo intervallo, ſuffectum eſſe a Romanis: & Natalem Alexandrum ſæc. 8. ex ipſius Hadriani ad Carolum litteris probare, in cauſa Ravennatis Archiepiſcopi, Regi tale quid petenti negatum eſſe. Verum ut mittam, quæ Goldaſtus, Conringius & Schilterus hiſce regeſſerunt; mihi Sigeberti narratio vel ideo probatur; quia Collectores Canonum, ipſi æquales, & Gratiano ſuperiores, eandem agnoverunt; nec quicquam Romani Correctores contra illum canonem notarunt; Monachus quoque Reicherspergenſis, Sedi Romanæ alioquin non iniquus, in Chron A. 774. idem aſſerit: maxime vero tabulæ, quibus Leo VIII. Othonis I. ſummam poteſtatem, *ad exemplum beati Hadriani* agnovit, hoc ipſum liquido confirmant. Quanquam a generoſo & ad bene merendum Caroli animo forſan non alienum fuerit, quod Marſilius Patavinus de tranſlatione Imperii c. 8. & Sigonius lib. IV. de Regno Italiæ ſcribunt, ipſum eximia moderatione jure ſuo uſum, & comitia antiqua, modo ſine tumultu & ambitu fierent, clero & populo reſtituiſſe, ſalva ſibi confirmandi facultate. Nam ſub Italis quoque Herulorum, Gothorumque Regibus; ſub Imperatoribus Conſtantinopolitanis & Exarchis, electus ſimiliter aſſenſu principali tantum confirmabatur: nec ampliora ſibi ſumſiſſe Carolum, ex ejus epiſtola ad Leonem III. recens electum, quæ inter epiſtolas Alcuini, quarta & octuageſima eſt, non obſcure colligere licet, in qua Leo *per electionis unanimitatem* deſignatus vocatur.

§. VIII.

Sed ut nullus dubitationi locus relinquatur, juvabit alterum *Patricii Romani* titulum, quo Carolus M. jus illud Papam eligendi, aut ſaltem confirmandi accepit, illuſtraſſe: de quo tot loquuntur hiſtoriarum monumenta; ut & Lectoris & meo otio abuterer, ſi multos ea de re auctores cumula-

mularem. Ipse in scripta ad Leonem III. epistola, & innumeris diplomatibus, apud Dubletum, Ughellum, Puricellum, Mabillonem, Baluzium & alibi hac formula usus est: *Carolus gratia Dei, Rex Francorum & Langobardorum, ac Patricius Romanus.* Gratianus annum 774. indicat, quo *Patriciatus dignitas* Carolo concessa, *dist.* 63. *c.* 23. quin ipse Hadrianus in litteris ad Bertherium Episcopum Kal. Jan. A. 775. datis, epocham signat: *imperante piissimo Rege Carolo, anno primo Patriciatus ejus*, apud Labbe t. 1. pag. 109. Nec multum abludit Albericus ad A. 776. *Ab hoc anno per annos* xxv. *Karolus fuit simul Rex Francorum & Langobardorum, & Patricius Romanorum, antequam fieret Imperator.* Quid autem sublimioris dignitatis aut potestatis ille *Patricii character* attulerit Carolo, non una est eruditorum sententia. Nimis abjecte de ejus Majestate sentiunt, qui nudum nobilitatis Romanæ, aut officii Constantinopolitani nomen fuisse arbitrantur. Contra nimium extollit Meursius, in Glossario, quum Occidentalibus Patricios Romanorum fuisse, ait, quos nunc Reges Romanorum appellamus. Alemannus, Fresnius & Mabillon Præfecturam Urbis & circumjacentium regionum explicarunt, quæ a Patriciis Exarchis regi solebat. Verum licet ab his extinctis nomen desumtum videatur, reipsa tamen Carolus excellentius jus, supremam nempe jurisdictionem in urbem Romam, & defensionem Ecclesiæ Romanæ, obtinuit; nec auctoritatem suam ab Imperatore Constantinopolitano, ut pristini Exarchi, sed *jure victoriæ* accepit; ut Sigonius scribit lib. iv. de Regno Italiæ. *Dignitatem Principatus* vocat Sigebertus ad A. 773. Inde circulus aureus Patriciatus insigne; quo Carolus M. coronatus cernitur, in tabella vetere, a Petavio in lucem prolata, quo etiam, aut potius simili, Reges Galliæ primæ stirpis, & Hispaniæ olim usi fuerunt. Hinc Paulus Diaconus in dedicatione Festi, Carolo necdum Imperatori facta, *Romuleam vestram civitatem* dixit: & in libello de Metensibus Episcopis, de eodem loquens: *Romam*, ait, *duris an-*

angustiis eximens, suis addidit sceptris. Inde nunc etiam constat, quam recte Carolus M. sibi arrogarit jus ordinandi Sedem Romanam, quo Exarchi Græcorum minores ante gavisi fuerant. Neque obmoveat quis nobis, Carolum Martellum, Majorem domus, *Exarchum* dici in Chronico Fontanellens. eundemque *Consulatum Romanum*, id est Patriciatum, a Gregorio III. obtinuisse, pro defensione Ecclesiæ Romanæ: Pippinum vero Regem, ejusque filios, Carolum & Carolomannum a Stephano II. *Patricios Romanorum* factos, nec tamen Pontificum electionibus se immiscuisse. Bene etenim monuit Mabillon lib. 11. de re diplom. c. 3. n. 9. & majore apparatu demonstravit Pagius in Crit. ad A. 740. n. 4. seqq. regno Langobardorum nondum occupato, honorarium duntaxat Exarchi, Patricii, & Consulis Romani titulum fuisse. Unde & Carolus, ante regnum illud occupatum, titulo hoc abstinuit, nec Pippinus eo fine re uti voluit, qui quicquid juris nactus in Exarchatum Ravennæ, id Ecclesiæ Romanæ manu liberali concesserat, Anastasio, Massono & Rubeo auctore. Sed Carolus, regno Langobardorum acquisito, tanti fecit Patricii dignitatem, ut eam mortuo Hadriano sibi a Leone III. & subjecto sibi populo Romano, confirmari curaverit, quemadmodum Annales Adonis; Reginonis & Auctoris incerti testantur. Annales Laurisheimenses, quos Oddo Cluniacensis Eginharto adscribit, ad A. 796. *Mox per legatos suos Leo Claves Confessionis S. Petri, ac Vexillum Romæ Urbis, cum aliis muneribus, Regi misit, rogavitque, ut aliquem de suis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque NB. subjectionem per sacramenta firmaret. Missus est ad hoc Angilbertus, Abbas monasterii S. Richarii.* Neque tamen cum illis faciam, qui missioni Clavium & Vexilli unice inhærent, atque ex ea maximum argumentum duci posse opinantur. Ad Caroli enim Magni avum, Carolum Martellum, jam ante *Papa Gregorius III. claves venerandi sepulchri, cum vinculis Sancti Petri, & muneribus magnis destinavit*, ut Frede-

garii continuator ait cap. 110. Solebant etenim Pontifices Romani ad Reges & Principes, de limatura catenarum S. Petri, pro ingenti dono, *cum aliis muneribus*, ait Eginhartus, aliquid mittere, & in aurea clavi, instar illarum, quibus confessio, seu sepulchrum Petri claudebatur efficta, includere, quemadmodum Vir illustris & singularis eruditionis Fresnius ostendit in voce *Claves*. Vetus quoque fuit institutum, ut Papæ Vexillum S. Petri, clavibus geminis insignitum, mitterent ad Principes Romanæ Ecclesiæ, qui in Paganos, schismaticos, aut hostes Ecclesiæ Romanæ expeditionem suscepturi essent. Formula benedictionis & traditionis extat in Ceremoniali Romano lib. 1. sect. 7. Variaque ad Reges, Duces & Comites missi Vexilli exempla collegit Philippus Mazerius in vita S. Petri Thomasii Patriarchæ CP. cap. 3. apud Boland 29. Januar. & Nicolaus Alemannus in Dissert. de Lateranens. parietinis cap. 14. & 15. An vero *Vexillum Romæ Urbis* diversum a Vexillo S. Petri, & proprium dominii in Urbem Symbolum fuerit, non satis liquet. Poeta Saxonicus lib. III. de Gestis Caroli M. anno eodem 796. de pluribus vexillis loquitur: *vexillaque miserat Urbis Romuleæ Carolo.* Sed pictura illa, qua Leo III. triclinii, a se in Lateranensi Palatio ædificati, cameram exornavit, quamque Nicolaus Alemannus in dicto de Lat. pariet. libro cap. 10. delineatam exhibuit, satis indicat, vexillum Petri fuisse: is enim Apostolus solio insidens, dextra stolam Leoni, Carolo vexillum sinistra porrigit, ut defensor Ecclesiæ factus esse posteris indicaretur. Veram hujus musivi, a plerisque male explicati, interpretationem dedit Pagius in Crit. ad A. 796 ad quem adiisse non pœnitebit. Quicquid ergo juris habuit Carolus, ex pacto illo, cum Hadriano inito, repetendum est, cujus ipse meminit, in laudata ad Leonem epistola: *Sicut enim*, scribit, *cum Beatissimo Prædecessore Vestræ Sanctæ Paternitatis pactum inii; sic cum Beatitudine Vestra ejusdem fidei & caritatis inviolabile fœdus statuere desidero.* Pacto autem imperium in Urbem & Du-

Ducatum Romanum comprehensum fuisse, supra vidimus, & firmatur ex Ceremoniali Romano, quod Mabillon tom. II. Musæi Italici promulgavit. In eo enim n. 24. ubi de Missa, quam initio Quadragesimæ Romanus Pontifex celebrat: *Sabbato tempore Hadriani institutum est, ut flecteretur pro Carolo Rege, antea vero non fuit consuetudo.* Maxime autem id patet ex memoria pacti illius versibus comprehensa, in Appendice Antiq. Lect. pag. 1163. ubi de Christo, συγχρόνος anonymus ita cecinit:

Tradit oves fidei Petro Pastore regendas,
Quas vice Hadriano crederet ille sua:
Quin & Romanum largitur in Urbe fideli
Imperium *famulis, qui placuere sibi:*
Quod Carolus mire præcellentissimus hic Rex
Suscipiet dextra glorificante Petri.

§. IX.

Nunc revertamur ad monachum nostrum Engolismensem, qui tertio gradu Carolum in Imperatorem levatum ait; unde jus potissimum ordinandi Sedem Romanam repeti debet. Quum enim dignitatis Imperatoriæ titulus, cum Momyllo Augustulo, ante annos ferme trecentos defecisset, & Orientis Imperatores jampridem tutelam Ecclesiæ Romanæ deseruissent, Carolus vero magnam extincti Imperii partem possideret, ejusque ingentia merita rependi æquum esset, placuit renovare imperium, ut numismata Caroli demonstrant, in quibus RENOVATIO IMPERII legitur. Jus imperii armis sibi pepererat Carolus, Leo autem III. Papa, tanquam primus civium, & Senatus Populique Romani interpres, consecrationis ceremoniam peregit; pariter ac Constantinopolitani, jure ac proprie ΘΕΟΣΤΕΦΕΙΣ, *a Deo coronatos* se nominantes, a Patriarcha coronam accipiebant. Immo sicut in Germania Moguntinus vel Coloniensis; in Italia Mediolanensis; Rhemensis in Gallia; in Anglia Cantuariensis; in Hungaria Strigoniensis; in Bulgaria Trinovitanus Archiepiscopi jus ungendi sibi vindicarunt: sic colla-

tor

tor muneris hujus erat *Deus omnipotens*, qui, ut verbis utar Moissiacensis Chronici, *has omnes sedes in potestatem ejus concessit:* non Pontifex, qui *vero nomine possit, non dator Imperii, sed confirmator haberi*, Guntherus cecinit, lib. VI. Ligurini v. 615. Tunc ergo Carolus summum Imperium in Urbem, ejusque Sedem Episcopalem, in jus denique universale a Constantinopolitanis derelictum, per transactionem vero cum Nicephoro & Michaele abdicatum, acquisivit. Hinc antiquissimæ ejus statuæ aureæ: ITALIA, ROMA, GALLIA, GERMANIA inscriptum; ipse cives Romanos inter subjectos suos recenset lib. VI. Capit. & in denariis Romanis, sive ab ipso, sive, ut Vignolius contendit, a Pontificibus cusis, Caroli effigies expressa cernitur, apud le Blanc dissertation sur quelques monnoyes de Charle Magne. Hinc *a Pontifice Romano, more antiquorum Principum, adoratus* dicitur, in annal. Franc. ad A. 801. & *clementissimus filius* a Leone III. vocatur, in epistola V. a Conringio edita. Nunc etiam plenissimam Pontificem constituendi, aut quod nemo negabit, de ejus electione ante ordinationem cognoscendi potestatem Carolus accepit; qui testibus Annalibus Loiselianis ad A. 801. *Romanæ Urbis & Apostolici totiusque Italiæ, non tantum publicas, sed etiam* Ecclesiasticas, *& privatas res ordinavit:* quique adhuc Patricius, Romam venerat *propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, Ecclesiæ statum, ibi totum hyemis tempus protraxit, ac Imperatoris & Augusti nomen accepit*, Eginharti verba sunt, qui tunc affuit, & Carolo a secretis, in ejus vita c. 28. ubi Cl. Schmincke videatur. Ex hoc tempore per excellentiam Tutor & Defensor Ecclesiæ, adversus infideles, hæreticos, & seditiosos fuit, & ita nominatur apud Monachum Sangallensem lib. I. de Carolo Magno c. 28. *Cum autem ibidem aliquot diebus reparandi exercitus gratia moraretur, convocavit Antistes Apostolicus de vicinis partibus, quoscunque potuit, & coram positis illis, & invincibilibus gloriosi Caroli Comitibus, nihil minus suspicantem pronunciavit Imperatorem*, Defensoremque *Ecclesiæ*

siæ Romanæ. Non mirum igitur, si Carolus, Imperium assecutus, a Patricii titulo abstinuit, vel ut monachus Engolismensis apud Pithœum p. 262. ait, patricii nomen ei *ablatum* est. Licet enim Patriciatus dignitas & vis non esset extincta, insigniore tamen titulo commutata erat, & quamvis ejus potestas haud subdita fuerat Imperatoriæ majestati, minor tamen erat, & defensionem Ecclesiæ titulus Imperatoris continebat. Duo nihilominus loca affert Mabillon lib. 11. de re diplom. c. 3. in quibus Carolus, jam Imperator, Patricii nomine afficitur; sed Notariis ea accepta fert, qui Cancellariæ stilum non bene callebant. Paschalis & Hadriani II. Paparum epistolas in quibus Ludovicus & Carolus Calvus postea *Patricii* appellati, laudavit Frêne in *Patricius*.

§. X.

Ex hoc tempore summa Imperatorum, in confirmandis Pontificibus, stetit auctoritas; nec Caroli M. successores ante eorum inaugurationem peragi siverunt, quam ex relatione Missorum regiorum constitisset, electionem rite factam esse; atque Pontifex electus jurejurando promisisset, se Principi suo fore fidelem: id quod Stephanus Baluzius in notis ad epistolam Gregorii IV. quam Agobardi operibus subjecit, fusius probavit. Nos ad Stephani IV. exemplum provocamus, qui simulac Leonis III. successor designatus, ad Ludovicum legationem direxit, *quæ super ordinatione sua ipsi satisfaceret*, ait auctor vitæ Ludovici pag. 365. Inde lux ejusdem Stephani decreto, in *can.* 28. *Dist.* 63. quod quidem Baronius figmentum schismaticorum vocat, sed non probat. In eo autem A. 816 ad scandala vitanda & violentiam reprimendam, cavetur; *ut ab omnibus electus præsentibus Legatis Imperialibus consecretur*. Verùm anno sequente 817. Ludovicus Pius juri suo renunciasse fertur apud Guillelmum Bibliothecarium, & Ivonem Carnotensem part 5. c. 16. apud Gratianum *can.* 30. *Dist.* 63. Sigonium lib. IV. de Regno Italiæ pag. 106. & Sirmondum t. 11. Concil. Gall.

pag. 443. At pactum illud cum veritate historica pugnare, post alios Viros eruditos, ait Schilterus de L. E. G. lib. 11. c. 12. multa insolita in eo observavit Mabillon lib. 11. de Re dipl. c. 3. n. 13. nec dubitavit Cl. Pagius Senior donationem istam æque commentitiam appellare, quam quæ Constantino affingitur, in Crit. ad A. 817. n. 7. Instat tamen, cum Natali Alexandro, junior Pagius in addendis ad tom. 11. breviarii Pontif. nec solum electionem, sed & consecrationem Pontificis hac ætate, inconsulto Imperatore, factam esse, probare annititur ex Floro Diacono, qui circa hæc tempora A. 820. scripsit. Verba ejus in excerptis libri de electione Episcoporum § 6. in fine operum Agobardi, & in Bibliotheca maxima Patrum t. xv. sunt ista: *Sed & in Romana Ecclesia, usque in præsentem diem, cernimus, absque interrogatione Principis, solo dispositionis judicio, & fidelium suffragio legitime Pontifices consecrari.* Multum se torsit Baluzius, ut nodum hunc solveret, sed excors, & superstitioni immersum Ludovici Pii ingenium facit, ut ferme credam, ipsum juri suo renunciasse, aut saltem frigide illud exercuisse: qui, ut Theganus de ejus gestis cap. 20 refert, in sacro studio & *psalmodia* occupatus, nihil aliud egit, & Episcopis nimium indulsit: unde spreta auctoritas, nomenque regnantis eviluit. Recuperavit autem imperii auctoritatem octo annis post, quando Eugenius II. ad postulationem Lotharii, fortioris & prudentioris imperii paterni collegæ, Clerum populumque Romanum jurejurando obstrinxit A. 825. se non nisi in præsentia Legatorum Imperatoris ratam habituros Pontificis consecrationem. Continuator Pauli Diaconi in corpore Historiæ Franc. his verbis conceptis quemlibet jurasse refert: *Non consentiam, ut aliter in hac Sede Romana fiat electio Pontificis, nisi canonice & juste, secundum vires & intellectum meum: & ille, qui electus fuerit, me consentiente, consecratus Pontifex non fiat, priusquam tale sacramentum faciat in præsentia Missi Domini Imperatoris & populi, cum juramento, quale Eugenius Papa, sponte*

pro

pro conservatione omnium, habet præscriptum. Vi hujus jurisjurandi Eugenii successores Gregorius IV. & Sergius II. non prius ordinati sunt, quam Ludovicus & Lotharius per Missos suos examinassent, an rite electio facta esset, ut præter auctorem vitæ Ludovici Pii pag. 387. Annales Bertiniani disertis verbis testantur ad A. 827. *In Eugenii locum Valentinus Diaconus, a Romanis electus, vix unum mensem in Pontificatu complevit: quo defuncto Gregorius Presbyter Tituli S. Marcelli electus, sed non prius ordinatus est, quam Legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi, qualis esset, examinavit.* Iterum quum Ludovico exstincto, imperialis dignitas soli Lothario cesserat, iidem Annales A. 844. de Gregorii successore Sergio II. *Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex decessit: cui Sergius succedens, in eadem sede substituitur: quo in sede apostolica ordinato, Lotharius filium suum Hludovicum Romam cum Dragone, Mediomatricorum Episcopo dirigit, acturos ne deinceps decedente Apostolico quisquam illic præter sui jussionem, Missorumque suorum præsentiam ordinetur Antistes.* Idem tradit Sigebertus Gembl acensis ad 844. quem ea propter *schismaticum* vocat Baronius, reprehensus a Mabillone præfat. ad part 2. sæc. IV. Bened. c. ult & lib. III. de re dipl. c. 3. § 16. Rursus Sergii successorem Leonem IV. Romani *sine Imperiali non audebant auctoritate futurum consecrare Pontificem*, infit Anastasius pag. 258. Et denique eandem fidem per omnia & in omnibus servavit Benedictus III. cujus electione A. 855. peracta, *Proceres, ut consuetudo prisca exposcit, invictissimis Lothario & Ludovico destinarunt Augustis*, inquit Anastasius in ejus vita; ex quo *can.* 31. *Dist.* 63. lucem mutuatur.

§ XI.

Quum Lotharius, deposito imperio, abierat ad plures, Ludovicus II. vestigiis paternis insistere voluit, nec ratam habere Pontificis electionem, cui consensum non accommodasset; sed auctoritas ejus mox infringi ac cessim ire cœpit. Nicolaum I. magis metu Imperatoris, quam benevo-

lentia populi & cleri electum esse, Annales Bertiniani tradunt ad A. 858. Deinde hoc defuncto generaliter Flodoard Hist. Remens. lib. III. c. 17. scribit: *Nicolaus Papa obiit. cui Hadrianus II. Papa, electione clericorum, & consensu Ludovici Imperatoris, in Pontificatu successit.* Sed plenius rem narrat Anastasii continuator in vitis Pontif. A. 867. ubi de Hadriano II. electo: *Missi Principis Ludovici id moleste tulere, indignati scilicet, non quod tantum virum nollent Pontificem, quem nimirum anxie cupiebant; sed quod se, dum præsentes essent, Quirites non invitaverint, nec optatæ a se futuri Præsulis electioni interesse consenserint. Qui accepta ratione, quod non Augusti causa contemtus, sed futuri temporis hoc omissum fuerit omnino respectu: ne videlicet Legatos Principum in electione Romanorum Præsulum mos expectandi, per hujusmodi fomitem inolesceret. Qua ratione accepta, illi omnem suæ mentis indignationem medullitus sedavere, & ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt.* Eadem verba in *can.* 29. *Dist.* 63. non modo referuntur, sed insuper ex libris Pontificalibus talia subjiciuntur, ex quibus, non obscure constat, quo animo Ludovicus fuerit; & quam exigua pars pristinæ auctoritatis reliqua fuerit Missis Imperatoriis, licet forte in Urbe commorarentur. Plane decem, qui Hadrianum istum II. exceperunt, Pontifices proxima post electionem Dominica ordinatos esse, scribit Papebrochius, certissimo recuperatæ libertatis indicio, sane verisimili, si temporis rationem habeamus. Post obitum enim Ludovici, cum Carolus Calvus vero successori, Johannis VIII. beneficio, imperium præripuisset, insolentiores Clerici facti sunt, nec exspectarunt Imperatoris confirmationem. In Epistolis suis Lupus commendat Calvum hunc, quod mortuo Ercanrado, Episcopo Parisiensi, successorem dare noluit, sed melius rem omnem clero commisit, eadem sine dubio & majora permittens clero Romano. *Renovavit pactum cum Romanis, perdonans illis jura Regni, & consuetudines illius*, ait Eutropius Presbyter apud Goldastum *t.* 1, *Monarch.* Cui Petrus

trus de Marca & Natalis Alexander adstipulantur. Idem exemplum secutus est Carolus Crassus, qui prout Canonicis jus constituendi Episcopum concesserat in diplomate, apud Schatenium Ann. Paderb. lib. III. sic apud Papebrochium contentus fuisse dicitur, Joannem Ticinensem Episcopum, & electioni & consecrationi Stephani V. honoris potius, quam juris caussa, tanquam Missum Imperatorium, intersuisse. Sed Annales Lambeciani ad A. 885. *Romani, Pontificis sui morte experta, Stephanum in locum ejus constituerunt. Unde Imperator iratus, quod eo inconsulto ullum ordinare praesumserunt, misit Liutwartum & quosdam Romanae Sedis Episcopos, qui eum deponerent, quod perficere minime potuerunt.* Nec mirum! quia Hadrianus III. Stephanum antecedens, jam A. 884 legem tulisse fertur: *ut Pontifex designatus consecrari, sine praesentia Regis, aut Legatorum ejus posset*, auctore Martino Polono in vita Hadr. pag. 364. & Sigonio lib. v. de Regn. Ital. Sed caruit illa effectu, & redditus imperio honos, postquam, Arnulpho imperante, Stephanus VI. Papa A. 897. Eugenianum jusjurandum §. praecedente memeratum renovavit, sanciendo: *ut ab omnibus electus praesentibus Legatis Imperialibus consecretur: ne Ecclesia scandalizetur & Imperialis honorificentia minuatur*: ut refert Gratianus *can.* 28. *Dist.* 33. Repetiit haec rursus Joannes IX. in Concilio Romano: quod cum Baronius non animadvertebat, canonem illum sublestae fidei pronuntiavit, notatus eo nomine apud Pagium ad A. 897. n. 4. & 898. n. 6. Verba canonis x Concilii Romani eadem fere sunt, quibus Stephanus IV. olim decreverat idem, in *can.* 28. *Dist.* 63. digna tamen quae hic referantur: *Quia Sancta Romana Ecclesia, cui Deo auctore praesidemus, plurimas patitur violentias, Pontifice obeunte: quae ob hoc inferuntur, quia absque Imperatoris notitia & suorum Legatorum praesentia, Pontificis fit consecratio, nec Canonico ritu & consuetudine ab Imperatore directi intersunt Nuntii, qui violentiam & scandala in ejus consecratione non permittant fieri; volumus ut id deinceps abdicetur, & constituendus Ponti-*

 fex

sex convenientibus Episcopis & universo Clero eligatur, expetente Senatu & populo eum, qui ordinandus est: & sic in conspectu omnium celeberrime electus ab omnibus, præsentibus legatis Imperialibus, consecretur. Illud tamen negare non ausim, per summam Caroli Crassi imprudentiam, Cæsarum jura tum jam imminuta & fracta, nec magnam Arnulphi aut Ludovici circa Paparum electiones auctoritatem fuisse. Penes illos tum promotio ad pontificatum, qui factionibus & clientelis potentiores; quia largitione & scelere dignitas quærebatur. Non ætas, nec eruditio, neque pietas attenta: coëmtis suffragiis electi præter nomen Pontificis nihil habuerunt. Scilicet ut similes habent labra lactucas, nec quicquam adeo inflectere potest sensus humanos, quam vita regentum: ita monstrosi presbyteri pares sibi crearunt Præsules; homines ad mores sæculi accommodatos, doctrina putidissimos, vita turpissimos; quorum prava exempla sacerdotum & populi animos fœdarunt, maxime hac ætate, quæ *sæculum ignorantiæ* ab eruditis vocatur. Vin aliam caussam? *Non extabant, qui Paparum vitia coercerent*, ait Platina in Sergio III. Nihil hic comminiscor, nec ventosæ sequor suffragia plebis. Auctores habeo omni exceptione majores, Albericum monachum & Luitprandum: sed præstabit ipsius Cardinalis Baronii, maximi Sedis Romanæ fulcri, ingenuam confessionem recitasse ad A. 912. n. 8. *Quæ tunc facies*, quærit, *sanctæ Ecclesiæ Romanæ? quam fœdissima: quum Romæ dominarentur potentissimæ æque ac sordidissimæ meretrices; quarum arbitrio mutarentur sedes, darentur episcopi, & quod auditu horrendum & nefandum est, intruderentur in Sedem Petri eorum amasii pseudopontifices, qui non sunt nisi ad consignanda tanta tempora in catalogo Romanorum Pontificum scripti. Quis enim a scortis hujusmodi intrusos sine lege, legitimos dicere posset Romanos fuisse Pontifices?*

§. XII.

Per integrum ferme sæculum monstris hisce Sedes fuit inquinata, donec Germanici Imperatores medii intercesserunt.

runt. Otho I. jam ante auguſtali diademate ornatus, ut Romanos perjuros in futurum coerceret, & fœda eorum ambitione ſublata, quietem Eccleſiæ Papisque conciliaret, A. 964. cum Leone VIII. pactus eſſe fertur, ut ne Romani Pontificem crearent ullum, quem ipſe ejuſve ſucceſſores non probarent; quod pactum in concilio Generali Romæ in Lateranenſi habito, his verbis firmatum eſt: *Conſtituimus, confirmamus & roboramus, per manum Apoſtolicam, dignitatem concedimus atque largimur Domino Othoni I. Auguſto, Teutonico Regi providentiſſimo, ſpirituali in Chriſto filio noſtro, ejuſque ſucceſſoribus hujus regni Italiæ in perpetuum, tam ſibi facultatem eligendi ſucceſſorem, quam ſummæ Sedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi.* Diploma ex vetuſtiſſimo codice Florentino deſcripſit Theodoricus a Niem de inveſtit. epiſc. & Goldaſtus integrum poſteris ſervavit tom. 1. Conſt. Imp. ad A. 964. Ex hoc pacto *ad exemplum* priorum inter Carolum M. & Hadrianum I. ut & inter Lotharium atque Eugenium inito, jura Imperii Romani ad Germanos delati, & fundamenta juris publici a recentioribus petita ſunt: quamvis eo argumento non adeo opus fuerit; quum Ludovicus Antonius Muratorius adverſus Fontaninum oſtenderit, non minore poteſtate Othonem Romæ gaviſum, quam Berengarii, qui ſummum in Italia imperium tenuerunt. Liquet inde Othonem, & omnes ejus Auguſtos ſucceſſores, ex victoria & regia poteſtate, jus nactos eſſe, conſtituendi Epiſcopum Romanum; vel ſi ejus permiſſu, a cuncto clero & univerſo populo quis eligeretur, non debuiſſe, niſi a dicto Rege laudatum & inveſtitum, conſecrari. Pariter enim ac Carolus M. in nummis & bullis renovationem Imperii a ſe factam teſtatus eſt; ſic in nummo Othonis apud Mabillon ſupplem. de re dipl. c. XI. §. 3. RENOVATIO IMPERII ROMANORUM legitur. Et quemadmodum Carolus contra Deſiderii oppreſſionem; ſic Otho contra Berengarii tyrannidem invitatus, ſuppetias tulerat Sedi: idem ergo operæ & viæ præmium merito ab ea accepit; quod jam ſolo Patricii titulo ipſi compe-

petebat. In privilegio enim anno præcedente 963. monasterio Laurishamensi concesso: *Otto Dei gratia Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum* vocatur in Chron Laurish. apud Freherum pag. 69. & apud Meibomium ad Wittichindum pag. 123. Hoc jure Johannem XII. hominem sceleratissimum Pontificatu pepulerat, qui *totam vitam suam in adulterio & vanitate duxit*, ait Petrus Bibliothecarius: cui etiam, auctore Luitprando lib. VI c. 17. in Concilio Romano objectum, quod in amorem diaboli vinum bibisset; quique in adulterio deprehensus interiit, ut Platina testatur: Eadem ergo per omnia utriusque constitutionis Hadriani & Leonis est ratio; & illa, si firmo stat talo, non magna causa fuit, cur aut Baronius tom. x. Annal. ad A. 964 n. 26. hanc in dubium vocaret; aut Pagius ad A. eund. n. 6. eam sub finem sæculi septimi decimi a schismaticis confictam clamaret; aut Natalis Alexander t. VI. Hist. Eccl. sæc. 9. c 1. eam hominibus otiosis & imperitis acceptam ferret. Decreti enim istius compendium olim sæculo XII. Ivo Carnutensis, in Gallia Episcopus, in Pannomia sua lib. VIII. c. 136 & Gratianus *can.* 23. *Dist.* 63. dederunt: ejusque fidem Crantzius l. IV Metrop. c. 10. Sigonius l. VII. & VIII. Hist. Ital. & Petrus de Marca lib. VIII. de concord. c. 12. §. 10. sunt secuti. Nec tamen diffiteor, temporibus illis diris, quibus bella inter Regnum & Sacerdotium flagrarunt, membranas & diplomata comminisci, eaque juxta caminos & loca fuliginosa squalore, tanquam antiquitatis larva, infulcare, criticum ludum fuisse. Nullum tam impudens mendacium hic est, ut teste careat, & pronior fidei lapsus, quia ab utraque parte falsæ rei graves auctores existunt Nimium certe nobis blandimur, si Iliacos intra muros & extra hic peccatum esse negemus. Attamen tanta argumentorum pondera adversus illam chartam, nondum in medium prolata sunt, ut vadimonium nobis deferendum sit; aut nuper mirari debuerit Vir Clarissimus, *Viros historiæ & criticæ artis peritos ejus ge-*

neris næniis fidem potuisse habere. Qualiacunque enim pacti fuerint verba, pactum initum esse omnes affirmant, & quod ad ejus tenorem attinet, acta nobis adstipulantur. Quum enim Johannes XII. adventante Othone, fuga sibi consuluisset, *Clerici atque Laici Romani, uno consensu atque voluntate, rogaverunt Imperatorem, ut Sanctæ matri Ecclesiæ dignum Pontificem & pium Rectorem tribueret*; verba sunt Petri Bibliothecarii in vita Joh XII. Adhæc Chronographus Farfensis tom. III. apud Duchenium refert, interemto Johanne XII. in cujus vivi locum Leo VIII. surrogatus fuerat, Romanos, antequam ad novam Pontificis electionem procederent, Othonis consensum expetiisse: *Romanorum nuncii ad eum in civitate Reatina venerunt, mortemque Johannis intimantes, Benedictum ei Diaconum petierunt successorem, sed minime obtinere valuerunt. Revertentes autem Legati eundem elegerunt Benedictum, sine consensu Imperatoris. Unde Imperator magis in iram exarsit, & civitatem undique gyravit, & in tantam penuriam adduxit, ut modius furfuris venderetur triginta denariis. Coangustati vero Romani innocentem Benedictum Imperatori tradiderunt, & dominum Leonem Papam coacti receperunt; spondentes ei & Domino Imperatori super corpus B. Apostoli Petri.* Clarius Luitprandus lib. VI. c. 6. *Cives*, inquit, *sanctum Imperatorem cum suis omnibus in Urbem suscipiunt, fidelitatemque promittunt, hæc addentes & firmiter jurantes, nunquam se Papam electuros, aut ordinaturos, præter consensum atque electionem Domini Imperatoris Othonis, Cæsaris Augusti, filiique ipsius Regis Othonis.* Quid mortuo Leone factum, narrat Continuator Reginonis ad A. 965. *Eodem anno dominus Papa Leo obiit. Tunc Legati Romanorum Imperatorem pro instituendo, quem vellet, Romano Pontifice in Saxonia adeuntes, honorifice suscipiuntur & remittuntur. Et Otgarus Spirensis Episcopus, & Luitprandus Cremonensis, cum iisdem Romam ab Imperatore diriguntur, tunc ab omni plebe Romana Joannes eligitur.* Denique quid multis opus est? Ipse Baronius tom. X. ad A. 962. Othonis diploma refert, cujus

 au-

autographum, aureis litteris exaratum, in castello S. Angeli asservari ait, in quo decretum Eugeninnum, § præcedente memoratum, confirmatur Othoni, & prohibetur electus Pontifex consecrari, priusquam promissionem fecerit, qualem Leo VII. sponte fecerat. Verba ejus sunt sequentia: *Salva in omnibus potestate nostra, & filii nostri, posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto, & constitutione, ac promissionis firmitate Eugenii Pontificis, successorumque illius continetur, id est: Ut omnis Clerus & universa populi Romani nobilitas, propter diversas necessitates, Pontificum irrationabiles erga populum sibi subjectum asperitates retundendas, sacramento se obligent, quatenus futura Pontificum electio (quantum uniuscujusque intellectus fuerit) canonice & juste fiat, ut & ille qui ad hoc sanctum atque Apostolicum regimen eligitur, nemine consentiente consecratus fiat Pontifex, priusquam talem in præsentia Missorum nostrorum, vel filii nostri, seu universæ generalitatis faciat promissionem, pro omnium satisfactione, atque futura conservatione, qualem dominus & venerandus pater spiritualis, pater noster Leo sponte fecisse dignoscitur.* Hoc vero diploma apud Severinum Binium tom. III. Concil. gen. p. 2. pag. 1061. itidem laudatum, Melchior Goldastus suppostitium esse censuit, tom. II. Constit. imp. pag. 393. sed cujus rationes vanas pronunciavit Pagius, contra certissimum, ut vocat, antiquitatis monumentum. tu vide Cl. Simonis Henr. Hahnii introd. in Hist. Germ. p. II. c. 3. §. 13. juncto Papebrochio in conatu chron. hist. pag. 161.

§. XIII.

Ex ista igitur, quantum satis est nostro instituto, probata & adjurata Synodi generalis lege, non Othoni tantum Magno, aut ejus Augustæ familiæ; sed omnibus etiam ejus successoribus, & nationi Germanicæ, æternum jus in Italiam, sedemque ejus Episcopalem quæsitum est; ut Pontifices constituere, eosdemque dejicere potuerint, si sceleris convicti aut impietatis. Statim sub Othone II. Germanicis & Francicis bellis implicito, quum Romani, parandæ libertatis

tatis

tatis avidi, quos libido ferebat, Pontifices creabant, Imperator in Italiam expeditionem suscepit, & præsentibus Missis suis, Benedictum VII. creari curavit: sicut Marianus Scotus, Sigebertus & Sigonius tradidere. Ab eodem S. Majolus, Abbas Cluniacensis, *ad culmen Apostolicæ dignitatis precibus impelli cœpit continuatis*, ait Syrus Monachus in vita Majoli LIII. c. 8. Jam vero Gregorium V. eoque defuncto Sylvestrum II. quis elegit, quis alius ad fastigium evexit, quam Otho tertius id nomen Imperator? Ita de eo Glaber Rodulphus lib. 1. Hist. c. 4. *Contigit*, ait, *initio imperii Othonis, ut Sedes Apostolicæ Urbis Romæ proprio viduaretur Pontifice. Ipse vero illico Imperiali usus præcepto, quenquam suum consanguineum elegit, atque ex more in sede Apostolica sublimari mandavit.* Quum deinde Crescentius Consul alium Pontificem instituisset, Otho Urbe occupata, Crescentium in trabe excelsa suspendi, Papæ autem, ab ipso electo, manus amputari, & oculos erui præcepit: quam historiam Ditmarus prolixe narravit, qui hunc quoque Ottonem *Advocatum Ecclesiæ Sancti Petri effectum tradit* lib. IV pag 353 cujus summam quoque potestatem in exarchatum & ducatum Romanum Muratorius satis adstruxit. Rursus Henricus II. sub initium sæculi XI. Gregorium quendam schismaticum in ordinem redegit, atque Benedictum VIII. vi Urbe pulsum restituit: ut tamen expressis verbis sibi confirmari curaret jura decessorum; ne Pontifex aliter, quam obtenta confirmatione, in præsentia Missorum suorum consecraretur. Diploma habet Baronius ad A. 1014 & Goldastus tom. 1. Const. Imp. p. 227. sed quod genuinum non esse, Cl. Hahnius p. 11. Introd. Hist. c. VI. §. 10. ostendere voluit. Illud constat, ipsum nimia lenitate, ob quam *Sancti* & *Patris* Clericorum nomen tulit, Augiæ illi stabulo purgando imparem fuisse; unde recruduerunt motus in Italia, quibus componendis Conradus Salicus Romam profectus est, *ceu Advocatus primus & Defensor Romanæ Ecclesiæ.* Sed hoc vix defuncto triceps ibidem monstrum succrevit; uno schismatico

tico Papa in Laterano majore, altero ad Mariam, tertio ad S. Petrum sedente. Henrici autem III. qui alias Niger dictus, integra stetit in his, vitio creatis, deponendis auctoritas: nam Suidgerum Bambergensium Episcopum, in Sutrina Synodo summum Pontificem elegit; jurantibus tum rursus Romanis, se sine Imperatoris consensu, Papam non esse electuros. Verba diplomatis exhibet Goldastus tom. uno pag 231. rem ipsam Sigebertus Gemblacensis ad A. 1046. *Romæ*, inquit, *uno contra duos, & duobus contra unum de papatu contendentibus, Rex Henricus contra eos Romam vadit, & eis canonica & imperiali censura depositis, Suidigerus Bambergensis Episcopus, qui & Clemens, Romanæ Ecclesiæ præsidet, & ab eo Rex Henricus in Imperatorem benedicitur; jurantibus Romanis, se sine ejus consensu nunquam Papam electuros.* Hunc in finem antiqua Patriciatus dignitas renovata est: nec enim ipse tantum in Bullario Casinensi t. 2. sese *Imperatorem & Patricium* vocat; sed & Advocatus Regius in Concilio Osboriensi, apud Frenium in *patricius*, inquit: *Hoc negare non potes, quod pater domini mei Regis piæ memoriæ Henricus* (III.) *Imperator, factus est Patricius Romanorum, a quibus accepit in electione super ordinando Pontifice principatum.* Hinc ex illo tempore longe meliores Papæ ab Imperatore ex Germania missi sunt: Damasus II. & Leo IX. Viri de Ecclesia optime meriti, & in album sanctorum relati: quanquam posterior noluit oblatum sibi ab Imperatore sumere pontificatum, nisi de cleri Romani voluntate constaret; teste Ottone Frising. lib. VI. c. 33. Postquam vero Henricus III. relicto filio admodum puero, fatis concessit, Benedictus quidam in Sedem involavit; sed missus est ab Henrico IV. Nicolaus II. & illi surrogatus, qui in plena Synodo principatum super ordinatione Romani Pontificis Cæsari confirmavit, ut præter chronographum Virdunensem, fidem facit Advocatus Regius apud Baron. ann. 1059. n. 54. Decreti hujus meminit Ivo Carnotensis, & integrum ejus exemplum, in vetustissimo libro Abbatiæ monasterii Farfensis litteris Lango-

gobardicis ſcriptum, etiam apud Gratianum in *can.* 1. *diſt.* 23. reperitur: cujus in §.4 verba ſunt iſta: *Salvo debito honore, & reverentia dilecti filii noſtri Henrici, qui in præſentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, ſperatur, ſicut jam ſibi conceſſimus, & Succeſſoribus illius, qui ab hac Apoſtolica Sede perſonaliter hoc jus impetraverint.* In Nicolai locum idem Henricus IV. Honorium ſuffecit, & cùm corona *Patricii Romanorum* titulum ſumſit, auctore Hermanno contracto ad A. 1061. Bertholdi Conſtantienſis ad eundem A. verba ſunt iſta: *Romæ Nicolao Papa defuncto, Romani coronam & alia munera Henrico Regi transmiſerunt, eumque pro eligendo ſummo Pontifice interpellaverunt. Qui ad ſe convocatis omnibus Italiæ Epiſcopis, generalique conventu Baſileæ habito, eidem impoſita corona,* Patricius Romanorum *appellatus eſt.* Mabillon tom. 1. Muſ. Ital. part. 2. pag. 63 hoc ipſum ex prologo Johannis Grammatici confirmavit: cui accedat Matth. Pariſienſis ad A. 1084. *Henricus tamen in Imperio reſtitutus eſt, & a Papa Clemente benedicitur Patricius Romanorum.* Sic itaque jus illud Imperatorium, in ordinatione ſedis Romanæ, ab Othone ad Henricum IV. adeo conſtans fuit, ut quotquot illam a Leone VIII. uſque ad Gregorium VII. tenuerunt, vel ab ipſis Imperatoribus conſtituti ſint, vel a ſi Clero & Populo electi, Imperatorum conſenſu coronati fuerint. Nunc vero omnia in pejus ruere, & Principum jura retro collapſa referri cœperunt.

§. XIV.

Simulac enim Hildebrandus, ſumto Gregorii VII. nomine, in Pontificatum invaſit, protinus ea meditatus eſt, quæ vergerent ad majeſtatis Imperatoriæ ruinam. Monſtrum illud hominis, non modo jus confirmandi Papam, ſed & omnem inveſtituram Epiſcoporum Henrico IV. e manibus excutere conatus eſt. Non eum pacta deceſſorum jurata; non cognita ſatis jura Imperatorum; non ſua ipſius confeſſio deterruerunt. Ipſe nondum Pontifex, ſed Subdiaconus Hildebrandus, a Romanis miſſus fuerat ad Henricum III.

A. 1054. ut successorem Leoni IX. peteret, quem etiam ex voto impetravit. Idem quoque veterator, & mille dolorum artifex, Cæsaris pro se impetraverat consensum; quem conditis postea decretis implorandum esse negavit, iniquissimo canonum prætextu. Testis est luculentus Schaffnaburgensis συγχρονος, ad A. 1073. ipsum, quod inconsulto Henrico IV. Papa electus, professum esse: *cogi se nullo modo posse, ut ordinari se permitteret, donec in electionem suam tam Regem, quam Principes Regni Teutonici consensisse, certa legatione cognosceret. Hac ratione distulisse adhuc ordinationem suam, & sine dubio dilaturum, donec sibi voluntatem Regis, certus inde veniens nuncius itimaret.* Inter arrogantes vero ejusdem Dictatus, sive, ut Baronius vocat, Privilegia Apostolicæ Sedis, egregia illa post axiomata legebantur, a nemine decessorum ejus unquam attentata: *Quod solus Papa possit uti Imperialibus insigniis. Quod Papæ liceat Imperatores deponere.* His prior status plane inversus est, tantaque mutatio inducta, ut Pontifices, qui subditi fuerant, nunc Imperatores fierent; quique horum majestatem comiter venerari debuerant, nunc ab Imperatoribus essent adorandi. Nec deerant homini vaferrimo colores, & speciosi religionis prætextus, quibus fœdam ambitionem palliaret. Provocabat ad Conciliorum decreta, & Patrum statuta, quæ electionem Episcopi) sed ex vilioribus aularum mancipiis, temerario conatu) a Principe factam damnant; secundum canonem 3. Synodi Nicænæ II. quo cautum: *Si quis Episcopus sæcularibus Potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregentur omnes, qui illi communicant.* Urgebat submissionem Magni Constantini, qui in Concilio Nicæno sedere noluerit, nisi in sede humiliore, quam Episcoporum sedilia essent, nec nisi Episcopis annuentibus. Nihil indecentius videri, quam ovem Pastori, laicum Christi Vicario præesse. Quinimo pro monstro haberi, si filius patrem generet: homo Simoniacus & vitiis immersus Deum creet, aut creatum confirmet. Breviter hoc os Gregorio fuit, ut meliorem summi imperii par-

partem, quam Principi rapiebat, ipsi Petro deferri caufaretur. *Gregorius suis decretis dimidium Cæsari tollebat*, scribit Onuphrius Panvinius in ejus vita. Nec tamen jus suum, Gregorio Pontificatu exuto, vindicare desiit Henricus. Sic enim Leo Ostiensis Chron. Casinensi lib. II. c. 79. *Quo facto Imperator valde lætificatus, cum omnibus ejusdem Concilii Episcopis, Romam venit, & in Ecclesia beati Petri Apostoli, congregato Clero populoque Romano, primo quid Sutri actum fuisset, exposuit; dehinc tractare cœpit de ordinatione ipsius Romanæ Ecclesiæ. Facta itaque discussione, quisnam in eadem Ecclesia dignus inveniretur, tanto sacerdotio fungi, cum nullus heu proh dolor! reperiretur, demum electione cunctorum Episcopus Bambergensis, de gente Saxonum, Papa Romanus levatur, eique Clemens nomen imponitur.*

§. XV.

Non permittit instituti nostri ratio, ut fata pestiferæ Gregorii doctrinæ, & funestas contentiones, quæ sub Henrico V. inter Regnum & Sacerdotium sunt enatæ, exequamur. Illud autem præterire non licebit, minus recte clarissimum Mabillonium tom. I. Mus Ital. part. 2. pag 42. calculum duxisse, ubi hunc in modum scribit: *At quo tempore abrogari cœperit, ille transmittendi Decreti ritus, nono an decimo sæculo, aliis examinandum relinquimus. Illud constat, undecimo sæculo, per illas funesti Romanorum Pontificum cum Imperatoribus dissidii tempestates, hunc morem penitus intermissum esse.* Nec magis exacte Celeberrimus Pagius in Crit. ad A. 1073. n. 6. suscepto examine illo, Gregorii VII. ordinationem ultimam esse pronunciat, quæ coram Henrici IV. Legatis peracta sit; exinde vero Ecclesiam hoc onus excussisse. Sed quum Paschale fatis functo Gelasius, inconsulto Henrico V. Papa electus esset, *Horrendum fremuit Princeps*, ait Poeta in epitaphio Gelasii, eique A. 1118. Burdinum, dato Gregorii nomine, opposuit; ut ex Anselmo Abbate Gemblacensi, tum vivente, ex Eadmero, Romualdo & Olderico Vitale docuit Baluzius lib. III. Miscell. pag. 493. Cui addi-

dimus, tantum abfuisse, ut Henricus jura hæc Imperii negligeret, ut ei fini Patricii titulum adsciscerct, quemadmodum docemur a Willelmo Malmesburiensi qui lib. v. de Gestis Anglor. ita scribit: *Exeunti de camera, & suis Regalibus, exuto, occurrerunt Romani Patricii cum aureo circulo, quem imposuerunt Imperatori in capite, & per eum dederunt sibi summum Patriciatum Romanæ Urbis, communi consensu omnium & volenti animo.* Jam quidem Herculi facilius clavam, quam Cardinalibus insignem, quam semel & iterum nacti erant, libertatem excussisses: similem tamen in modum sequentes Imperatores, Lotharius & Conradus III. modis omnibus jus illud regii consensus vindicare conati sunt; unde Petrus Diacon. lib. iv. Chron. Casin cap. 120. *Lotharius coronam Patriciatus accepturus in civitate mansit.* Præcipue autem Fridericus I. nobis memorandus est, jurium Imperii strenuus defensor, & majestatis patriæ studiosissimus Imperator; cujus auctoritatem, vere Frisingensis scribit, non solum in sæcularibus, sed & in *ecclesiasticis* negotiis plurimum crevisse; qui etiam idcirco *Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ defensor* apud Radevicum vocatur. Is vero Hadriano IV. mortuo A. 1159. schismati auctoritatem suam interposuit; & convocata Synodo Papiensi, in favorem Octaviani, cui post Victoris nomen, pronuntiavit: cum ante publico edicto testatus esset apud Goldastum tom. 1. Const. Imp. p. 270. *Cathedram tanti regiminis aliam personam nullatenus recipere intendimus, nisi quam ad honorem Imperii, & quietem & unitatem Ecclesiæ, unanimi & concordi assensu fideles elegerint.* Iterum mortuo A. 1164. Victore, surrogatum Paschalem in odium Alexandri III. firmavit: qua de re memorabilia sunt, quæ Aventinus lib. vi. Ann. circa finem tradit: *Imperator mense Majo, apud Wurtzburgum conventum Episcoporum Senatusque imperii cogit. Coeunt frequentes Archi-Mystæ. minores Pontifices, Præsides, Duces, Præfecti; Vidonem Pontificem Maximum legunt, Paschalemque vocant. Fit Senatusconsultum, nullum posthac fore Pontificem Maximum, nisi qui more majorum* con-

consensu Imperatoris creetur, atque nuncius duntaxat Christi, Successorque Petri, non etiam Cæsareæ potentiæ pertinax æmulus esse velit. A singulis exactum juramentum, haud alium aut recepturos, aut passuros Pontificem Max. perpetuo, etiam mortuo Imperatore. Sacramentumque primus dixit Christianus Moguntinus, Pontifex designatus, deinde ceteri Episcopi, postea Imperator & Principes jurarunt. Multa alia de hoc Heroe litteris mandarunt Otto Frisingensis & Guntherus in Ligurino. Videtur autem diuturnum schisma, quod Alexandrum III. in Galliam fugere coegit, concilio generali Lateranensi ansam dedisse, in quo definitum est, ad solos Cardinales electionem Pontificis pertinere debere *c. 6. X. de elect.* Vide Historiam concordiæ inter Alexandrum III. & Fridericum I. plenius, quam apud Baronium, ex Vaticanis Codicibus, & optimis quibusque Auctoribus collectam, & a Felice Conteloro editam Parisiis A. 1632. Haud segnius, in vindicandis Imperii juribus, postea sese gesserunt Otho IV. Fridericus II. & Henricus VII. cujus mors immatura egregium propositum rupit. Maxime vero Ludovicus IV. æternum illud Bavariæ ornamentum, fugientem Cæsarum in Pontificis electione auctoritatem stitit, dum convocata A. 1328. Synodo, Johannem XXII. Papam, læsæ majestatis, aliorumque criminum convictum & damnatum, exauctoravit, Petrumque Reinalucium, sub Nicolai V. nomine, Pontificem substituit. Extat ejus decretum apud Aventinum lib. VII. c. 17. & Goldastum Const. Imp. tom. 1. pag. 328. Albertus Argentinensis pag. 124. hunc illa in hæresi fuisse, ait, *quam Maredius de Padua & Joh. de Jeuduno invenerunt, scilicet quod ad Imperatorem pertinet deponere Papam, & constituere, quod ipse de facto fecit.* Acta pleniora exhibuit Baluzius vit. Papar. Avenion. t. 2. pag. 478. seqq. cui Clarissimi viri Pfeffingerus ad Vitriar. lib. 1. tit. 15. §. 22. & Struvius Synt. jur. publ. c. 2. §. 4. addantur.

§. XVI.

Tepuit deinde Imperatorum industria, quum temporum ini-

iniquitas, & belli Turcici incommoda, intestinum etiam religionis dissidium optima consilia turbarent. Unum ergo examinandum restat, an non tanti temporis lapsu, usuque contrario extincta sint Cæsarum jura, quæ ipsi scientes & volentes perire passi sunt. Bellarminus enim possessionem octingentorum annorum quietam, & cum negligentia Cæsarum conjunctam urget. Nec diffiteri licet, a Ludovici IV. temporibus nihil memoratu dignum, pro revocando hoc jure, gestum esse: sed contra Imperatores cum Papis, sine confirmatione sua creatis, ut legitimis egisse. Naturali autem instituto, jura regnorum & rerumpublicarum sedulam requirunt curationem, & adeo parum somnolentiam ferunt; ut licet alter imperii reverentiam, nec bona fide, nec tempore longo excusserit, favore tamen libertatis pro justo ejus titulo pronuntiandum sit, ex quo derelictio innotuit. Id enim nisi admittamus, maximum sequeretur incommodum, ut controversiæ de regnis & juribus, quæ imperio cohærent, nullo unquam tempore extinguantur; quod communi gentium sensui repugnare, eleganter docuit Vir summus, Hugo Grotius *de J. B. & P. lib.* II. *c.* 4. Henricus etiam Henniges ad Beckeri Jus publ. l. 1. c. 2. præscriptioni Pontificum favet aperte; nec ab ea sententia personatus Monzambano c. 1. §. 14. & Cl. Thomasius in notis alieni esse videntur. Quod ad me attinet, dubii hujus difficultatem agnosco: nec tamen cum Vasquio & Puteano dicam, præscriptioni inter gentes non esse locum. Neque cum juris publici Doctoribus defectum requisitorum, justi tituli &c. urgebo; quum gentium jura ad normam juris Romani parum apte exigantur. Quietæ autem possessioni, quam Bellarminus tot sæculorum esse jactabat, Conringius tum nomen *Romani Imperatoris* constanter retentum, tum formulam in coronatione Cæsarum Romana usitatam: *Da servo tuo, Imperatori nostro*, aliaque opposuit; quæ libro ejus II. de Finib. Imp. c. 21. legi possunt. Quanquam ego post inaugurationem Romanam, a Caroli V. temporibus usque omis-

omissam, in eo arcem disputationis non pono: ut qui didici plus nimio, in spissis illis prudentiæ civilis & juris publici tenebris, coronationi tributum esse, ipsosque Imperatores ab ea potissimum per errorem, jura sua derivasse. Vid. diploma Caroli IV. apud Matthæum lib. 11. de nobil. c. 48. pag. 747. & aliud Wenceslai, Ruperto Palatino datum, apud Tolnerum in append. Hist. Pal. n. 148. Verum enimvero metuo, ut sola præscriptio tranquillam reddere possit Pontificis & Purpuratorum conscientiam, si verum est, quod in *c. 25. X. de Jurej. & c. 2. de pact in 6.* dicitur; omne jusjurandum, quod sine dispendio æternæ salutis servari potest, servandum esse: si Innocentii III. Synodalis definitio, in verbo Dei, ut ait, fundamentum habet, qua *c. f. X. de Præscript.* cautum: *Ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica quam civilis. Cum generaliter sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte, rei habeat conscientiam alienæ.* Multa quippe Pontificem Urbis Episcopum sic constituunt in mala fide; & quominus præscribere potuerit, obstant tot Cæsarearum confirmationum tabulæ, agnitæ subjectionis documenta. Frustra utique Patroni Papales urgent immemorialem præscriptionem, tot actibus tamdiu interruptam. Quinimo hi licet deficerent, jura tamen imperii, quæ non habent quotidianum exercitium, sed ubi commodum erit, non amittuntur negligentia decessorum; nec aliter actus, qui sola voluntate & facultate agentis constant, præscriptione tolluntur, quam ex quo tempore prohibitio intercessit, eique paritum, cum sufficiente consensus significatione, ut Grotius docuit lib. II. c. 4. §. 15. Adde quod Deus Saulem jussit in Amalekitas arma capere, quod hi ante trecentos quinquaginta & amplius annos, Hebræis iter præcluserant, 1. Sam. XV. 2. Act. XIII. 20. magno argumento, solum temporis lapsum tollendo juri non sufficere: in primis si duro vel iniquo tempore, alteri non licuit jure suo

uti, sed ejus vindicatio in occasiones magis opportunas fuit differenda. Non alium sane contradictionis fructum masculi tulerunt Imperatores, quam

---- ---- qui adverso vix flumine lembum
Remigio subigit; si brachia forte remisit.

§. XVII.

Fortissimum autem, pro jure Imperatoris, fundamentum in pacto jurato Leonis VIII. cum Othone I. quærendum videtur; quod exemplo Carolini non modo cum præcipuo illo Urbis membro, sed cum Concilio generali, cum Senatu Populoque Romano initum est, jurantibus tunc Episcopis, Clero & Civibus, *nunquam* se Papam electuros, aut ordinaturos, sine consensu & confirmatione Imperatoris: id quod sub eadem formula sæpius deinde repetitum vidimus. Neque Othoni tantum & filio ejus Romani fidem suam obstrinxerunt: nam *successorum* & *posterorum* in pacto utroque expressa fit mentio, & quamvis neglecti essent, locus tamen foret, prudenti Pedii regulæ: personas plerumque pacto inseri, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur, cum quo pactum factum est *l.* 7. §. 8. *D. de Pactis.* Jam vero idem systema urbis Romæ adhuc durat, & mortuis licet paciscentibus, idem spiritus, & vitæ civilis superest consociatio. Quemadmodum enim corpus naturale idem esse non desinit, particulis paulatim commutatis, donec una species manet, ut Alphenus Varus disserit in *l.* 76. *D. de Judiciis:* sic idem Clerus, idem populus Romanus est & erit, licet nullus jurantium vivat; μεχρις αν η ποιουσα και συνδεουσα ταις επιπλοκαις κοινωνια την ενοτητα διαφυλαττη. *quamdiu illa, quæ populum facit & mutuis nexibus vincit, communio jus unitatis suæ servat*, eleganter ait Plutarchus de sera Numinis vindicta pag. 559. Illud præterea certum est, pacta quæ cum libero populo ineuntur, sua natura esse realia; & actus majorum juratos, semper posteros stringere, si alteri populo ex iis jus quæsitum est: nam licet jurisjurandi obligatio personam tantum afficiat, promissio tamen ligat heredem, ait Grot.

Grot. de J. B. & P. l. II. c. 16. §. 16. & egregie firmat Pufendorf. lib. IV. de J. N. c. 2. §. 17. & l. VIII. c. 9. §. 6. Velim ergo, Purpurati illi Proceres animum adverterent ad grave illud Livii, at hominis gentilis, judicium; lib. III. cap. 20. quum enim Tribuni quidam cavillabantur, quasi populus religione patrum non teneretur: *Nondum hæc*, inquit, *quæ hoc tenet sæculum, negligentia Deûm venerat: nec interpretando sibi quisque jusjurandum & leges aptas faciebant*; *sed suos potius mores ad ea accomodabant.* Licet etiam, quod ad alia quædam jura omissa attinet, non inficiemur, nonnullis Imperatores imbelles cessisse; frustra his asseri dominium Romæ; multa item jurium derelictorum signa apparere: animum tamen retinendi *Advocatiam* Ecclesiæ Romanæ, produnt infinita diplomata, sparsim a nobis laudata; evincunt Caroli IV. Aurea Bulla, Leges, & Recessus Imperii, in quibus Imperator a Carolo Magno, ad hæc usque tempora, *Temporale caput Populi Christiani*; *Caput & defensor orbis Christiani*; *Supremus Advocatus Ecclesiæ, & cathedræ Romanæ* appellatur. *A. B. tit.* 2. §. 3. *Rec. Imp. de A.* 1512. 1529. §. 1. *A.* 1530. §. 9. & 1541. §. 19. Hoc nomine pag. 42. supra diximus, Alexandrum IV. monuisse Electores, *ut Advocatum Ecclesiæ eligerent.* Hinc Lotharium Imp. ad tuendam Ecclesiam Romanam, adversus Siciliæ Regem Rogerium, sollicitavit Bernardus epist. 139. *Non est meum hortari ad pugnam, est tamen Advocati Ecclesiæ, arcere ab Ecclesiæ infestatione schismaticorum rabiem; est Cæsaris propriam vendicare coronam ab usurpatore Siculo.* Huc etiam pertinet jusjurandum, quo Lotharius primum, deinde Otto IV. Rudolphus Habsburgicus, aliique defensionem Ecclesiæ Romanæ promiserunt, quod & præstitit Carolus V. ut tamen Advocatum natura sua superiorem esse cliente ostenderet, seseque de jure suo nihil decessurum testaretur, auctore Jovio lib. 27. & Sleidano lib. VII. Sic in omnibus Capitulationibus, etiam in novissima CAROLI VI. art. 1.

defensio & tutela Sedi Romanæ promittitur, & si res postulat præstatur. Atqui secundum naturam est, commoda rei eundem sequi, quem incommoda sequuntur. Gaudeat ergo Augustus quandoque jure Advocatiæ Majestaticæ, &, si per ambitionem id licet, discant tandem ingrati ejus clientes, ex Christi, Pontificis maximi veri & unici præcepto, *Cæsari reddere, quæ sunt Cæsaris!*

TANTUM.



DIS-



DISSERTATIO SECUNDA, DE Nuptiis Consobrinorum.



Ihil in rebus mortalium perinde venerandum est, atque matrimonium, nihil utilius, & toti generi humano magis necessarium. Quod enim ad ejus originem attinet, ab ipso summo Numine in Paradiso est institutum, nec sanctiora tantum quæque gentilium mysteria ejus sanctimoniam adumbrant; sed in sacris litteris frequentissime etiam conjugii spiritualis symbolum, ad describendam Christi & Ecclesiæ unionem, adhibetur. Ad Rempublicam si oculos vertamus, fateri cogimur, liberorum procreationem omnis societatis civilis esse seminarium, omnis amoris, charitatis & benevolentiæ firmamentum. Individuo quippe hoc omnis vitæ consortio uterque sexus ita conglutinatur, & clavo velut trabali conjungitur, ut duo fiant in carne una, sexusque imbecillior præsidium ex mutua societate sumat: inde familiæ propagantur, regna conduntur, & frequentia redduntur. Interest ergo Reip. ut tanti momenti, &, quod caput est, indissolubile negotium, non temere, vel inconsulto affectu, sed ordine decoro ac maturato consilio contrahatur. Pleræque gentes idcirco per gradus pactorum & sponsaliorum ad nuptias procedi

cedi voluerunt. Solennitatibus addidere sacrificia, mensium quoque, dierum ac temporum haud levem delectum habentes. Apud populos cultiores hoc amplius frenum aliquod lege fuit impositum, quo contrahentes personarum discrimen observare jussi; ne ut equus aut mulus, quibus non est intellectus, ad sanguinem suum hinnirent, & sceleratis amplexibus pudorem, honestatem, fas & mores calcarent. Quanquam enim promiscua & pecuina propagandi ratio ipsi naturæ hominis rationali repugnat; quo sanctior tamen lex & inviolabilior est, eo vehementius malis violandi desiderium gliscit. Immo licet jus naturale & pudor aliquando non adversetur, sepes tamen gradibus sanctioribus objicienda fuit, & propter vicinitatem illiciti, ad quosdam ulteriores protendendi verecundiæ fines: pariter enim ac aliis contractibus, sic huic quoque conventioni Princeps modum finemque præscribere potest. Variæ hinc deducuntur nuptiarum prohibitarum classes: aliæ enim semper incestæ sunt, & nefariæ jure gentium: aliæ sic inhonestæ, ut tamen nonnunquam aliter se habere possint: aliæ indecoræ, quas ratio deteriores licet, non tamen abscisse prohibitas judicat: aliæ rursus nec inhonestæ sunt, nec indecoræ, propter rationes autem civiles vetitæ: & aliis denique neque divinum neque civile jus adversatur. Consobrinorum nuptiæ quorsum referri debeant, in diversa abierunt Imperatores, Pontifices, Theologi & Jurisconsulti, veteres pariter ac recentiores. Quamobrem operæ pretium me facturum existimavi, si ancipitis hujus quæstionis momenta & juris progressus per varias ætates, distinctis capitibus quatuor exponerem; eamque ex jure gentium & divino, tum ex priscis Romanorum moribus, ex Theodosii Magni ejusque filiorum Augustorum legibus, ceterisque ad Justinianum usque constitutionibus, a Justiniano autem ad hæc usque tempora, ex Græcorum, Gothorum, Germanorum veterum, & Canonum jure inprimis, pro virili parte illustrarem. Fastidient forsan delicatuli cibum hunc, velut recoctum,

ctum, dapesque opipare olim a Contio, Sirmondo, Florente & Gothofredo conditas esse crepabunt:

Sed tamen & parvæ nonnulla est gratia Musæ;
Appetitur posito vilis oliva lupo.

CAPUT I.

EXPONIT VOCES.

§. I. *Nuptiarum voce ambigua cur utamur.* II. *Consobrini unde dicti; Caji & Pauli allusio explosa. Vox late patet.* III. *Sobrinorum & consobrinorum nomina confunduntur. Pauli scriptura adversus Contium & Hotmanum defensa. Tacitus illustratur.* IV. *Consobrini cur fratres & sorores patrueles; item fratres & sorores absolute vocentur.* V. *Cur fratrueles. l. 1. ad L. Pompejam de parr. difficultas.* VI. *Quantus harum observationum Grammaticarum sit usus, ex Plauti Pœnulo male intellecta ostenditur. Quis proprior sobrino.*

§. I.

Priusquam ipsa spatia ingrediamur, non ab re erit, quid Nuptiarum & Consobrinorum nomine intelligamus, paucis præmisisse. Nuptias a *nubendo* dici, jam tirones norunt; ad nauseam quoque illustratus est mos ille vetustissimus, quo sponsa, cum ad maritum deducebatur, faciem flammeo obtegebat. Lutei coloris hoc erat, ut ne virginis pudor proderetur, aut si quid in facie appareret pudoris, is e velo color, non e genis, emicare putaretur. Nec tamen caput modo, ut vulgo traditum, sed totum corpus obvelatum fuisse, e pompa nuptiarum Cupidinis & Psyches, in gemma Petri Ligorii sculpta, eleganter docuit Sponius Miscell. Erudit. Antiq. Sectione I. art. 3. Nuptiæ igitur prima nativitatis origine, ipsam nuptiarum festi-

 vi-

vitatem denotant: hinc titulus de ritu nuptiarum in Pandectis, & *solenne* vel *solennia nuptiarum* apud Suetonium & Tacitum. Quintilianus declam. 306. *Vis scire quid sint nuptiæ? Aspice illam virginem, quam pater tradidit, euntem die celebri, comitante populo.* Apud Plautum, Martialem & Apulejum idem vocabulum in obscœnis est, ut γάμος apud Græcos, ipsamque corporum commixtionem significat. Inde Festo *Nupta verba*, obscæna, & Petronio *Nuptias facere* τὸ συνουσιάζειν. Venit denique hac appellatione illa maris & feminæ conjunctio, mutuo consensu conciliata, quæ alias matrimonium appellatur, *l.* 33. *D. de Negot. gest. l.* 10. *D. de Ritu nupt. l.* 30. *D. de Reg. Jur.* Eaque significatio hujus est loci. Connubii vox displicuit, tum euphoniæ gratia, tum ne quis, lecto titulo, statim jus legitimi matrimonii, sine discrimine temporum, jurium & nationum, nos consobrinis tribuisse sibi persuaderet: Connubium enim est uxoris jure ducendæ facultas, definiente Ulpiano Tit. V. §. 3.

§. II.

Consobrini proprie sunt duarum pluriumve sororum liberi, ut Nonius Marcellus *cap. ult.* ex antiquis, & maxime ex Afranio, Jurisque vetustissimis scriptoribus constare ait. Cajus & Paulus in *l.* 1. §. 6. *D.* & *l.* 10. §. 15. *de Gradibus*, more Stoico, Jurisconsultis familiari, ex allusione id confirmatum ivere: *Eos & eas, qui quæve ex sororibus nati, natæve sunt, consobrinos, consobrinas, quasi consororinos*; quod repetit Justinianus §. 4. *Inst. de Grad. cogn.* Menagius autem cap. 39. Amœnitatum observat, τὸ *consobrinus* non ex consororinus, sed ex τῷ *consorinus* formatum esse hoc modo: a σορὸς est *sorus*, antiquum nomen Latinum, sed obscuratum: unde *sorinus* inusitatum quoque, pro quo deinde ἐπενθέσει τῷ B, *sobrinus*, *consobrinus*. Verum recepta consuetudine latius hoc nomen productum est, ut generaliter non tantum ex sororibus prognatos, sed patrui quoque, & amitæ, & avunculi filios filiasque comprehendat: qui propriis nominibus patrueles & amitini vocantur. *Vulgus istos omnes communi appella-*

pellatione consobrinos vocat, ait Cajus *d. l.* 1. & Paulus dicta *l.* 10. *Plerique hos omnes consobrinos vocant, sicut Trebatius.* Inter patrueles & consobrinos hoc intererat, quod illi agnati, hi cognati, quoniam per feminas conjunguntur. Sed quia hæc differentia in successione ab intestato tantum admissa & observata est, ideo Jurisconsulti pariter, ac alii scriptores, extra illam materiam, generali consobrinorum vocabulo usi fuerunt. Sic Justinus & Curtius Amyntam Alexandri *consobrinum* appellant, qui patruelis: & M. Lucullum Lucii consobrinum vocat Eutropius lib. VI. c. 7. qui agnatus erat, ut Scaliger docuit ad Euseb. p. 152. Ipse Cicero, Trebatii familiaris, Ligarii consobrinum appellat, qui ex matris ejus fratre natus erat, pro Ligario cap. IV. Isidorus quoque lib. IX. Originum cap. 6. *Consobrini vocati, qui aut ex sorore & fratre, aut ex duabus sororibus sunt nati, quasi consororini.* Generalius eos describit Glossarium Latinum: *Consobrini sunt, qui ex sorore & fratre, aut duobus fratribus, vel sororibus sunt nati.* Et mox: *Consobrinus est filius avunculi.* Atque sic omnes in quarto gradu constituti Consobrinorum voce a nobis hic designantur, pariter ac in *l.* 19. *C. de Nupt.* & alibi. Latino nomini exacte Germanorum *Geschwisterkinder*, & Belgarum *Susterlingen* respondet. Galli *Cousins germains*, Hispani *primos germanos* appellant. Vide Antonium Augustinum lib. II. Emendat. cap. 5.

§. III.

Differunt a consobrinis *Sobrini*, quod hi ex patruelibus, aut consobrinis, aut amitinis propagati, in quinto & sexto gradu, sic nominantur, auctore Gajo in *l.* 3. *D. de Gradibus*, & Ælio Gallo apud Festum, voce *Sobrinus.* Consobrini ανεψιοι, vel cum adjectione ανεψιοι προς πατρος, προς μητρος, vel εκ πατραδελφων, Græcis priscis: recentioribus εξαδελφοι, interdum πρωτεξαδελφοι appellati: Sobrini autem εξανεψιοι, vel ανεψιαδοι apud Demosthenem in oratione adversus Stephanum: minus eleganter δισεξαδελφοι, & δευτεροι εξαδελφοι dicuntur. Recte Septuaginta interpretes, in cap. ult. Numer.

 ubi

ubi filiæ Salphaati dicuntur nupsisse filiis patrui sui, reddunt una voce *ανεψιοῖς consobrinis*, qui *κασίγνητοι* a maximo Poetarum appellantur. Attamen consobrinorum appellatio tam lata est, uti sobrinos quoque comprehendat, si sequimur Paulum *lib. IV. Sentent. Tit. XI.* §. 6. & *l. ult.* §. 15. *D. de Gradibus*. Non me fugit Contium lib. 1. Subsec. lect. cap. 10. & Hotmanum lib. 1. Observ. cap. 12. pro *consobrini* hic maluisse *Sobrini*, Cujacium simul vellicantes, quod ad §. 4. *Inst. de Gradibus* fecerat cum Paulo: at illi si cogitassent, quam varie nomina cognationum confundantur, hac emendatione facile supersedissent. Ad Paterculum notavit Lipsius lib. II. cap. 3. Scipionem Nasicam Gracchi consobrinum vocari, qui erat sobrinus. Spartianus Trajanum & Adrianum Cæsares consobrinos facit, cum tamen Ælio, Ælii Adriani Imperatoris avo uxor fuerit, Ulpia, Trajani Augusti amita; ut observat Casaubonus, ad pr. vitæ Adriani. Insolentius est, quod Josephus Scaliger etiam admiratur, Ausonium fratrem uxoris consobrinum appellasse. Sed & contra Consobrini sobrinorum nomine veniunt apud Tacitum Annali XII. cap. 6. *Sobrinarum diu ignorata matrimonia.* Si enim proprie intelligas, non valida hæc erit ratio permittendi connubii cum fratris filia, quæ patruo in tertio gradu est, sobrini vero in sexto se contingunt. Tantum quoque abest, ut horum matrimonia tum fuerint ignorata, ut ipse Claudius jam ante Valeriam Messalinam, Barbati Messalinæ consobrini sui filiam, in matrimonium acceperit, nunc supplicio affectam, auctore Suetonio in ejus vita cap. XXVI. Aut igitur legendum est *Consobrinarum*, aut sobrinæ cum Lipsio & Ryckio explicandæ sunt consobrinæ. Glossæ antiquæ: *ανεψιος Consobrinus, Sobrinus.* Donatus ad Hecyr. Terentii Act. III. Sc. 5. *Sobrini sunt ex duabus sororibus: consobrini ex fratre & sorore.* Et in Andr. Act. V. sc. 4. *Sobrini sunt consobrinorum filii: nam sic dicit Menander: Verum, ut alii putant, de sororibus nati: ut sint sobrini, quasi sororini.* Ergo latissima

sima est consobrinorum appellatio, nec vox illa eodem ab omnibus sensu sumitur, apud Latinos. In Capitulari Pipini Regis Italiæ A. 793. c. 33. de inclitis conjunctionibus, sobrinus *insobrinus* vocari videtur: *Ita ut qui uxorem consobrino aut insobrino suo uxorem duxisset.*

§. IV.

Illud porro non omittendum, consobrinos ex fratribus vel sororibus ortos, *fratres* & *sorores* aliquando absolute, sæpius cum adjectione *patrueles* appellari. *L.* 16. §. *ult. D. de Castr. pec. l. pen. de SCto Silan.* Non equidem more Ebræorum, qui omne cognationis genus fratris & sororis nomine comprehendunt: *Genes.* 13. v. 8. *Levit.* 25. v. 25. Unde filiæ Elhazari dicuntur nupsisse fratribus suis, cum tamen nupserint patruelibus suis, patrui Kischi filiis 1 *Chronic.* 23. v. 21. 22. Sic Evangelista Matthæus 13. v. 53. ac Marcus 6. v. 3. Jacobum *fratrem Domini* vocant, qui vere Christi sobrinus aut consobrinus. *Nos fratres domini consobrinos Salvatoris, Mariæ liberos intelligimus, materteræ Domini; quæ esse dicitur mater Jacobi minoris & Joseph & Judæ, quos in alio loco fratres Domini legimus appellatos. Fratres autem consobrinos dici, omnis Scriptura demonstrat,* inquit Hieronymus in Matth. cap. XII. Similis autem, quæ Ebræos, ratio movit Romanos: quia consobrini per parentes uno patre natos conjungebantur, cumque illis in unius avi nonnunquam domo, vel saltem ejus in potestate constituti educabantur. Cicero de Finib. V. *Cicero frater noster, cognatione patruelis, amore germanus.* Et II. ad Attic. 7. de filio suo: *Cicero tibi mandat ut Aristodemo idem de se respondeas, quod de fratre suo* (patrueli) *sororis tuæ filio, respondisti.* Livius lib. XXXV. cap. 10. *His obtinuit, ut præferretur candidato, quem Africanus frater,* patruelis scilicet Scipionis Nasicæ, *deducebat.* Tacitus Ann. III. 2. *Drusus Terracinam progressus est cum Claudio fratre,* videlicet patrueli. Suetonius Julio cap. XXIX. *C. Marcello, qui fratri patrueli suo Marco in consulatu successerat,* quem Cicero *fratrem* absolute appellat lib.

lib. IV. ad fam. ep. 4. Sic etiam Constantius Imperator, Julianum Cæsarem designatum, *fratrem suum patruelem* vocat, apud Ammian. Marcellin. lib. xv. quum uterque duorum fratrum filii essent. Multa alia exempla conduxit Vir Cl. Henricus Brouwerus de jure connub. lib. 2. cap. 10. & Jacobus Perizonius Animadv. Histor. cap. 3. ubi & Schottum refutat Nodor. Cic. III. cap. 2. negantem, quemadmodum *fratres*, ita & *sorores* pro consobrinis poni. Cajus vero & Paulus in *l.* 1. §. *ult. l. ult.* §. 15. *D. de Gradibus* & *l. IV. Sent. tit.* 11. non minus *sorores*, quam fratres *patrueles* habent. Sed absolute Cicero Philipp. II. cap. 38. M. Antonii uxorem, etiam sororem ejus vocat, quia C. Antonii, patrui ejus erat filia: *Omnibus eum* (patruum) *contumeliis onerasti, quem patris loco colere debebas. Filiam ejus, sororem tuam, ejecisti, alia conditione quæsita.* Aurelius Victor in vita Theodosii cap. 76. *tanquam sororem* vocat consobrinam; Augustinus *pene sororem* dixit lib. xv. de C. D. c. 16. & Ausonius in Parentalibus Epigr. 28. de Julia Idalia consobrina:

Quæ genita est, mihi pene soror,
Filia nam fuit hæc amitæ.

§. V.

Verum non est quod miremur, Consobrinos fratres dictos esse, qui fraterna amicitia se amabant; quum Romæ obtinuerit, ut fraternitas non modo ex naturali, quæ hic adest, propinquitate, sed improprie ex studio, etiam ex amore & officio æstimaretur. Societatem jus quodammodo fraternitatis in se habere, dixit Ulpianus in *l.* 63. *pro Soc.* Et qui frater non est, si fraterna caritate diligitur, hunc recte cum nomine suo, sub appellatione fratris, heredem institui, Paulus scripsit in *l.* 58. *D. de Hered. instit.* Eleganter Quintilianus declamat. 321. *Certe quoties blandiri volumus his, qui esse amici videbantur, nulla adulatio procedere ultra hoc nomen potest, ut fratres vocemus.* Dulce ergo hoc consobrinorum cognomen usui tribuendum est, quem penes arbitrium

trium

trium est & jus, & norma loquendi. Petrus Chrysologus serm. 49. *Usus*, ait, *temporis, etiam præsentis, germanorum & germanarum filios fratres noscitur nuncupasse.* Immo latius adhuc evagata est *fratrum* appellatio, & ad sextum usque gradum & septimum, ad sobrinos & sobrinorum filios translata; qui omnes consobrini fratres, *Cognatos proprios, qui sunt ultra fratrem*, appellat Ulpianus in *l. 1. de inoff. test.* Ἐξανεψιοὺς Menander, τρισεξαδέλφους recentiores Græci vocarunt. Nec minor abusus in voce *fratruelis*, quæ fratris filium quibusdam notat: veteribus autem usque adeo fuit incognita, ut Paulus negaverit, fratris sororisque filios & filias nomen speciale cognationis habere, in *l.* 10. §. 14. *D. de Gradib.* At Latinitate declinante, Jornandes in Geticis, & Sigebertus in chronico, ex fratre nepotem ita nuncuparunt; ab horum æqualibus etiam sobrini & consobrini *fratrueles* dicti sunt, auctore Palæmone in Glossis. Isidorus lib. 9. Orig. c. 6. *Fratrueles*, inquit, *materteræ filii sunt.* Græcis fratris filius ἀδελφιδοῦς, ἀδελφιδοῦς, & sororis filia ἀδελφιδῆ vocatur; quo modo vocem posteriorem recte convertit Dionysius Exiguus, in can. 18. Apostolorum: perperam Haloander transtulit consobrinam. In quem errorem Erasmus quoque apud Lucianum, & Valla apud Thucydidem lapsi, quos eo nomine Budæus, Stephanus, Contius & Giphanius notarunt. Pauci sane absque offensa hanc Scyllam prætemavigarunt, nec apud ipsos veteres fratrum filii a consobrinis semper distincti. Quinimo ipsi Jurisconsulti, quorum maximus circa hæc vocabula labor, sibi constare non videntur. Ænigmatis instar est lex Pompeja de parricidiis apud Marcianum in *l. 1. de lege Pompeja: Si quis*, ait, *patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, avunculum, amitam, consobrinum, consobrinam occiderit.* Quibus in verbis *patrueles* non licebit eos, qui ex fratribus nati, & *matrueles*, qui ex matris fratre nati sunt, interpretari, sicut in *l. 26. D. de Senat. Silan. l. 1. §. ult. D. de Grad. Paul. lib. 4. sent. tit.* 11.

quia isti ante patruum & avunculum non possunt locum tueri, & patrueles sub generali *consobrini* vocabulo patruos statim sequuntur. Cujacius cum Græcis patruelem fratrem germanum, matruelem fratrem aut sororem uterinam explicavit, lib. VI. Obs. c. 17. Ego ampliandum censeo, ut tamen hanc interpretationem præferam violentæ emendationi Putabam trajectione verborum huic difficultati occurri posse, si legamus: *fratrem*, *sororem*, *patruum*, *avunculum*, *amitam*, *patruelem*, *matruelem*, *consobrinum*. Sed Marcianus in *l.* 3. *eod. tit.* monet, lege Pompeja de consobrino comprehendi, non etiam eos pariter complecti, qui pari prioreve gradu sunt. *Non pariter*, id est, non nominatim ipsis legis Pompejæ verbis, sed sententia, ut Ampl. Bynckershoek explicavit lib. 1. Obs. c. 4.

§ VI.

Verum tu jam oscitas, mi Lector, & has de vocibus observationes, Grammaticorum tricas, apinasque, aut si quid vilius istis appellas; prius ergo ad rem ipsam gradum non capessam, quam vel unico exemplo, usum earum in hac materia liquido ostenderim. In Plauti Pœnulo nuptias consobrinorum, apud Carthaginienses, multi eruditi viri se reperisse existimarunt; quos inter Albericus Gentilis lib. V. de nupt. c. 11. Carolus Annibal Fabrotus in add. ad Cujacii notas §. 4. Inst. de nupt. ipseque Grotius in annotatis ad l. 11. de J. B. & P. c. 5. §. 14. Et quis non confestim pedibus iret in horum sententiam, qui Actus V. Sc. 3. evolvit? ubi Agorastocles Hannonem ita affatur:

AG. *Audin' tu, patrue? dico, ne dictum neges:*
Tuam mihi majorem filiam despondeas.
HA. *Pactam rem habeto.* AG. *Spondesne igitur?*
HA. *Spondeo.*

Rursus Sc. 6. AG. *Sed patrue mi,*
Tuam, ut dixisti, mihi desponde filiam.
HA. *Haud aliter ausim.*

Vereor autem, ne tantis viris *patrui* vox imposuerit; fortassis

tassis etiam, quod Hanno Jachonem, adolescentis hujus patrem, *fratrem* suum appellat Sc. 4. v. 27.

Quid est fratris mei gnate, mi gnate, quid vis? expedi.
Et deinde v. 86.

Vos estis ambæ filiæ meæ: & hic est cognatus voster,
Hujusce fratris filius, Agorastocles.

At vero gravissimis optimorum auctorum testimoniis jam supra probatum dedimus, Consobrinos se invicem fratres appellasse, idque idiotismo Hebraico inprimis convenire. Hebraismo autem Plautus in hac Comœdia sibi magis utendum ratus, quia tota Punica erat, atque Pœnorum lingua Cananææ valde erat similis. Unde Augustinus in Epistolam ad Romanos testatur, Hipponenses rusticos, cum interrogabantur qui essent, aut quo nomine appellarentur, respondisse Cananæos. Hannonem vero & Jachonem non vere fratres, sed consobrinos fuisse, a duobus fratribus generatos, ex prologo constat:

Carthaginenses fratres patrueles duo fuere.

Horum igitur patruelium liberi nuptias hic faciunt, qui in sexto gradu sibi cognati, Sobrini proprie erant, non Consobrini. Agorastocles sponsus Hannonem socerum, patris sui patruelem, Latine *sobrino propiorem* appellare debuisset, quia is uno gradu avo communi propinquior erat, patrui scilicet magni filius, remotior consobrino, propior autem sobrino. Vide Paul. *l.* IV. *sent. tit.* 11. §. 5. Cajum in *l.* 1. §. *ult. D. de Gradibus* & Festum in *Propius sobrino*. Diocletianus in l. 2. C. Unde legit. *propiorem sobrinum, natum consobrina* recte interpretatur: accuratius autem *propius sobrino* dixit in *l.* 2. *C. comm. de succ.* pariter ac Paulus *l.* 10. §. 16. *D. de Gradibus*: accuratissime Tacitus lib. XII. Annal. cap. 64. Lepidam Agrippinæ *sobrina priorem* vocat, quia hujus pater Germanicus & Lepida, ex duabus sororibus, Antonia majore & minore, nati erant consobrini. Cum Lipsio & Ryckio in notis ad hunc locum, Contius jungatur ad *l.* 1. *de grad* Ex his, opinor, apparet, quod quemadmodum

M 2 Han-

Hanno Jachonem vocat fratrem, sic hujus filius Hannonem *patruum* appellarit, quasi minorem: simul etiam liquet, quid de Lipsii emendatione habendum sit, quam lib. II. Antiq. lect. cap. 19 argumento hujus fabulæ innixus *Act. V. Sc.* 4 v 39 tentavit, invita prorsus poesi, invita etiam cognationis hujus historia. Si quis vero in versu prius laudato: *Hujusce fratris filius &c.* Hotmani conjecturam disput. *de rit. nupt. cap.* 9. vel feliciorem Cl. Reinoldi *Varior. jur. civ. cap.* 20. suam facere velit, id quidem per me licebit.

CAPUT II.

JURE NATURÆ ET DIVINO VETITAS NON ESSE CONSOBRINORUM NUPTIAS.

§. I. *Ratio naturalis prohibitarum nuptiarum inter consanguineos est propinquum sanguinis & reverentia.* II. *Quæ maxima parentibus, minor patruis & fratribus debetur.* III. *Eam in consobrinis cessare ostenditur, & simili illustratur.* IV. *Gentium jure, in primis Græcorum & Spartanorum horum nuptiæ permissæ.* V. *Apud Ebræos eædem non modo non prohibitæ, sed etiam frequentes; ejus rei exempla & testimonia. Interpres Philonis notatus.* VI. *Ambrosii, Contii & Græcorum argumenta contraria refelluntur.* VII. *Gregorii & Innocentii rationes, de prole ex his non suscipienda, & quatuor humoribus examinatæ.*

§. I.

De nuptiis autem nostris eo rectius ut constet, primum ad rationem decretoriam, quæ alia conjugia prohibet, alia permittit, velut ad Lydium lapidem, exigendæ erunt. *In contrahendis* enim *matrimoniis naturale jus & pudor inspici debet*, auctore Paulo in l. 14. §. 2. D. de Ritu nupt. Et *semper in conjunctionibus non solum quid liceat considerandum esse, sed & quid honestum sit*, tradit Modestinus libro singulari de ritu nuptiarum, in *l.* 197. *de Reg. Jur.* Caus.

Caussam vero, quare nuptiæ nonnullis in gradibus prohibitæ sunt, certam & naturalem assignare, factu difficile, immo ejusmodi esse, ut præstari nequeat, haud temere affirmavit Grotius *lib. II. de J. B. & P. cap. 5. §. 12.* Quam Plutarchus in Quæstionibus Romanis attulit, de latius spargendis amicitiis, tanti ponderis non est, ut id, quod contra fit, invalidum reddere queat. Velthusius, Pufendorfius & Huberus, cum Paulo jam laudato, ad pudorem provocant, qui insigniter intendatur adversus personas, quibus natura reverentiam debemus. Alii horrorem naturalem urgent: alii communem populorum consensum: ætatis disparitatem alii: rursus alii confusionem nominum: alii denique non constare ajunt, quomodo communio physica effectum moralem producere possit; ideoque ex jure tantum divino positivo universali incestum derivant: sed non desunt, quæ his reponantur. Vide Celeberrimi Thomasii *J. J. D. l. 111. cap. 2. §. 220. seqq.* ibique *Fundamenta.* Mihi verisimilior illorum semper visa fuit sententia, qui cum sapientissimo Legislatore, omnisque naturæ fonte, rationem naturalem in propinquitate carnis ponunt: hæc enim sanguinis vinculo constricta unitatem aliquam inducit, quæ non patitur, ut quis secum ipso velut coeat, & hac ratione genus humanum propaget. *Nemo vestrum ad ullam carnem suam accedet, ut nuditatem revelet*, inquit Jehova, Levit. XVIII. v. 6. In textu Ebræo est: *chol scheer bscharo*, *omnem carnem carnis suæ.* Sic enim Hebræi propinqua consanguinitate conjunctos vocant, ut hic observat Cl. Clericus, cujus versionem sumus secuti. LXX. reddiderunt οἰκεῖα σαρκὸς, Onkelos *propinquam carnis suæ*, Hieronymus *proximam sanguinis sui*, quod eodem recidit. Adi Cl. Viri, Collegæ quondam nostri, Joannis ab Hamm, Exercitat. Philolog. *de Ara interiore Part. II. cap. 1.* Quemadmodum igitur aqua nulla fontis sui originem repetit, nec arbor, innumeris licet frondibus distincta, propriis surculis maritatur; sic pater quasi fons & caput fluminis, unde liberi velut rivi manant; ma-

ter quasi arbor aut radix, posteri velut rami: ***Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis***, ait Persius Sat. 3. Quinimo a natura abhorret, uti conjuncta conjungantur, & cognatio vix incepta ad sua statim initia revertatur. ***Nefas esse, ut radix ramum ducat, aut ramus radicem***, ajebat Moses Maimonides. Dedi unam causam. Vin aliam? Immo addam, & cum illa omnino conjungendam: ne Adami exemplum, ad carnem suam accedentis nobis obmoveri possit. Pergo igitur, quod ex carnis illa unitate, a conjugibus propagata & communicata, relatio oriatur valde inæqualis, vi cujus liberi parentibus, ut vitæ suæ auctoribus, officia pietatis, honoris & reverentiæ debent. Parentes enim deorum simulacra sunt; ***deos conspicuos, qui ingenitum Deum imitantur, vitam dando***, eos Philo ad decalogum appellavit. Contra parentes dominium, potestatem & obsequium jure suo sibi poscunt: quæ omnia non pacto tantum nuptiali æqualitatem quandam naturæ legibus inducente, sed mutua inprimis pudendorum contrectatione imminui, vel in totum tolli necesse est. Quid? quod maritus, si superiorem lege matrimoniali dicamus, eam reverentiam, quam natura exigit, matri præstare non potest. Bene Seneca Medea: ***Amor timere neminem verus potest.*** Et Ovidius Heroid. XIX. v. 173.

Nunc male res junctæ, calor & reverentia pugnant.

§. II.

Ad lineam ergo rectam quod attinet, sanguinis illa necessitudo indeque fluens relatio in perpetuum salva manet, vel saltem per ingens temporis spatium propagatur. Index unitatis est maxima parentes inter & liberos similitudo; ex qua superioris Asiæ populi, quibus communio uxorum in usu, liberos distinxerunt, Aristotele auctore, lib. II. Polit. c. 2. Unde a commixtione parentum & liberorum naturam abhorrere, res ipsa docet, & pietas, & jura parentum sacrata inculcant, & præter Gentes cultiores, ipsa bruta agnoscunt, si qua Aristoteli, Varroni, Plinio & credulo ni-

nimis Justiniano nostro est fides. Myrrha apud Ovidium x. Met. 353. *neve parentis Concubitu vetito naturæ pollue fœdus. Velle puta; res ipsa vetat.* In transversa linea similis observatio est in personis, quæ immediate stipiti subsunt, licet non tanta. Scimus voluisse creatorem genus humanum propagari per conjunctionem fratrum & sororum; quod autem in se turpe est, id nulla ratione aut circumstantia temporis & necessitatis, quæ in Deum non cadit, honestum fieri potest. Conjunctionem fratrum & sororum, sanguinis parentum recens atque necdum ab extraneo turbata vis vetaret, quidem videtur; sed obscure, & per consequentiam tantum, quatenus portio parentum sunt, horumque nuditatem aperit frater, qui pubem sororis detegere non erubescit. *Ne interficiamus Josephum, frater noster, caro nostra est*, ait Juda, Genes. XXXVII. v. 27. Ortum communem *fratres quasi eosdem facere*, Aristoteles dixit Ethic. Nic. VIII. 14. Aliæ vero rationes huic addendæ sunt, ob quas jure divino voluntario inprimis nuptiæ illæ, tanquam incestæ, vetitæ sunt: inter quas eminet causa a Mose Maimonide prodita, ne convictus quotidianus & inobservatus stupris ansam daret, apud gentes libidinosas; unde non exigua civitati mala nascerentur. Hinc Plato horum conjugia *scelesta*, *Deo invisa*, *& turpium turpissima* appellavit, lib. VIII. de LL. addita ratione: *quia nulla hujus consuetudinis cupiditas vulgi animos titillat, etsi pulcherrimæ sint sorores.* Quorsum & Comici illud referunt: *Tam pudica est a me, ac si esset soror mea.* Quamvis fratris & sororis vocabula, apud Poetas passim, inter nequitiæ vocabula ponantur. vid. Brouckhus. ad Tibull. l. III. el. 1. In patruis & avunculis, amitis & materteris accedit paternæ & maternæ reverentiæ similitudo, propter quam horum conjugium *scelestum contubernium*, *turpissimum consortium*, *& nefanda licentia* dicitur in *l. ult. C. de incest. nupt.* Huc pertinet quod Simplicius, interpres Epicteti rationem etymi *thiorum* reddens, ait, cum patres liberis olim fuerint quasi θεοί, metu divinæ majestatis parentes desiisse deos nominari; in patruorum ap-

appellatione autem veteris notæ vestigia mansisse, ut θεῖοι vocarentur. Horatius & Persius patruum pro gravi censore posuerunt, & Manilius tutoris supercilium *patruique rigorem* conjunxit lib. v. Catullus & nutrix Octaviæ apud Senecam nuptias cum fratris filia, *toros nefandos* vocant, easque *flebili face* jungi existimarunt. Sed prohibitio Romæ non fuit perpetua, & conjugia talia *aliis gentibus solennia* fuisse Tacitus indicavit, Ann. XII. cap. 6. quocum Cl. Noodtius jungatur lib. 11. Obs. c 5.

§. III.

Ultra has personas neque relatio inæqualis, neque arctior carnis propinquitas, neque incommoda familiæ modo enarrata deprehenduntur. Nam statim in Consobrinorum parentibus duæ extraneæ personæ intercedunt, quarum sanguis duplo unum illum stipitis vincens efficit, ut patrueles caro carnis esse desinant, & sic paulatim aviti sanguinis vestigia expungantur. Simili res fiet illustrior. Pictor imaginem hominis bis diverso tempore expressurus, ejus ideam mente concipit, sed quod tabulæ inscribitur, id raro exacte ideæ, multo minus corpori vivo, minime vero tabula tabulæ respondet. Si alii deinde pictores diversi imagines illas priores imitentur, ii quantam adhibebunt artem, nunquam tamen eas adeo perfecte sistent, quin longius a vera imagine recedant; rursus harum imitationum imitatio si instituatur, vix lineæ similitudinem inter se habebunt. Sic natura parentum per omnia vultum raro in liberis format, ipsosque gemellos alia atque alia facies, habitus, mens, mores contrarii, vitæque genera rixantia discernunt, ut pulchre Quintilianus decl. 7. Fratres vero & sorores alienis per matrimonia familiis inserti, liberos producunt & sanguine & moribus prorsus discrepantes; atque ita, præter commixtas sanguinis aviti particulas, ipsa natura in Consobrinis vix quicquam invenit & agnoscit; istæ vero tanti non sunt, ut conjugio obesse possint. Quin potius nimia diversi sanguinis confusio omnem personarum unitatem, atque naturalem nu-

nuptiarum ἀταξίαν tollit. Ipsa porro relatio æqualis, quæ inter has personas est, societati conjugali satis patrocinatur; cum in æquales reverentiæ ratio non cadat, & nuptiæ inter compares convenientissimæ existimentur. Nam & firmissima est inter pares amicitia, atque propinquitas fugiens matrimonii vinculo rursus dum alligatur, geminato sic pietas crescit amore. Sidonius Apollinaris lib. IV. epist. I. *Soror mihi, quæ uxor tibi; hinc inter nos summa & principalis necessitudo, & ea quidem patruelis, non germana fraternitas, quæ plerumque se purius, fortius, meracius amat.* Recte idcirco Aristoteles patrueles, ceterosque cognatos eodem stipite conjungi ait, ut tamen fratres & sorores quasi eosdem vocet, in reliquis gradus simul agnoscat: ita ille lib. VIII. Ethic. Nic. 14. Ἀνεψιοὶ δὲ καὶ οἱ λοιποὶ συγγενεῖς ἐκ τούτων συνῳκείωνται· τῷ γὰρ ἀπὸ τῶν αὐτῶν εἶναι γίγνονται οἱ μὲν οἰκειότεροι, οἱ δὲ ἀλλοτριώτεροι. *Patrueles vero & ceteri cognati conjunguntur per parentes, quatenus ex iisdem ortum habent: ita ut alii conjunctiores sint, alii minus conjuncti, pro ortus ratione.* Cicero consobrinos, ex ædibus paternis & avitis, in novas velut colonias exire, elegantissima Platonis imitatione, scribit, unde stupri furtivi metus cessat. Verba ejus, lib. I. de Offic. c. 17. sunt ista: *Prima societas in conjugio est: proxima in liberis: deinde una domus, & communia omnia. Id autem principium est urbis, & quasi seminarium Reip. Sequuntur fratrum conjunctiones: post* consobrinorum *sobrinorumque: qui cum una domo jam capi non possint, in alias domos, tanquam in colonias exeunt: sequuntur connubia & affinitates.* Denique in hominum generatione non idem obtinet, quod Theophrastus de quibusdam plantis tradit, quæ post tertium partum similitudinem repræsentare incipiant; quin potius in secunda & tertia sobole dissimilia multa, etiam in leguminibus, ut Virgilius lib. I. Georg. 193. observavit:

Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro prius & nigra perfundere amurca,
Grandior ut fœtus siliquis fallacibus esset.

Et quamvis igni exiguo properata maderent,
Vidi lecta diu, & multo spectata labore.
Degenerare tamen: ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret. Sic omnia fatis
In pejus ruere, ac retro sublapsa referri.

§. IV.

Quod si porro consensio omnium Gentium Jus Naturæ putanda est, & conscientia universi generis humani in disciplina morum haud facile aberrat, magnum momentum sententiæ huic accedet, si Consobrinos sociari, plerisque populis morem & fas fuisse, ostendemus. Paulus *Jure gentium incestum committere*, ait, *qui ex gradu ascendentium vel descendentium uxorem duxerit. Qui vero ex latere eam duxit, quam vetatur &c. l. ult. D. de Ritu nupt.* Satis commate posteriori prodens, in linea obliqua incestus mere civiles esse, vel saltem ad paucos gradus naturales; quod magis placet, propter *l. 8. l. 14. §. 2. D. Eod. l. 35. §. 1. de Verb. Obl. l. 19. C. de Episc. & Cler.* Plane communibus Græcorum legibus (ut impuros Ægyptios & Persas mittam) fratrum & sororum conjugia tantum inter collaterales vetita fuisse, vel ex Ocello Lucano cap. IV. & Artemidoro lib. V. cap. 24. evinci potest. Solon Atheniensibus permisit ducere sororem consanguineam, non uterinam, ut multi veterum tradunt, & Cimonis exemplo apud Nepotem, tum Archeptolis Themistoclis filii matrimonio cum Mnesiptolema, sorore ex alia matre nata, apud Plutarchum, comprobatur. Genus ergo maternum, ut certius, magis attenderunt Græci cum Phœnicibus, quibus eundem morem tribuit Achilles Tatius libro 1. & a quibus Athenienses multa didicerunt. Quemadmodum autem Spartani omnia studia sua in diversa destinaverunt, & sive metu collationis, sive naturali quodam dissidio, alio quam Athenienses dicendi, scribendi, præliandi genere utebantur; sic Lycurgus permisso connubio uterinæ, duci prohibuit sororem ex patre, auctore Philone Judæo lib. de Legib. spec.

spec. pag. m. 779. cujus verba ex versione Gelenii semel adscribo : *Atheniensis Solon hoc observat in uterinis tantum, germanis eodem patre prognatis relinquit liberum. Contra Lacedæmoniorum legislator uterinis non interdicit connubio, sed solis eodem patre genitis.* Hic itaque proximus gradus. Nam Anaxandrides Lacedæmonius sororis filiam uxorem habuit, auctore Herodoto lib. V. Fratris vero filiam, qui par est gradus, Athenis ducere licitum fuisse, ostendit Isæus & in Lysiæ vita Plutarchus; ut minus ideo de Consobrinis dubitandum sit, quorum nuptias justas fuisse Andocid. orat. 1. & Isæus orat. 7. testantur. Æschylus Atheniensis, scio, in Danaidibus eorum conjugia vocat λεκτρα οι θεμις ειργει, *cubilia, quæ jus prohibet*, existimans sic μαινεσθαι γενος, *fœdari genus*. Sed Grotius ex Scholiaste ejus observavit, illegitimas tales fuisse nuptias, quod adhuc viveret virginum pater, quasi justæ fuerint eo mortuo, ex lege των επικληρων. Simile quid habes apud Hebræos, unde legis origo, Numer. *cap.* 36. *v.* 10. Confer Petitum ad LL. Atticas *lib. VI. tit.* 1. & Grotium *ad Matth.* 1. v. 16. In fabulis gentilium, quibus Heroum amores describuntur, multa id genus nuptiarum exempla. Hyginus de Ægypti filiis tradit: *impetratas sorores patrueles acceperunt uxores.* fab. 168. erant enim Danai patrui sui filiæ. Deucalion Promethei filius ad uxorem, & item consobrinam suam Pyrrham, ex quibus genus reliquum fingitur hominum extitisse, apud Ovidium lib. 1. Metam. 350.

O soror, o conjux, o femina sola superstes,
Quam commune mihi genus & patruelis origo,
Deinde torus junxit.

Hermione ad Orestem apud eundem Epist. Heroidum VIII.

Quid, quod avus nobis idem Pelopeius Atreus
Et, si non esses vir mihi, frater eras,
Vir, precor, uxori, frater succurre sorori:
Instant officio nomina bina tuo.

Agamemnon enim & Menelaus germani fratres fuerant: ille

le Orestem genuit ex Clytemnestra, iste ex Helena Hermionem, quæ Oresti patrueli suo nupta fuit: unde in fine dictæ Epistolæ:

Per patris ossa tui, patrui mihi &c.

§. V.

A Græcis veniamus ad Hebræos, qui non minus certa harum nuptiarum testimonia nobis promittunt. Præscripserat Deus Opt. Max. populo huic duræ cervicis, & ad incesta, quæ viderat Ægyptiorum conjugia inclinanti, Levitici cap. 18. & 20. regulam, qua omnes, qui propinquorum numero habendi sunt, enumerantur. Hæc vero consobrinorum mentionem fecit nullam, ne quidem si cum Karræis paritatem gradus & argumentationem a simili, vel a minori ad majus admittas. Itaque & ante hanc legem, & post eam latam, Patruelium nuptias licitas, Deoque probatas fuisse, confirmare in proclivi est. Præteribo Saram, quam nonnulli censent, sororem Abrahami dici, more Hebræo, cum non esset soror proprie dicta, sed consobrina: plerique vero Tharæ filiam, ex altera uxore, & rectius volunt; quales nuptias Phœnicibus & Atheniensibus permissas vidimus. Sed procul dubio Rebecca patrueli suo Isaaco nupsit, *Genes. XXIV.* v. 15. Jacobus Rachelem & Liam avunculi sui Labani filias uxores duxit *Genes. XXVIII.* v. 2. Esavus Bosmatham, vel Machalatham, filiam Ismaelis *Genes. XXXVI.* v. 3. Et *quemadmodum Mosen jusserat Jehova, ita fecerunt Tselophchadi filiæ, & Machla, Thirtsa, Chogla, Milcha & Noha, filiæ Tselophchadi, filiis patruorum suorum nupserunt*, Num. cap. XXXVI. v. 10. Sic & Hothniel Hacsam Calebi patrui sui filiam; & Rechabham Mochalatham, filiam Jerimothi filii Davidis; & junior Tobias consobrinam suam Saram, filiam Raguelis, qui majoris Tobiæ frater erat, uxores duxisse memorantur, *Jehosch. cap. XV.* v. 17. & 2. *Chron. XI.* v. 18. *Tob. VII.* Quid moramur? Ipsum Josephum & Mariam patrueles fuisse, viri docti ex *Matth. I.* v. 15. & *Lucæ III.* v. 23. demonstrari posse

posse existimarunt. In hanc porro sententiam Augustinus, diligentissimus legis divinæ observator, lib. XV. de Civitate Dei. cap. 16. diserte scribit: *Experti sumus in connubiis consobrinarum, quam raro per morem fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana.* Consentit Philo Judæus in libro de Special. leg. ubi cum accuratum catalogum personarum a Mose prohibitarum instituit, consobrinos omittit. Ne quem vero interpres ejus decipiat, verba Græca adscribo pag. m. 780. Ων χαριν πολλας και αλλας ομιλιας εκωλυσε· προσταξας μη θυγατριδην, μη υιδην, μη τηθιδα προς πατρος, η μητρος, μη θειυ η υιυ, η αδελφυ γυναικα γενομενην εγγυασθαι. Vertit Gelenius: *Quapropter & aliarum multarum nuptiæ sunt vetitæ, neptium, CONSOBRINARUM, nuruum, privignarum &c.* At nulla ibi ανεψιων occurrit mentio, nec alia vox est, qua consobrini comprehendantur. θυγατριδη est neptis ex filia; υιδη est filia filii, seu neptis ex filio, eadem quæ υιωνη, Hesychio teste. Adstipulatur item Athanasius Synopsi S. Scripturæ *in Numeros: Ipsarum*, inquit, *occasione mandatum Domini datur, & lex ponitur, qua legitima decernuntur cum consobrinis inita conjugia.*

§. VI.

Hos Triumviros, cum exemplis ante allatis, opponimus Ambrosio, qui unus Epist. LXVI. ad Paternum vetitas lege Dei has nuptias contendit. Verba ejus sunt ista: *Quid enim est, quod dubitari queat, cum lex divina etiam patrueles fratres prohibeat convenire in conjugalem copulam, qui sibi quarto sociantur gradu?* Antonius vero Contius lib. II. Lectionum subsecivarum cap. 1. ipse fatetur, excussis omnibus omnino Bibliorum indicibus, neminem repertūrum, ubi conjugium hoc nominatim prohibeatur, nec tamen id ideo concessum admittit, sed potius, ut *parum honestum & fere nefarium* damnat; quia generale præceptum Mosaico interdicto præfixum, ut omnis homo abstineat a carne sua, consobrinos comprehendere pro certo habet. Revocare autem legem sacram, ad regulam Juris Romani, qua dicitur, si

quid in lege prohibitoria nominatim non expressum, videri permitti, non satis pronuntiat esse tutum. Idem sedit Græcis Christianis, quorum hac de re sententiam explicat Basilius ad Diodorum, nec aliter Doctores Juris Canonici rationes suas putant; ut plenius cap. 4. trademus. At nisi generi hoc loco per species tam prolixe præscriptas, & *cap.* xx. repetitas, derogari dicamus, prohibitio serpet in infinitum, & vix exitus propinquitatum reperietur: quandoquidem in centesima piorum generatione aviti sanguinis reliquiæ supersunt, quorum omnium nuptias prohibendas, quis unquam, nisi æger, somniavit? Nova hæc lex matrimonii libertatem, qua hactenus Ebræi cum Ægyptiis fuerant usi, restringit; ergo pro casibus, nec expresse, nec implicite, eadem gradus ratione, prohibitis est præsumendum. Accedit, quod ita semper interpretati Judæi, eoque jure usi sunt: qui licet passim a Christo malæ tractationis legum suarum accusentur, nuspiam tamen hac propter reprehensi leguntur. De dissensu inter Traditionarios & Karæos adi, si lubet, Seldenum Uxor. Ebraic. *cap.* 111. *seqq.* & Triglandium diatriba *de Secta Karæorum n.* 135. Quemadmodum igitur Paulus in *l.* 92. *de V. S.* ait: *Proximus est, cui nemo antecedit*: sic in lege Dei *propinquum carnis* ad primas lineæ transversæ personas est restringendum.

§. VII.

Antequam hinc discedamus, duæ rationes naturales sub incudem vocandæ sunt, quibus magni auctores, Gregorius I. & Innocentius III. Pontifices Romani, ut audiunt, prudentissimi, in alia omnia ivere. Ille enim ab Augustino, Anglorum Episcopo, super hac re consultus, rescripsit: *Quædam terrena lex in Republica Romana permittit, ut sive fratris & sororis, sive duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius & filia misceantur: sed experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non posse succrescere*, referente Alexandro Papa in *C.* 2. *caus.* 35. *q.* 5. Speciosum profecto argumentum detestandi nuptias, quibus natura, sui alioquin

oquin conservatrix, effectum negat; sed metus est, ut satis sit verum! Quanquam enim & his & præteritis temporibus, non desunt exempla, quibus id adjuvari queat: Brutus quippe, Marcellus & Julianus consobrinas duxerunt, nec sobolem susceperunt: Cluentiæ conjugium cum Melino consobrino subitum divortium diremit: Marcus Philosophus ex Faustina consobrina sua prole beatus est, sed infelici. Quis vero unquam ab eventu, ubi causæ potuerunt esse complures, facta notanda existimavit? Sterilia forsan sub Gregorii imperio exstiterunt quædam amitinorum conjugia, abortientibus feminis ob anathematis & æternæ pœnæ fulmina; nostræ certe feminæ nec sterilia credunt, nec experiuntur. Et quid Jacobus an non ex consobrinis suscepit prolem numerosam & felicem? Quid Sp. Ligustinus? nonne gloriatur apud Livium lib. XLII. cap. 32, *Quum primum in ætatem veni, pater mihi uxorem fratris sui filiam dedit: quæ secum nihil attulit, præter libertatem pudicitiamque, & cum his fecunditatem, quanta vel in diti domo satis esset. Sex filii nobis, duæ filiæ sunt: utraque jam nupta Filii quatuor togas viriles habent, duo prætextati sunt.* Hæc Gregorio reposita sufficiant. Videamus quid Innocentius causetur. Is anteriorum Pontificum constitutiones ipse jam Pontifex corrigens, intra quartum gradum simul Consobrinorum prohibuit matrimonia, quia *quatuor sunt humores in corpore humano, qui constant ex quatuor elementis. C. 8. X. de Consang. & affinit.* Profunda sane Philosophia, quam vix quisquam ex Aristotelis aut Cartesii schola subtilissimus explicare valeat. Unde alto cachinno derisa, exsibilata & explosa est a viris doctis putantibus, non minus insulse ad quatuor humores, quam ad quatuor Evangelistas, totidemve cardines cœli, ventos, rotas plaustri, vel alium quemvis quaternarium numerum provocari. Mitius autem cum ea agi jubet Bellarminus *lib. 1. de matrim. sacram. cap. 29.* ex Thoma Aquinate scribens, physicam rationem esse: sicut enim corpus ex quatuor constat humoribus: ita vim *igneam* absumi in prima generatione: *aeream* in secunda: *a-*

queam

queam in tertia: *terream* in quarta; ut totus ille sanguis in quarta demum generatione pereat & consumatur. Jam olim Empedoclem, refert Plutarchus, *lib. V. de Placit. Phil. cap.* 22. docuisse, carnes ex interna illa elementorum contemperatione nasci: sanguinem quoque, choleram, phlegma & melancholiam ex iisdem componi, vetus sententia est. Quousque vero sese extendat humorum minimorum per varias transfusiones alteratio, nescio an definierint alii, nec nostrum est inquirere; ne in Medicorum possessiones irruisse videamur. In superioribus quidem simile nobis argumentum placuit, ex sanguinis identitate & mutatione per generationes desumtum: nolim tamen ab humoribus compositis transiri ad elementa simplicia, quum a singulis potius in qualibet generatione aliquid decedat. Nolim etiam exiguis, quæ in Consobrinis forte supersunt, sanguinis aviti reliquiis, tantam prohibendi vim tribui, ne ipso Deo, Naturæ auctore, castiores aut religiosiores facti videamur.

CAPUT III.

Jure Romano consobrinorum nuptias varie & improbatas, & permissas.

§. I. *Antiquo jure Romano Consobrini jungi non potuere, donec Plebiscito id concederetur.* II. *Ulpianus ex Plutarcho vindicatus.* III. *Quando harum nuptiarum prohibitio prima & permissio cœperit, ex Dionysio & Tacito disquisitum.* IV. *Varia earum exempla, stante Republica & occupata, in medium prolata.* V. *Alia ex libris Jurisconsultorum & Imperatorum rescriptis. l. 3. D. de Ritu nupt. explicatur.* VI. *Theodosius M. primus eas comminatione severissimæ pœnæ vetuit: nec tamen ejus deperditæ Constitutionis suasor Ambrosius fuit.* VII. *Ejus filius Arcadius per Orientem pœnam primum temperavit, dein omnem sustulit.* VIII. *Honorius vero per Occidentem nuptias ex rescripto peti jussit: cujus exemplum ex Symmacho illustratum.* IX. *Jacobi Sirmondi argumenta, quibus l. 19. C. de*

C. de Nuptiis a Triboniano fabricatam existimat, referuntur. X. *Eadem refelluntur.*

§. I.

Major nunc rerum ordo surgit, ubi ad mores legesque Populi Romani perventum est. Satis eas commendat, & mirifice quidem, ut Calvino videtur ad Levit. 18. quod Mosaico juri examussim respondent, & adhuc aliquanto longius verecundiam in necessitatem flectunt. Adeo enim abhorrent a sanguinis mixtura, ut non modo ad serviles & meretricias cognationes, verum & eo, ubi sanguis nullus est, sed imago tantum, quemadmodum in sponsa filii & adoptivis, prohibitionem extendant. Ad Consobrinos quod attinet, varia & multiplex juris ratio fuit, unde tempora apprime sunt distinguenda. Antiquissimo jure civili matrimonio inter se jungi non potuerunt; fortassis quod, ex rigida Sabinorum disciplina, satius duxerunt Quirites, conjugiis augere necessitudines, atque ab aliis uxores accipiendo, multos sibi affines comparare. Inde Vitellius quaesitis undique coloribus incestas fratris filiae nuptias castas facere annitens, apud Tacitum lib. XII. Annalium cap. 6. coram Senatu ait: *Sobrinarum diu ignorata*, id est improbata *conjugia, tempore addito percrebuisse*. Mutationis causam nobis retulit Plutarchus in Quaestionibus Romanis cap. VI. *Antiquitus*, inquit, *sanguine junctas Romani non copulabant sibi in matrimonio, ut ne nunc quidem materteras aut sorores. Sero concessum fuit ut ducere* ανεψιας *consobrinas liceret, idque ex tali occasione. Vir quidam pecunia indigens, alioqui honestus, & prae ceteris vulgo civium gratus, consobrinam in matrimonio habere, & ex ea locupletatus credebatur. Cum autem hac de re accusatus esset, populus remissa causae cognitione illum absolvit: decreto facto: ut omnibus liceret ducere agnatas, usque ad consobrinas, superiores autem gradus prohiberentur.*

O . II.

§. II.

Lucem hinc feneratur elegantissimum illud Ulpiani fragmentum, quod ex Collatione Legum Mosaicarum & Romanarum feliciter restitutum extat *tit. V.* §. 6. in hæc verba: *Inter parentes & liberos infinite cujuscunque gradus connubium non est. Inter cognatos autem ex transverso gradu olim quidem usque ad quartum gradum matrimonia contrahi non poterant: nunc autem etiam ex tertio gradu licet uxorem ducere.* Nisi enim me omnia fallunt, particula *olim* ad Plebiscitum illud vetustum a Plutarcho memoratum collineat, ex quo consobrinis in quarto gradu connubium permissum est. Inde etiam regula enata videtur, vulgo in jure, tanquam per manus, tradita: Inter cognatos quarto gradu connubium esse, extra personas, quæ parentum liberorumque locum obtinent, *l.* 17. §. 2. *de Ritu nupt.* ubi Cajus: *quamvis magna amita & matertera quarto gradu sint.* Vir Præclarus, Jacobus Cujacius, in notis ad dictum Ulpiani titulum, particulam *usque* inclusive interpretatus est; quasi olim inter se patrueles, amitini, consobrini jungi matrimonio non potuerint: & satis scio, plerumque eam in libris nostris ita usurpari, v. gr. *l. fin.* §. 1. *D. de Senator. l.* 8. §. 14. *de Inoff. test. l.* 35. §. 1. *D. de Legatis lib.* 3. Quemadmodum vero apud alios Latinæ Linguæ auctores, sic & apud Jurisconsultos, articulus ille includit vel excludit, intendit vel remittit. Vide *l.* 10. *D. de Dolo malo. l.* 3. *pr. D. de Usuris.* Et bene est, quod ipse Cujacius lib. XIII. Obs. c. 16. explicationem & emendationem suam repudiavit. Non magis audiendus est Contius lib. II. subsec. lect. cap. 1. ex Manuscripto Codice Philippi Gervasii apud Ulpianum *usque ad quintum gradum* omnino legendum contendens: utcunque enim hoc intelligas, incommodum habebis; nec dubito corruptum fuisse codicem illum, & forsan ab Aniani manu, qui ex Theodosiana lege pro quarto gradu quintum reposuit. Nimis quoque dilutum est, quod huic lectioni præsidium ex voce *Sobrinarum* apud Tacitum quærit,

rit, de cujus significatu jam capite primo dicere occupavimus. Ceterum vel ex hoc loco in transitu discimus, veteres Jurisconsultos graduum computationem in tractatu de nuptiis non prorsus repudiasse, licet exemplo Dei T. O. M. aliorumque Legislatorum, plerumque & facilius quidem, personas conjungi prohibitas commemorarent, supputatio illa quoque ob hereditates & tutelas primario esset introducta, auctore Paulo *l.* 10. *pr. D. de Gradibus.* Ulpianum secutus est Honorius in *l. un. C. Th. Si nupt exrescr. pet.* & Ambrosius Epist. LXVI. ad Paternum, ubi fratres patrueles, ait, *sibi quarto sociantur gradu.* Ovidius Metamorph. XIII. 142.

- - - - Nostri quoque Sanguinis auctor
Juppiter est, totidemque gradus distamus ab illo.

§. III.

Nunc ad Plutarchum revertamur. Is *sero* conditum illud populi decretum enarrat, quo consobrinorum nuptiæ permissæ: pariter ac Tacitus *diu ignoratas*, ait, tempore percrebuisse. Id vero sobrie accipiendum videtur. Dionysius enim Halicarnassensis lib. IV. Antiquitatum refert, Tullias duas Regis Servii Tullii filias, Lucio & Arunti Tarquiniis, Prisci Tarquinii nepotibus, consobrinis suis, matrimonio junctas fuisse: jam autem quod usque a Regum tempore obtinuit, id Plutarchus minime serum vocare potuit, ævo Trajani. Non hic ad Livii dubitationem confugiam, qui lib. I. cap. 46. parum liquere, tradit, an L. Tarquinius Prisci Tarquinii regis filius nepos ve fuerit, pluresque auctores pro filia stare scribit: hos enim, qui ita sentiebant, accuratissime refellit Dionysius; minusque verisimile est, in illa morum castitate, Tullias avunculis suis nupsisse. Non etiam Græcum Halicarnassensis textum urgebo, qui τοὺς ἀδελφοὺς τῆς μητρὸς habet: nam Barnabas Brissonius de Jure connubiorum jam recte docuit, ἀδελφιδοῦς legendum esse; eaque emendatio pulchris illis exemplis confirmatur, quibus Celeberrimus Perizonius cap. X. Animadversionum historicarum pag 436. ostendit, vix alia in vo-

ce librarios frequentius peccasse. Quid igitur? An ex hoc demum tempore nuptias consobrinorum tacito populi consensu dicemus improbatas, quod tam infelix earum in Tarquiniis fuerat eventus? An vero legibus moribusve, quibus privati utebantur, Regum liberi fuerunt soluti? quemadmodum omni ætate Principibus hac parte plus est indultum. Optimum est quod eligas. Illud sane probabile videtur, nulla certa lege Populi Romani horum conjugia vetita esse: passim enim Jurisconsulti de nuptiis agentes ad *mores* provocant, *l.* 8. *l.* 39. §. 1. *D. de Ritu nupt.* & Tacitus apte *ignorata* dixit. Jus antiquum de castis incestisque nuptiis totum Pontificium fuit, ut ex Dione constat lib. 48. Pontifices vero cum lucri gratia, vel ex alia politica causa, difficiles essent in nuptiis his permittendis, sensim in mores id abiit, quorum deinde populus pertæsus, molestum hactenus jugum abjecit. Et bella se nunc offerebat occasio, ubi connubii hujus in conservandis familiis utilitas tam manifesto apparebat, quare *morem accommodari oportuit, quemadmodum conducebat*, ait Tacitus dicto loco.

§. IV.

Tot ac tam illustria, post Plebiscitum hoc, ejusmodi matrimoniorum occurrunt exempla, ut vere idem dixerit Tacitus, ea tempore *percrebuisse*. Jam enim anno ab Urbe condita 582. P. Licinio Crasso & C. Cassio Longino Consulibus, Sp. Ligustinus centurio uxore patrueli sua ita gloriatur, apud Livium lib. XLII. cap. 32. ac si bonum factum esset, si quis consobrinæ nuptias ambiret; unde jam pridem legem illam a Plutarcho memoratam rogatam conjicere licet. Brutus utique paulo post uxorem duxit Portiam consobrinam suam, Catonis Uticensis filiam; cum ipse esset filius Serbiliæ, sororis ipsius Catonis, Βρουτος ανεψιος ait Plutarchus in Bruto cap. III. M. Antonius C. Antonii Patrui sui filiam. ανεψιαν ουσαν αυτου, matrimonio sibi copulavit, auctore eodem in vita Antonii cap. XII. Unde Tullius Philipp. II. cap. 38. *Frequentissimo Senatu, sedente patruo,*

patruo, *hanc tibi esse cum Dolabella causam odii dicere ausus es, quod ab eo sorori* (patrueli) *& uxori tuæ stuprum oblatum esse comperisses.* Idem Cicero in principio Orationis pro A. Cluentio refert, ejus filiam nupsisse A. Aurio Melino consobrino suo, illasque nuptias *plenas dignitatis*, *plenas concordiæ* fuisse. Sub libera porro, an occupata republica, incertum, P. Aquius quidam cum uxore sua gemina in arca conditus, quasi posterorum interesset, titulo sepulcri hoc inscribi jussit, se consobrinam duxisse, quanquam proprie sobrini fuerint, si graduum supputatio ineatur. Exstat apud Gruterum pag. CCCLX. n. 3.

P. AQVIVS. SCAEVAE ET. FLAVIAE
FILIVS. CONSI. NEPOS
BARBI. ET. DVRICIAE. PRONEPOS
CONSOBRINVS. IDEMQ. VIR
FLAVIAE. CONSI. FILIAE. SCAPVLAE. NEPTIS
BARBI. PRONEPTIS.

Augustus filiam suam Juliam Marcello Octaviæ sororis suæ filio nuptum dedit, ut Dio Coccejanus lib. LIII. & Suetonius in ejus vita cap. LXIII. memoriæ prodidere. Sororem Germanici Liviam, quæ Dioni & Suetonio Livilla vocatur, Druso consobrino suo nuptam fuisse, a Tacito lib. II. Annal. cap. 84. relatum accepimus. Et Quintilianus filium suum immatura morte præreptum lugens, avunculo cum generum destinatum significat. lib. VI. Orat. instit. proœm. Sub Divis Fratribus Apulejus quoque lib. IV. Metam. puellam a latronibus captam hoc pacto locutam refert: *Speciosus adulescens inter suos principalis, quem filium publicum omnis sibi civitas cooptavit, meus alioquin consobrinus, votis nuptialibus pacto jugali pridem destinatus, consensu parentum tabulis etiam maritus nuncupatus.* Ipse Marcus Antoninus Philosophus, qui omnes retro imperatores pietate & sapientia vicit, quique *sacratissimus princeps* a Cajo in l. 9. ad Senatusc. Tertull. *Providentissimus & juris religiosissimus* a Papiniano in l. 67. §. fin. de Legatis lib. 2.

& *φιλαδελφικώτατος* a Justiniano Nov. 22. appellatur, Faustinam consobrinam suam uxorem duxit, auctore Julio Capitolino. Constantius denique Imperator sororem suam Helenam, vel, ut aliis audit, Constantiam, Juliano Cæsari patrueli in matrimonium tradidit, ut Julianus Imp. ad S. P. Q. Atheniensem *pag. m.* 272. & Philostorgius Hist. Eccl. *lib. IV. c.* 2. testantur.

§. V.

Verum quid aliunde testimonia coacervamus? cum domi nostræ, Pandectæ & Codex exemplis nuptiarum inter Consobrinos contractarum abundent. Ecce enim, quam aperte Sextus Pomponius scribat, suo, id est Marci Antonini tempore, avum, qui nepotem ex filio, & neptem ex altera filia in potestate habebat, nuptias inter eos conciliare potuisse *l.* 3. *D. de Ritu nupt.* Suppar huic Ulpius Marcellus fratrem, eundemque consobrinum ponit, sequentem conditionem institutioni adjecisse: *Uter ex fratribus meis consobrinam nostram duxerit uxorem, ex dodrante; qui non duxerit, ex quadrante heres esto*, & decidit, *consobrinam qui ex his duxit, habebit quadrantem*, *l.* 23. *D. de Condit. instit.* Post hunc Q. Cervidius Scævola, sub Commodo, ex facto consultus, speciem proponit, ubi quis filiam suam heredem scripsit, & ita cavit: *Lucio Titio, fratris mei filio, genero meo, ducentos aureos relinquo*, in *l.* 78. §. 8. *D. Ad SCt. Trebell.* Hujus discipulus, Æmilius Papinianus, Severi tempore ad eundem fere casum, quem ex Marcello, vidimus, respondet, ubi duos fratres habens, ita eos heredes instituit: *Qui ex fratribus meis Titiam consobrinam uxorem duxerit, ex besse heres esto, qui non duxerit, ex triente, heres esto*, *l.* 24. *D. de Condit. instit.* Claudius denique Tryphoninus in *l.* 67. §. 1. *de Ritu nupt.* avum proponit, qui tutelam gessit neptis ex filio emancipato natæ, eam nepoti ex altero filio collocare nitentem, & quia par affectionis caussa suspicionem fraudis amovebat, hujusmodi nuptias concedendas definit. Ex quibus capitibus satis apparet, non qui-

quidem nuptias hasce tam sponte susceptas, quam a parentibus, matre, avo, patruo, consobrino, bonorum in familia conservandorum causa, imperatas plerumque, licitas tamen fuisse & frequentes. Antonius Faber Jurispr. Pap. tit. IX. princ. 6. illat. 6. permissas quidem agnoscit, sed non jure communi, at ita demum, si principalis rescripti auctoritas interveniret, *arg. l.* 3. *D. de Nuptiis* & *l.* 1. *C. Th. Si nupt. ex rescr. pet.* Hoc vero nihil est frigidius! En tibi Pauli verba in dicta l. 3. *Si nepotem ex filio, & neptem ex altero filio in potestate habeam, nuptias inter eos, me solo auctore, contrahi posse, Pomponius scribit, & verum est.* Quaestio hic non erat de relaxatione Principis; nec vox *solus* excludit consensum utriusque conjungendi, sed jussum patris sponsi; cui invito suus heres agnasci non poterat, secundum regulam. Facile autem hac in specie admissa fuit exceptio, quo avus, qui solus erat Princeps familiae, solus etiam esset arbiter nuptiarum in familia contrahendarum: eaeque neutri filiorum displicere poterant aut debebant, quia avus utrumque copulandum in potestate habebat & optimum pro iis consilium capere videbatur. Sic convenit, quod Antoninus Imperator *probabile consilium* matris vocat: eaeque filio sororis suae filiam matrimonio jungi voluerat, nec, ait, videri posse, *sub specie turpium nuptiarum* filiae viduitatem indixisse. *l.* 2. *C. de instit. & substitut.* Non minus Imp. Alexander legatum a patruo fratris filiae relictum sub conditione *si filio suo* nupsisset probat, sed tum demum id non deberi rescribit, si mortuo filio, priusquam matrimonium cum eo contractum, conditio defecisset. Diocletianus deinceps & Maximianus in Constitutione sua, Tusco & Anulino Coss. promulgata, quae e lib V. Codicis Gregoriani in titulum VI. Collationis Legum Mosaicarum & Romanarum migravit, profitentur, Edicto se complexos esse personas, tam cognatorum quam affinium, cum quibus contrahi non liceat matrimonium, at consobrinorum nuptiae inter illicitas ibi non numerantur.

§. VI.

§. VI.

Flavius Theodosius, cognomento Magnus, Princeps religiosissimus, & honestatis in conjunctionibus amantissimus, primus Consobrinorum nuptias prohibuit, circa annum Domini, ut videtur, trecentesimum octogesimum quartum, quum jam per sex sæcula a summis & imis Romæ, ab Ethnicis & Christianis, sine pudore contractæ fuissent. Ipsa Constitutio nuspiam hodie exstat, sed ab Honorio, Theodosii filio, in *l. un. C. Th. Si nupt. ex rescript.* expresse memoratur. Eandem indicat Libanius, Orator Antiochenus, in Oratione ad ipsummet Theodosium scripta, ὑπὲρ τῶν γεωργῶν περὶ τῶν Ἀγγαρειῶν, cujus verba ex Jacobi Gothofredi, Viri Cl. qui primus eam edidit, versione sunt istæc: *Edixisti etiam, ne Consobrinorum nuptiæ essent, cum id passim liceret: neque iis, quæ tibi justa videbantur, temporis observantia validior fuit.* Meminit ejusdem Ambrosius Mediolanensis Episcopus, in Epistola ad Paternum lib. VI. n. 48. & altera ad Cynegium lib. VIII. n. 62. quæ in editione Basileensi recte conjunguntur. Verba epistolæ ad Paternum adscribo: *Sed si divina*, inquit, *te prætereunt, saltem Imperatorum præcepta, a quibus amplissimum accepisti honorem, haudquaquam præterire te debuerunt: Nam Theodosius Imperator etiam patrueles fratres & consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, & severissimam pœnam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora: Et tamen illi invicem sibi æquales sunt, tantummodo quia propinquitatis necessitudine & fraternæ societatis jugantur vinculo, pietati eos voluit debere, quod nati sunt.* Cœperat nimirum Ecclesia, jam quodammodo superstitiosior, ab hujusmodi conjunctione abhorrere, sive quod usu bis aut semel compertum, eam infecundam fuisse & infaustam: sive quod Episcopi conscientias onere nimis scrupuloso gravantes, factum licitum propter vicinitatem illiciti horrebant: sive etiam, quia nominum confusio eam sequebatur: Sic enim Ambrosius dicta epistola: *Quanta deinde etiam reliquorum confusio vocabulorum? Idem avus &*

socer

socer vocabere : ea quoque tibi neptis & nurus diverso nomine nuncupabitur. Potissima vero prohibitionis ratio, quod a dici ad esse consequentiam ducentes, eos, qui vulgo fratres & sorores patrueles dicebantur, fratrum & sororum loco habebant. Hanc utique rationem adfert Victor, in vita Theodosii de hac Constitutione scribens, Epit. cap. 76. *Tantum pudori tribuens & continentiæ, ut Consobrinarum nuptias vetuerit, tanquam sororum.* Nec abludit Augustinus lib. XV. de Civit. Dei cap. 16. qui anno Christi CDXX. florebat, cujusque verba sunt, quæ sequuntur. *Experti autem sumus in connubiis Consobrinarum, etiam nostris temporibus, propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quoniam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat; quia id nec divina prohibuit, nec adbuc prohibuerat lex humana Verum tamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti, & quod fiebat cum Consobrina, pene cum sorore fieri videbatur; quia & ipsi inter se, propter tam propinquam consanguinitatem, fratres vocantur, & pene germani sunt.* Pœnam legis hujus novellæ transgressoribus dictatam Arcadius, Theodosii filius, nobis retulit, in l. 3. C. Th. de Inc. nupt. *Designato*, inquit, *lege supplicio, hoc est ignium & proscriptionis.* Ambrosius modo laudatus *pœnam severissimam* vocat. Et nimis profecto dura est, ac a juris antiqui lenitate longius recedit; quo vere incestuosos ea tantum pœna, quæ adulteros ex Lege Julia, manebat. *l.* 38. §. 1. *D. ad Legem Jul. de adult. l. 5. de Quæst. Paulus lib. II. Sent. tit.* 19. §. 5. Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad A. D. 390. gentiles tam acerba sanctione, ab inveterato consobrinorum conjugio deterritos arbitratur, cum Christiani jam ipsi satis abstinerent: alii e Gothico jure flammæ supplicium *dictæ l.* 3. assutum existimant: verum nemo mirabitur, qui ingenium Theodosii recte noverit. Habebat naturæ impetum, quem si quis leniret, pronus erat ad misericordiam, ut nemo magis; si quis in majus exsuscitaret, ita exacerbabatur, ut, teste Victore in ejus vita, sæpius *severe præcepta modica* di-

dilatione emollienda essent. Et quantæ hic pœnarum minæ fuerint, nullus sane earum atrocitate affectus, sed hactenus lex sine moribus fuisse videtur, quod contracti, non contrahendi hujusmodi matrimonii veniam faciebat Imperator, excusatione erroris allata. Hoc enim, ut credamus, suadet clementia Imperatorum, qua rigorem legum de incestis nuptiis facile minuebant pœnasque remittebant *l. 57. D. de Ritu nupt. l. 38. §. 6. D. ad l. Jul. de adult.* tum etiam, quod Ambrosius in dicta ad Paternum epistola testatur, quibusdam *relaxatum* esse; idque deinceps vel inde constat, quia Theodosii filii, pro nuptiis his *supplicari* apud Patrem mox licuisse, multos etiam *quoquomodo absolutos*, aut *punitos* quidem, superstites tamen mansisse testantur, *l. 1. C. Th. Si nupt. ex rescr. l. 3. C. Th. de Inc. nupt.* An vero, quod Albericus Gentilis, Brouerus, Wissenbachius, & qui non alii? credidere, Ambrosius constitutionis hujus suasor fuerit, non satis liquet. Quanquam enim apud Theodosium is summæ habitus auctoritatis, & vetitas lege Dei has nuptias defendit, ejusque consilio famosa illa & decantata *l. 20. C. de Pœnis* de differenda in tricesimum diem pœna, post cladem Thessalonicensem, lata feratur: Jacobus tamen Gothofredus ad *d. l. un.* ex temporum ratione animadvertit Imperatori eum hic imponere non potuisse: quandoquidem Constitutio illa condita promulgataque fuit, circa annum Christi 384. quo Theodosius Constantinopoli moratus, ubi Nectarius Episcopus Constantinopolitanus forte, vel alius, eam suggerere potuit: post vero non nisi, Maximo Tyranno devicto, fine anni 388. Mediolani consistere cœpit. De *l. 20. C. de Pœnis* vide quæ contra Gothofredum disputat Pagius in Crit. Ann. ad a. 390.

§. VII.

Defuncto Theodosio, filiorum ejus varia admodum & desultoria legislatio circa nuptias has fuisse videtur. Secundo enim imperii sui anno, Arcadius & Honorius patrium interdictum confirmarunt: post, mutato consilio, Con-

Consobrinorum conjugia probarunt: rursus sui velut immemores, nova Constitutione edita, paternam legem revocarunt. Cujus mutationis rationem & causam, cum non satis perciperent, hilarioris etiam famæ interpretes, alii Principibus, alii Triboniano, Aniano etiam alii audacius insultarunt. Omnia autem plana erunt, modo hic in memoriam revocemus, quod omnes norunt, Orbem Romanum a Theodosio inter Arcadium & Honorium divisum, illique Orientis, huic Occidentis Imperium cessisse. Morem autem hunc tenuisse ipsos pariter, ac Principes anteriores, ut divisis licet Imperii partibus regnarent, atque adeo quamvis ab uno tantum Imperatore revera scripta lex esset, ex æquo tamen omnium nomina præferret. Quemadmodum in operibus etiam publicis omnium Imperantium nomina inscripta, quamvis ab uno tantum opus confectum esset. Sic igitur Arcadius partium Orientalium Imperator, in constitutione sua A. D. 396. ad Eutychianum PP. Orientis data, patris exemplo, Consobrinorum nuptias illegitimas quidem pronuntiavit, clementius autem, abolito ignis & proscriptionis supplicio, pœnam ita temperavit, ut uxor tantum uxor non esset, filii ex ea spurii nascerentur, dos item fieret caduca, & conjuges extraneis testamento nihil relinquere possent: ne scilicet, sub specie atrocioris judicii, aliqua in ulciscendo crimine dilatio nasceretur. Ipsa verba Constitutionis, quia sex locis mutilata in Codicem Justinianeum relata est, ex *l.* 3. *C. Th. de Incestis nuptiis*, apponere non gravabor:

Impp. Arcad. & Honor. AA. Eutychiano PF. P.
Manente circa eos sententia, qui post latam dudum legem quoquomodo absoluti sunt aut puniti, si quis incestis posthac consobrinæ suæ, vel sororis aut fratris filiæ, uxorisve, vel ejus postremo, cujus vetitum damnatumque conjugium est, sese nuptiis funestarit, designato quidem Lege supplicio (hoc est ignium, & proscriptionis) careat, proprias etiam quamdiu vixerit teneat facultates: Sed neque uxorem, neque filios ex ea editos habere

 cre-

credatur; ut nihil prorsus prædictis, ne per interpositam quidem personam, vel donet superstes, vel mortuus derelinquat. Dos, si qua forte solenniter aut data, aut dicta, aut promissa fuerit, juxta jus antiquum, fisci nostri commodis cedat. Testamento suo extraneis nihil derelinquat; sed sive testato, sive intestato legibus ei & jure succedant, si qui forte ex justo & legitimo matrimonio editi fuerint, hoc est de descendentibus filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis: de ascendentibus pater, mater, avus, avia: de latere frater, soror, patruus, amita. Testandi sane ita demum habeat facultatem, ut his tantum personis pro juris ac legum, quod voluerit, arbitrio relinquat, quas succedere Imperialis præcepti tenore mandavimus: Ita tamen ut hereditate defuncti penitus arceatur, si quis ex iis, quos memoravimus, in contrahendis incestis nuptiis participatum, atque consilium inisse monstrabitur; successuro in locum illius, qui post eum gradum proximus invenitur. Id sane quod de viris cavimus, etiam de feminis, quæ prædictorum se consortio commaculaverint, custodiatur: memoratis vero personis non extantibus, fisco locus pateat. Ad cujus legis nexum & conditionem pertinere jubemus, si qui forte jam dudum, hoc est ante promulgationem bujusce legis, illicitis memoratarum nuptiarum sceleribus commaculati, quoquomodo latere potuerunt. Dat. VI. Kal. Dec. Constantinop. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS. Clara legis est sententia, sed in qua haud diu perstitit Arcadius, siquidem novem post annis, A. D. 405. hoc genus conjugii prorsus legitimum, & liberos ex eo natos parentum successores haberi voluit; revocato jure antiquo, quod stante & occupata Republica, in primis tempore Jurisconsultorum, supra observavimus viguisse. Verba Constitutionis correctoriæ ad eundem Eutychianum in *l.* 19. *C. de Nuptiis* sunt, quæ sequuntur:

Impp. Arcad. & Honor. AA. Eutychiano PF. P.

Celebrandis inter Consobrinos matrimoniis licentia legis hujus salubritate indulta est: ut revocata prisci juris auctoritate, restinctisque calumniarum fomentis, matrimonium inter Consobrinos ha-

habeatur legitimum: sive ex duobus fratribus, sive ex duabus sororibus, sive ex fratre & sorore nati sunt: & ex eo matrimonio editi, legitimi, & suis patribus successores habeantur. Dat. Stilicone II. & Anthemio Coss. Elegans est conjectura Jacobi Gothofredi, Viri Eruditissimi, Arsacium Episcopum Constantinopolitanum hujus legis ferendæ auctorem fuisse, qui amoto, & anno superiore 404. in exilium pulso Joanni Chrysostomo nunc suffectus, omnia in contrariam sententiam commutavit: adeoque & hanc Constitutionem, quæ ad religionem & honestatem pertinere videbatur, suo consilio suasit, quam Chrysostomus proculdubio probaturus non fuisset. Simile quid observavit idem in *l. ult. C. Th. de Usuris.*

§. VIII.

Hæc Arcadius in Oriente. Videamus quid Honorius, frater & collega ejus, per Occidentem. Is post editam utramque hanc Constitutionem A. D. 409. patris interdictum probavit, ita tamen, ut Consobrinis permiserit, nuptias a sua indulgentia per Rescriptum impetrari. Ipsa verba Constitutionis, multum in Codice Justinianeo interpolatæ, rursus apponere lubet. Sunt autem sequentia in *l. un. C. Th. Si nupt. ex rescr. pet.* ad Theodorum Præf. Prætorio Italiæ directa:

Impp. Honor. & Theod. AA. Theodoro PF. P.

Quidam vetusto juris ordine prætermisso, obreptione precum nuptias, quas se intelligunt non mereri, de nobis æstimant postulandas, se habere puellæ consensum confingentes: Quapropter tale sponsaliorum genus præsentis legis definitione prohibemus. Si quis igitur contra hanc definitionem, nuptias precum subreptione meruerit, amissionem bonorum, & pœnam deportationis subiturum se esse non ambigat. Et amisso jure matrimonii, quod prohibita usurpatione meruerit, filios se juste hac ratione susceptos non habiturum, nec unquam postulatæ indulgentiæ adnotationisve Principis indulto efficacem se veniæ effectum meruisse. Exceptis his, quos Consobrinorum, hoc est quarti gra-

dus conjunctionem, lex Triumphalis memoriæ, Patris nostri exemplo indultorum, supplicare non vetavit. &c. Dat. Kal. Febr. Ravennæ DD. NN. Honorio VIII. & Theodosio III. AA. COSS. Ecce Principis interventu Consobrinas duci permittit expresse, id quod severa Patris sanctione, nec vetitum erat, nec permissum. Mos autem ille antiquissimus fuit, nuptias ex Rescripto petendi. Herodotus in Erato narrat, apud Spartanos, ex quorum moribus jus civile Populi Romani conflatum constat, jus fuisse, ut Princeps de virgine statueret, ad quam tota hereditas pervenisset, quis illam uxorem ducere deberet, si a patre non esset desponsata. Sub libera Republica ipse Populus legum impedimenta remittebat, inque ejus arbitrio erat, illicitarum nuptiarum gratiam facere. Cujus potestatis elegans admodum & singulare exemplum habet Livius lib. XXXIX. cap. 19. in Hispala Fecenia libertina, cui, ob Sacra Bacchanalia detecta, inter alia præmia, SCto indultum fuit: *Uti ei ingenuo nubere liceret, neu quid ei, qui eam duxisset, ob id fraudi ignominiæve esset.* Post vero cum omnia populi jura & commoda ad fiscum traducta essent, Principes beneficio suo omnem injustarum nuptiarum indulgentiam vindicarunt: v. gr. in Senatore libertinam ducente *l.* 31. *D. de Ritu nupt.* in nuptiis tutoris vel curatoris cum pupilla *l. pen. C. de Interd. matr.* cum ea, quæ impar dignitate, *l. ult. D. de Senator. l.* 23. *C. de Nupt.* & sic quoque Consobrini, non nisi impetrato Rescripto, conjungi potuere. Egregie hoc declarat Symmachus, Vir Consularis, qui Theodosii & filiorum tempora ingenio suo illustravit, lib. X. Epist. XI. his verbis: *Per amicum communem Gaudentium propinqui mei Valentini preciculas misi, sane ad fidem meam & conscientiam pertinentes. Nam frater ejus Boferius, cum premeretur extremis & præsentem me, & per epistolam summis precibus obsecravit, ut impetrata sacri auctoritate Rescripti, filia ejus fratris sui filio copuletur, quod multis esse concessum manifesta testantur exempla. Quare piæ supplicationi adjumentum meum negare non possum,*

sum, quoniam fidem meam super his nuptiis voluntas propinqui morientis adstrinxit, ut epistola precibus connexa declarat. His ita distinctis, in fumum abit, quicquid Interpretes de triplici, intra tredecim annos, variatione Arcadio & Honorio Imperatoribus affricuerunt: quando quidem hac in re, non satis, quod Claudianus de fratribus his cecinit:

Conspirant Gemini frenis communibus Orbes.

Barnabas etiam Brissonius & Antonius Contius, dum hujusmodi levitatem ab Impp. removere studuerunt, si curatius hæc perpendissent, in tanta salebra & errore plane contrario non hæsissent. Ille enim hoc argumentum in libro de Jure connubiorum tractans, legem *Celebrandis* probat; duas autem illas Constitutiones, quas ex Codice Theodosiano attulimus, non sic ab auctoribus suis scriptas existimat, sed quemadmodum in Codice Justiniani repetitæ prælectionis reperiuntur in *l. 6. C. de Incest. nupt.* & *l. 1. C. Si nupt. ex rescr.* ubi clausulæ illæ de nuptiis consobrinorum absunt, quas ab Aniano, Alarici Regis Cancellario, e Gothorum jure, accommodatas censet. Contius vero, quid statueret incertus, lib. I. Lect. subs. cap. 9. culpam transfert in Tribonianum, falsi eum accusans, quod *legem* 19. *C. de Nupt.* Arcadio & Honorio in Codice Justinianeo adscripserit; qui legem paternam super hujusmodi nuptiis severissime tuiti sint: mox Protei in modum mutatus, lib. II Lect. c. 1. legem illam revera auctores Arcadium & Honorium habere; sed tamen, vel non sic ab iis scriptam, vel eam rursus ab Honorio lege singulari *Si nupt. ex rescr.* abrogatam pronuntiat. Utrumque autem quam inane sit, textus verborum ejusdem coloris, & temporis ordo supra discretus, & Placentini atque Azonis summæ in Codicem satis ostendunt, ac pluribus argumentis docuit Jacobus Gothofredus ad *l. 3. C. Th. de incestis nuptiis*, ut minus ideo causæ fuerit, cur Brouerus *lib. II. cap.* 12. *n.* 5. Brissonii partes sequeretur.

§. IX.

§. IX.

Necdum tamen res nostræ securæ sunt. Vehementer enim de nuptiis consobrinarum suo tempore dubitatum fuisse, refert Franciscus Florens; ideoque utriusque partis momenta, in erudita de *nuptiis consobrinarum prohibitis aut permissis* dissertatione, ad Henricum Memmium, Parisiensis Senatus Præsidem, A. 1636. scripta, recensuit, examinavit, & legem *Celebrandis* omnes peræque tenere, non vero specialem aliquam indulgentiam largiri, eamque germanam & veram, non supposititiam esse ostendit. Contra Jacobus Sirmondus, Societatis Jesu presbyter, eodem tempore clarus, & optima fide de litteris meritus, in libello, quem vocat *Quæstio triplex*, quique Operum ejus tom. IV. pag. m. 388. editionis Paris. novissimæ reperitur, famosam illam Arcadii *l.* 19. *C. de nuptiis*, qua Consobrinorum nuptiæ in totum legitimæ declarantur, plane novam, falsam, & a Triboniano, ex suo sensu & sæculi disciplina, in Codice repetitæ prælectionis suppositam esse contendebat: cujus argumenta strictim exponemus, quia in singulis hærere longum esset. Primum, quod Virum hunc eruditissimum movit, præjudicium est; quod in antiquis nonnullis Justiniani Codicibus Constitutio illa, Cujacio teste, non reperitur. Dein titulum falsi accusat, quia nec in Codice Theodosiano extat, in quem relatæ sunt Arcadii & Honorii leges, atque ita relatæ, ut quæ in eo desunt, falsitatis nota damnentur, ex Novella Theodosii I. Veritati porro minime consentaneum arbitratur, duos istos Principes, qui secundo Imperii anno, Theodosii patris exemplo, Consobrinorum nuptias vetuerant, suam ipsorum legem post novem annos rescidisse; atque iterum, quarto post anno, Honorium, mutato leviter consilio, legem paternam comprobasse. Et quis, sodes, quod quartum est, nobis persuadeat, inquit, abrogasse filios legem Theodosii, quam centum post annis in usu fuisse, formulæ Cassiodori testantur? Augustinus item lib. XV. de civitate Dei cap. 16. tum

tum quoque, cum libros illos scribebat, hoc est annis amplius viginti, post alterum Stiliconis Consulatum, quo data Lex ista dicitur, prohibitionem Theodosii stetisse affirmat: *Verum tamen quis dubitat, honestius hoc tempore etiam Consobrinarum prohibita esse conjugia?* Ipsa denique lex sibi repugnare adversarique videtur, inscriptioni subscriptio. Missa enim dicitur ad Eutychianum Præfectum Prætorio, & data Stilicone II. & Anthemio Consulibus. Atqui si Anthemio Consule data est, ad Eutychianum mitti non potuit, quia quo anno Consul Anthemius fuit, non Eutychianus, sed Anthemius ipse, illius successor, Præfecturam Prætorianam una cum Consulatu gessit, quem utrumque honorem ipsi gratulans Chrysostomus scribit epist. 147. *Alii quidem tibi & Consulatus & præfecturæ nomine gratulantur. Ego vero dignitatibus ipsis tua caussa. Neque enim exornaverunt te illæ, sed a te ipsæ ornatæ sunt.* Hæc sunt fundamenta, quibus eruditus ille Presbyter legem *Celebrandis* a Triboniano fabricatam existimavit, haud levis quidem ponderis, nec etiam tanti, ut vadimonium nobis deserendum videatur.

§. X.

Vix autem in dias luminis auras prodierat *Quæstio* illa *triplex*, & divino velut sidere afflatus, Jacobus Gothofredus, maximus Jurisprudentiæ vindex, tecto Sirmondi nomine, Dissertationem ad *l. Celebrandis* ei opposuit, A. 1642. quæ editioni ejus Philostorgianæ adjecta, ideoque Jurisconsultis, ut video, eruditissimis quibusdam fuit ignota, & nunc quoque non in omnium manibus versatur. Non equidem facile excusari posse Tribonianum, ibi largitur, quod legibus recisis, mutatis, additis quæ liberet, in suam sententiam plerasque effinxit; immo aliena nomina, seu titulos, signa, aliosve temporis characterismos adnotavit: quod vero novam prorsus finxerit legem, falsamque supposuerit, id neminem hactenus, ait, demonstrasse. Et cui bono adscripsisset Justinianus hisce Imperatoribus falso hoc jus? qui gloriam

novi juris condendi & innovandi nimis aucupabatur, cuique in promtu erat, nova constitutione facta, jus vetus revocare, abrogato Theodosii interdicto, quod a paucis Imperatoribus erat approbatum. Per singulas etiam verborum formulas ostendit, brevitatem & elegantiam sæculi Arcadiani ubivis hic pellucere, nihilque esse, quod auctorem & architectum sapiat Tribonianum. Dein singula argumenta accurate diluit, obscuriora in clarissimo lumine collocat, & difficillimas rerum ac temporum vices feliciter exponit. Primum enim nihil officere monstrat, quod in mendosis quibusdam Justiniani codicibus lex illa non reperitur; cum abunde sit, meliores eam habere; & quamvis in his etiam deesset, inde non effici, ut Triboniano magis, quam Arcadio tribuenda, verum ut universa, tanquam rejicula, expungenda videatur. In Codice Theodosiano eodem fato lex ea intercidit, quo aliæ Constitutiones quamplurimæ, ex libris quinque prioribus, ubi & titulus de nuptiis occurrit, deficiunt: hi enim integri ad nos non pervenerunt, sed exiguum tantum eorum breviarium, a Gothorum manu confectum. Sic *legem 25. C. de Nupt. l. 4. & 5. C. de Incest. nupt.* aliasque Codex Theodosianus non habet, quas tamen inde spurias nemo appellavit. Non etiam ita absurdum videtur, Arcadium legem paternam, antea a se mitigatam, post novem annorum decursum prorsus sustulisse: quia ipse Theodosius, data venia, & supplicatione concessa, satis agnovit, nec jure naturali, nec divino, nec gentium moribus, severitatem illam defendi posse; multisque insuper exemplis confirmat, Arcadium leges fixisse & suas refixisse, prout Consiliarii novi hortabantur. Theodosianæ porro legis usus nullus fuit, tempore Augustini vel Cassiodori: in Oriente Arcadii, in Occidente Honorii constitutiones valuere; ille suas Constantinopoli, hic Ravennæ dedit; ibi permissæ fuerunt Consobrinorum nuptiæ, hic vetitæ, ut tamen principali, rescripto eas impetrare liceret. Quod denique ad sub

scriptionem-

ſcriptionem attinet, ſcimus, eam in multis Codicibus vitio librariorum deeſſe; ſcimus Ruſſardum eam male ex *l.* 3. *C. Th. de inc. nupt.* ſuppleviſſe: habemus etiam gratias Cujacio & Contio, qui genuinam reſtituerunt. Gratis autem dicitur, inſcriptionem ſubſcriptioni repugnare: Anthemius enim hoc anno idem Conſul & Præfectus Prætorio, a menſe tantum Julio fuit, teſte *l.* 1. *C. Th. Ne quis in palat. man.* unde ad Eutychianum ex anno præcedente, ad hoc usque tempus, in Præfectura perſiſtentem, Anthemio a Kal. Jan. Conſule, legem hanc eſſe miſſam fidei hiſtoricæ non refragatur. Nec ſera nimis gratulatio Chryſoſtomi ſic videtur, qui in Armenia ſecunda, Cucuſi, loco a via publica remotiſſimo, & continuis Iſaurorum excurſibus expoſito, exul degebat; ut vel citius nuncium de Conſulatu non acceperit, vel de accepto citius non potuerit gratulari. Addo & hoc, quod teſte Procopio Hiſtor. arcan. cap. XXVI. alter Conſul hoc tempore Romæ, alter Byzantii creabatur, unde eveniebat, ut unus, vel uterque, pro ſitu regionum aliquandiu eſſent ignoti. Sic anno, qui eum, de quo hic agimus, præcedit, 404. Syneſius Epiſt. XXXII. ſcribit *Nudius tertius, novis Conſulibus, quorum alter eſt Ariſtænetus:* Τον γαρ συναρχοντα αγνοω, *collegam enim ignoro.* Alemannus ad Procopium, ſi vacat, videatur.

CAPUT IV.

De Jure Græcorum, Gothorum, Francorum, Alamannorum, Canonico & Moribus.

§. I. *Tempore Juſtiniani nuptiæ Conſobrinorum permiſſæ in Oriente. Lectio affirmativa* §. 4. *I. de Nupt. quatuor argumentis adſtruitur, Marcilius notatus.* II. *Fabri, Hotmnni & Sirmondi rationes contrariæ refelluntur.* III. *Theophilus fideliſſimus paraphraſtes & Triboniani ſocius, nitori redditus, & a calumniis vindicatus. Variorum*

riorum errores & fraudes castigantur. IV. *Saeculo nono & sequentibus Consobrinorum nuptias a Graecis Imperatoribus prohibitas, ex Basilicis, Harmenopulo, Cedreno, Anna & aliis demonstratur.* V. *Per Occidentem Honorii constitutio viguit. Apud Gothos saeculo sexto nuptiae hae ex Rescripto impetratae; ejus formula ex Cassiodoro prolata. Cajus ab Aniani manu interpolatus, Augustinus & Hotmanus notati.* VI. *Saeculo octavo & deinceps Conciliis Ecclesiasticis & legibus Francorum, Alamannorum, Bajoariorum, Langobardorum rursus vetitae.* VII. *Maximum Juris Canonici studium coercendarum nuptiarum non impedivit, quominus Pontifex in consobrinorum conjugiis dispensarit.* VIII. *Gentium hodiernarum fluctuatio.*

§. I.

Centum viginti & novem annos jam condita & usu recepta fuerat Arcadii Constitutio posterior, quum Justinianus eam integram, suisque numeris absolutam, in Codicem repetitae praelectionis referret. Hoc ipso autem indicare voluit Imperator, quam nihili faceret rationes hominum superstitiosorum, qui Theodosianae legis fuerant suasores, quique eam nunc, tanquam religiosam & piam, commendabant. Quam parum quoque moratus sit Honorii decretum Occidentale, ex eo desumta *lex* 1. *C. Si nupt. ex rescr.* satis ostendit; cui integra, quae de Consobrinis agebat, clausula abest: non alia ratione, quam quia eorum matrimonia, sine ulla rescripti impetrandi necessitate, prorsus legitima esse volebat. Nec sane incestas ipsi fuisse hujusmodi nuptias, in Institutionibus testatus est, in quas jus certum, & quod in rerum tum obtinebat argumentis conjecit: *Duorum autem fratrum*, inquit, *vel sororum liberi, vel fratris & sororis jungi possunt.* §. 4. *Inst. de Nuptiis.* Affirmativam hanc lectionem probant editiones Vulgata, Haloandri, Russardi, Charondae, Cujacii. Probant tot Responsa Prudentum & Principum rescripta §. *V. cap. praeced.* a nobis allata, quae cum omnia Consobrinorum nuptias admittant, contrarius sibi fuisset Justinianus, si eas

in

in Institutionibus, seu medio tempore inter Pandectas & Codicem compositis, improbasset. Probat eandem ratio, *quia quarto gradu sunt*, inquit Cujacius, notatus eo nomine a Theodoro Marcilio ad *h.* §. his verbis: *Hoc quemadmodum dicat, ipse viderit. Nam fratrum & sororum liberi jure civili non quarto, sed tertio sunt.* Gerræ Siculis vaniores! Vide §. 4. *I.* & *l.* 1. §. 6. *D. de Grad. cognat.* Probat denique idipsum Gregorius in responsionibus, ad consultationem Augustini Angliæ Episcopi, tam aperte, ut nullo juris loco permissio clarius exprimatur: *Quædam lex terrena in Romana rep. permittit, ut sive fratris & sororis, sive duorum fratrum germanorum, sive duarum sororum filius & filia misceantur. C. 2. caus. 35. quæst. 5.*

§. II.

Attamen non desunt, quibus hanc lectionem infirmatum iverint Viri eruditi, quos inter & acutissimus est Antonius Faber *Jurisp. Papin. tit. IX. pr. 6. illat. 6.* Titus enim Cajus, ex cujus præcipue Commentariis Institutiones suas Justinianus compositas profitetur, *lib. I. tit.* 4. §. 6. scribit: *Consobrinos in matrimonium jungi, nulla ratione permittitur.* Theophilus item, doctus earundem paraphrastes, hunc locum negative transtulit: συναπτεσθαι ου δυναται. Contius præterea in duobus exemplaribus manuscriptis Latinis, & Hotmanus in libro Tigurino negativam lectionem se deprehendisse fatentur: nec aliter legit Ivo Carnotensis Pannomias part. 9. c. 1. ubi Molinæus notavit: *Ex hoc loco restitui potest. §. Duorum autem fratrum Inst. de nuptiis, qui passim corruptus legitur.* Denique Damianus in epistola ad Rusticum suo tempore, id est ante sexcentos annos, particulam *non* in omnibus exemplaribus fuisse testatur. De Cajo & Theophilo videbimus postea. Manuscriptos autem Codices ad sæculi sui morem accommodatos & interpolatos putamus. Verum gravissima, ad lectionem negativam defendendam, conjectura videtur Hotmani, ex serie & ductu verborum desumta. Sic enim Justinianus totam

illam de permissis prohibitisque nuptiis hoc titulo orationem contexuit & distinxit, ut sive generis ejusdem aliæ alias subsequantur, sive diversi, notas ubique interponat, *Sed &*, *Item*, vel *Sed*, *Vero*, *autem*, quæ singularum inter se vel cognationem denotant vel discrimen. In fine autem §. præcedentis cum dixerat, filium non impediri ejus mulieris, quam pater adoptaverat, filiam ducere uxorem, statim subjungit: *Duorum autem fratrum*, quod sententiam negativam necessario inferre videtur. Sed hæ sunt argutiæ nimis argutæ, quæ nobis minime probantur. Vocula adversativa *autem* non respicit ad finem, sed initium prioris §. quod negativum est, fratrisque filiæ matrimonium prohibet: mox incidenter conceditur cum adoptivæ sororis filia, cui ut accessorio non respondet sequens oratio, sed priori, ut principali. Recte insuper reponit Huberus, non semper particulas relativas referendas ad periodum proximam, sed aliquando ad remotiorem, quæ præcipua est: nec distinctionem textus in versiculos, quam habemus, antiquam esse, ut nihil adeo discrimen initii & finis paragraphorum juvare possit. Concidit sic etiam divinatio Sirmondi, ipsum Tribonianum negationem sustulisse, ut ne Institutiones a posteriore Codice, & lege *Celebrandis* in eum relata discreparent; cum antea, secundum Theodosii legem, in Codice priore approbatam, *jungi non possunt* scripsisset.

§. III.

Nunc ad Theophilum veniamus, quia de Cajo infra, ubi de Gothis, commodius agetur. Convertit ille dictum §. 4. in linguam Græcam, sed simul unica particula adjecta, in contrarium sensum: Δυο αδελφων αρρενων, η θηλυων παιδες, η αδελφου, και αδελφης, αλληλοις ου δυνανται προς γαμον συναπτεσθαι. *Duorum fratrum vel sororum, aut fratris & sororis liberi non recte inter se nuptias contrahunt.* Varii varias ingressi sunt conciliandi vias. In editione Lovaniensi ex officina Rutgeri Rescii, anno 1536. particula ου non expressa est, sed ab ipso

ipso Rescio ablata, ut Petrus Nannius annotavit. Non majore fide Jacobus Curtius, interpres Latinus, contra scripturam Græcorum exemplarium, in editione Pictaviensi, quæ prodiit anno 1639. & sequentibus aliis, vertit, *recte inter se nuptias contrahunt:* eodem rursus colore, quod minime par sit a Justiniano dissentire paraphrasten. Albericus Gentilis lib. V. de Nuptiis cap. 11. quem Marcilius, Vinnius & plerique alii sequuntur, non ait istum Theophilum socium fuisse Triboniani, sed alium quendam recentiorem, qui de peculio suo negationem adjunxerit, ex jure, quo post tempora Justiniani nuptiæ inter Consobrinos incestæ haberi cœperunt. Alii rursus in Theophilum invehuntur, ut privatum & imperitum Jurisconsultum, qui pariter ac Tribonianus, jus in quo versabatur sæpe ignorarit. Et sane ejus solœcismos atque errata quædam, vanus sim, si tegere coner; quæ Viglius in præfatione, Fabrotus in notis, & passim Merillius, juratus quasi Theophili censor notavit, cujus verba ex l. 2. Obs. cap. 27. in gratiam eorum, qui sic sentiunt, proferre lubet. *Scatet*, inquit, *Theophilus plerisque aliis erroribus, & ineptis interpretationibus, quas præter verba Justiniani de suo interjicit, quasque, si Deus faciat, suis quibusque locis indicaturi sumus.* Hoc amplius negari non potest, familiare ipsi fuisse, omittere particulas & voces maxime necessarias; ut *fere* in §. 36. *d. Rer. div.* articulum *quasi* in §. 3. *de Susp. tut.* & vocem *tacitam* in §. 23. *de legat.* Quid igitur vetat; quominus contraria negligentia hic particulam *non* addidisse videatur? Verumenimvero de his, & aliis ejus farinæ conciliationibus, judicare licet, quod Eunomia Plautina, de feminis in Aulularia: *Optima nulla potest eligi, alia alia pejor est.* Fuit Theophilus fidelissimus & Juris peritissimus Institutionum interpres, idem cujus opera Justinianus in componendis Institutionibus usus est: citatur enim a Thalelæo, quem unum ex Pandectarum architectis fuisse constat. Nævos habet, sed ut pulcherrimæ facies: & optima vina fæces suas

suas habere solent. Graviora autem, cum Fabroto, non ejus, sed studiosi alicujus esse putem, qui hæc in ora libri sui primum scripsit, unde in ipsum dein contextum irrepserunt. Atque Theophilum ideo hunc §. affirmative legisse & transtulisse, verissimum & persuasissimum habeo; sed qui posteriori ævo, mutatis moribus, in libello hoc quotidiano, & in usum scholarum Græcarum, ut videtur, adhibito, transfiguratus est. In duobus Theophili Codicibus regiis negationem reperiri, in tertio deesse Fabrotus testatur. Manifestum quoque hujus mangonii indicium præbet §. præcedens, cui extra oleas idem ineptus glossator hanc sententiam Theophilo affinxit, ne quid in sequenti §. depravasse videretur: ἐξ ȣ βαθμȣ ȣ δυναμαι λαμβανειν προς γαμον οιον την θετην θυγατερα τȣ θειȣ η της θειας. Nec minus inepti sunt hic interpretes Latini, Curtius & Gothofredus, quos Bachovius ad §. 4. *de Nupt.* reprehendit.

§. IV.

Non multis post Justinianum annis, Gregorius Magnus Arcadii constitutionem rejecit; sensim quoque, recedente linguæ Latinæ usu, libri Justinianei obsolescere cœperunt, donec tandem recentiorum Imperatorum Constitutiones, conspirantibus Conciliorum Ecclesiasticorum canonibus, pristinam harum nuptiarum prohibitionem in usum revocarunt. In præstantissimo enim Basilicorum corpore, quod Basilius Magnus circa A. D. 870 inchoavit, ejusque filius Leo Philosophus a. 880. perfecit, quodque repurgatum Constantinus Porphyrogenneta, Basilii nepos, circa A. D. 910. edidit, Consobrini inter se jungi vetantur. Ipsa adscribam verba ex lib. XXVIII. tit. 5. qui est de prohibitis nuptiis. Και μεταξυ δε των εκ πλαγιων προσωπων εςι τις κωλυσις. Την γαρ τȣ αδελφȣ μȣ η την της αδελφης μȣ θυγατερα λαμβανειν προς γαμον ου θεμις, αλλ' ουδε την ταυτων εγγονην. Ομοιως ουδε την θυγατερα τȣ θειȣ η της θειας, τȣτ' εςι την εξαδελφην μου. Vertit Fabrotus: *Quin & inter eas personas, quæ ex transverso sunt, est quædam probibitio. Fratris enim mei, aut sororis meæ filiam ducere fas non est,*

est, sed nec horum neptem. Similiter nec patrui aut amitæ filiam, hoc est consobrinam meam. Eadem fere exhibet Constantinus Harmenopulus, Nomophylax & Judex Thessalonicensis, Promptuarii lib. IV. tit. 6. qui non sæculo duodecimo, quod Freherus, Suaresius, Brocus & Gothofredus censuere, sed sub imperio Annæ Palæologinæ filiique ejus Joannis Palæologi, circa A. C. 1345. vixit, ut præclare observat Lambecius in comment. Biblioth. Vindobon. lib. VI p. 1. p. 39. Sæculo autem undecimo, Georgius Cedrenus, Consobrinorum nuptias *incestissimas* habitas, in Heraclio prodit. Sæculo sequenti Nicetas Choniates in vita Manuelis, conjunctionem Andronici cum Eudocia, συνάφειαν ἀθέμιτον, *nefariam conjunctionem* vocat, cum tamen hæc patruelis filia esset, in quinto gradu. Latius namque tunc serpebat interdictum, ut semper Græca natio superstitiosior fuit, ipsique Imperatores inani timore capti, plus vatibus & Patriarchis, quam rationi obtemperabant. Refert Anna Comnena, sub finem Alexiados lib. 8. Comnenum Isacium Sebastocratorem filiam suam Theodori Gauræ filio despondisse: cum autem Gaura non multo post, defuncta uxore, Sebastocratoris conjugis sororem patruelem duxerat, irrita facta sponsalia; quod *& legibus & canonibus copulatio ista prohibita videbatur.* Quin etiam Demetrius Chomatenus, Alexius Patriarcha & Matthæus Monachus Quæst. matr. *tit. de grad. sept. consang.* lib. 8. Juris Græco Romani pag. 482. magno consensu tradunt, jure Orientali, in Synodo sub Patriarcha Cæsare Luca habita, atque mandato Principis Manuelis Comneni confirmata, a quinto gradu hactenus vetito, ad septimum usque gradum nuptias interdictas fuisse. Immo Pachymeres lib. VI. c. 6. scribit, Synodum in gratiam Michaelis convocandam fuisse, ut ducere posset Annam, filiam Imp. Michaelis Palæologi, cujus consobrinam, natam ex sorore ejusdem Imperatoris, frater ejus Nicephorus in matrimonio habebat. De pœna Consobrinis imposita, Harmenopulus lib. VI. tit 4. vertente

Merc:ro: *Qui matrimonio copulantur*, inquit, *aut alioqui mutuo complexu junguntur, fratrum sororumve filii, & ex his progeniti liberi, iique vel soli, vel pater & filius cum filia & matre, non dirimantur tantum, sed & fustibus cædantur.* Adde Leonem & Constantinum in ἐκλογῃ των νομων *tit. XII.* Michaelem Attaliatem *Synopsi jur. tit.* 26. & Jus Græco Romanum, quod Bonifidius & Freherus edidere, *lib. III. pag.* 204.

§. V.

Ex Oriente nunc pergamus in Occidentem, ubi Honorii constitutio: post annos centum, & quod excurrit, sexto a nato generis humani Servatore sæculo, intemerata, medios inter barbarorum furores, stetit. Cum enim Ostro-Gothi finibus suis egressi, Italiam a Zenone sibi concessam, Romanasque provincias armis occupassent, hanc erga victos Romanos humanitatem exercuerunt, ut cuique liberum permitterent, sua lege vivere, ipseque Theudericus Rex in Edicto, quod Petrus Pithœus publicavit, diserte caveret: *Edictum illud promulgari, salva juris publici reverentia, & legibus omnibus cunctorum reverentia servandis:* quibus verbis haud dubie Romanas leges indicari, recte observavit H. Conringius de orig. Jur. Germ. cap. 4. Sæpius inde eveniebat, ut nuptiæ a Consobrinis ex Rescripto peterentur, cujus formulam, velut quotidianam & frequentem, nobis conservavit Cassiodorus, Theoderici Gothorum Regis Cancellarius, lib. VII. Variarum 46. quam integram referre non pigebit. Verba formulæ: *Institutio divinarum legum humano juri ministrat exordium, quando in illis capitibus legitur præceptum, quæ duabus tabulis probantur adscripta. Sacer enim Moses, divina institutione formatus, Israelitico populo inter alia definivit, ut concubitus suos a vicinitate pii sanguinis abstinerent: ne & se, in proximitatem redeundo, polluerent, & dilationem providam in genus extraneum non haberent. Hoc prudentes viri sequentes exemplum, longius publicam observantiam posteris transmiserunt: reservantes Principi*

cipi tantum beneficium, Consobrinis nuptiali copulatione jungendis. Intelligentes rarius posse præsumi, quod a Principe jusserant postulari. Admiramur inventum, & temperiem rerum stupenda consideratione laudamus, hoc ad Principis fuisse remissum judicium. Ut qui populorum mores regebat, ipse & moderata concupiscentia fræna laxaret. Et ideo supplicationum tuarum tenore permoti, si tibi illa tantum consobrini sanguinis vicinitate conjungitur, nec alio gradu proximior approbaris, matrimonio tuo decernimus esse sociandam, nullamque vobis exinde jubemus fieri quæstionem, quando & leges nostra permitti voluntate consentiunt, & vota vestra præsentis auctoritatis beneficio firmaverunt. Erunt vobis itaque, Deo favente, posteri solenniter heredes, castum matrimonium, gloriosa permixtio, quando quicquid a nobis fieri præcipitur, necesse est, ut non culpis, sed laudibus applicetur. Alia Westro Gothorum sive Wisigothorum fuit ratio: hi enim cum sequente, vel, si Pagium sequimur, eodem, quo Honorius Ravennnæ legem tulerat, anno Romam ceperant, ac direptis Italiæ spoliis, mox onusti in Galliam concesserant, sua lege vel more usi videntur. Sub initium sæculi sexti, deinde Anianus, Alarici Regis Referendarius, ex Codice Theodosiano, Gregoriano, Hermogeniano, Pauli sententiis & Caji Institutionibus Corpus aliquod Romanum composuit, suique ævi jus & barbariem orbi trusit. At breviarium ejus *l. un. C. Th. Si nupt. ex rescr. pet.* satis docet, Theodosii magis, quam Honorii legem Gothis placuisse; unde & in ipsis eorum legibus, ab Eurico compositis, usque ad sextum cognationis gradum nuptiæ prohibentur. Nec alia ratione interpolatus Cajus lib. I. Instit. tit. 4. §. 6. *Fratres enim amitinos & consobrinos in matrimonium jungi nulla ratione permittitur.* Ubi Anianus non Caji, sed temporis sui doctrinam tradidit; quod post Cujacium, Brissonium, Fabrotum, Aleander, Oiselius & novissime Clarissimus Schultingius in notis observarunt.

 Floruit

Floruit Cajus sub Marco Antonino, quem ipsum Faustinam consobrinam duxisse notavimus supra: & fallitur omnino Augustinus, quum in libro de propriis Nomin. Pand. Cajum Justiniani æqualem facit, nec melius Hotmanus eum Theodosii ætate vixisse & Græce Institutiones composuisse putavit ad §. 4. *I. de Nupt.* & *l.* 8. *Obs. cap.* 4.

§. VI.

Legum Wisigothicarum usus in Hispania & Gothia, id est Narbonensi Gallia, sæculo sexto & deinceps fuit maximus, ut fortassis non errarit, qui prohibitionem conjugii Consobrinorum ab his ad Francos, inde ad alios Germaniæ populos dimanasse putet. Quamvis enim in Lege Salica tit. XIV. §. 16. Consobrinorum nuptiæ disertis verbis prohiberi videantur; Hieronymus tamen Bignonius in notis observavit, non modo illud caput a regiis manuscriptis codicibus abesse, sed idem, ex Synodo Turonica II. sub Chariberto Rege habita, in ceteros codices irrepsisse. Eadem certe Synodi, quæ vulgo legis Salicæ, sunt verba: *Si quis sororis aut fratris filiam, aut certe alterius gradus consobrinam, aut fratris uxorem, aut avunculi sceleratis nuptiis sibi junxerit, huic pœnæ subjaceat, ut a tali consortio separetur. Atque si filios habuerint non habeantur legitimi heredes, sed infamia sint notati.* Sub Gothorum autem imperio Legum Romanarum, & maxime quidem Codicis Theodosiani, in Gallia usus esse cœpit; unde Agathias lib. 1. de rebus Justin. Francos, in contractibus *& matrimoniis*, leges Romanas servasse testatur; & *Corporis Theodosiani*, Marculphus meminit, form. 138. Ex hoc etiam, vel si mavis, ex interpretatione Aniani legis 3. *C. Th. de incest. nuptiis*, prima sunt vetita consobrinorum conjugia Narbonensibus, & deinceps per Galliam universam. Eodem quippe anno 502. quo Codex Theodosianus promulgatus est, in concilio Agathensi c. 61. mox Epaunensi c. 30. Aurelianensi III. c. 10. Arvernensi c. 11. Aurelianensi IV. c. 27. & tandem in di-

dicto Turonensi can. 21. ea matrimonia vetita fuere. Vid. Innocentius Cironius lib. v. Obs. c. 6. Deinde Concilium Maguntiacum anno salutis 813. jussu Caroli M. celebratum canone 54. vetuit: *ne quis in quarta generatione amplius conjugio copuletur, & si post interdictum inventum fuerit, separetur.* Idem in Additione Capitul. Ludovici 52: *Si quis consobrinam duxerit, anathema sit.* Pœnitentia publica imponebatur illis, qui in quarto gradu nuptias contraxerant, qui in tertio separabantur, ex Capitul. Synodal. Pipini Regis c. 1. Easdem quoque leges jam Clotharii tempore, Alamanni & Bajovarii, Francorum Austrasiorum Regibus subjecti, acceperunt. Apparet id ex cap. XXXIX. Legum Alamannicarum, ubi hæc leguntur: *Nuptias prohibemus incestas. Itaque uxorem habere non liceat socrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris, filiam sororis, fratris uxorem, uxoris sororem. Filii fratrum, filii sororum, inter se nulla præsumtione jungantur. Si quis contra hæc fecerit, a loci judicibus separetur, & omnes facultates amittat, quas fiscus acquirat. Si minores personæ sunt, quæ se illicita conjunctione polluerunt, careant libertate, & servis fiscalibus aggregandæ sunt.* Idem continetur LL. Baiwar. *tit. VI. cap.* 1. & Langobardi ex Papæ, ut dicitur, literis ordinariam incestus pœnam habuerunt *l.* 2. *tit.* 8. *l.* 4. & 11. *Consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuerit, nullus audeat in conjugio copulare. Si quis huic tali nefario conjugio se conjunxerit, & in eo permanserit, sciat se Episcopali auctoritate anathematis vinculo esse innodatum; ut nullus sacerdos ei tribuat communionem. Si vero conversus divisusque fuerit ab illicita copulatione, dignæ pœnitentiæ submittat, ut sacerdos loci consideraverit.*

§. VII.

Jure Canonico nihil certius, quam Consobrinorum conjugia multis Constitutionibus Ecclesiasticis prohibita esse & damnata. Pontifices namque, pariter ac olim Judæi, *sepimentum* legi divinæ expressæ ponendum rati, quod ge-

nerali illo Dei præcepto Levit. XVIII. omnigenos consanguineos inter se nuptiis arceri credebant. Juris quoque civilis licentia immoderata (ut quidem erat eorum opinio) temperanda & cohibenda videbatur, quo latius cognationum necessitudines protenderentur. Initium variat. Constantinum laudat Eusebius, quod Licinii audaciam represserit, qui jus civile de nuptiis abolere voluit. Vix certe ante Synodum sextam, illud abrogatum esse, ex ejus can. 54. colligi potest. Alii Fabianum jam sæculo tertio duos gradus addidisse ferunt: alii ipsorum Apostolorum Canonem 18. crepant, ubi: *Qui duas sorores duxit, aut consobrinam clericus esse non potest:* Verum, ut de horum fide nihil dicam, Contius recte observavit, Haloandrum ἀδιλφιδῆν male hic *consobrinam* transtulisse. Gregorius Magnus, sub Mauricio Imp. ineunte sæculo septimo, primus ad septimam usque generationem, gradus cognationis observari voluit, *c.* 1. *caus.* 35. *q.* 2. 3. cujus & bellam rationem supra examinavimus pag. 19. Eum deinde Alexander II. Callixtus, Nicolaus, Julius, Innocentius III. aliis quidem atque aliis rationibus, hactenus tamen omnes secuti; quod ad nimiam in nuptiis coarctandis severitatem inclinarunt. Sed ipse Gregorius I. qui muros posuit, ipse sustulit: nam dispensationem in Consobrinorum nuptiis fecit Anglorum genti, cum adhuc essent neophyti, id est recens ad fidem Christi venissent. Eadem ratione Norwegis, novellis Christianis se accommodavit Papa, eorumque infirmitati veniam dedit, ut docet Cujac. *ad c.* 3. *d. conf. & affin.* Immo illustribus & maximi nominis viris Pontificem nuptias has permittere solere, ait Mornac ad *l.* 14. & 42. *D. de Rit. nupt.* Sic olim Maximiliano, ejusque filio Alberto, dispensatione sua indulsit Pontifex: quod habet rationem. Ludovico autem VII. Francorum Regi aqua & igni omnibusque sacris Innocentius interdixit, quod consobrinam sibi sociarat. Mirum! si Angelus ad *l.* 78. §. 8. *ad SCt. Treb.* de hoc matrimonio vere scribit: *Licitum olim de jure civili. Sed hodie*

est

est ab Ecclesia interdictum. Et ideo, quia solum Ecclesia interdicit, eadem in talibus merito dispensat, & potissimum inter regales. Sed hodie Ecclesia est ita vexata, quod usque ad furnarias Papa permittit.

§. VIII.

Atque ita tandem emensi sumus varium & difficile tractationis iter. Multa de moribus addi possent, nisi modum dissertationis jam migrassemus. Sunt, qui legis divinæ & naturalis simplicitati inhærent, nec ut fœdas damnant nuptias, quas Auctor Naturæ & omnium perfectimus Legislator fœditatis non accusavit. Ita apud Belgas & Zelandos testatur Brouerus de Jure connub. *lib. II. cap.* 12. *n.* 8. nihil obesse, quin cognatio longe dissita & propemodum sublata, nova conjunctione colligatur. Plerique autem Europæ populi jus Pontificium sequuntur; alii simpliciter, alii ita, ut accedente Principis Rescripto legitimæ fiant. De Anglis & Helvetiis vide P. Martyrem 2. *loc. comm.* 10. De Brandenburgo-Marchicis Brunnemann. *ad l.* 19. *C. de Nupt.* De Saxonibus Carpz. Jurispr. consist. *lib. II. tit.* 5. *def.* 78. *n.* 8. De Hassis Kitzelium in Synopsi matrim. *cap.* 3. *theor.* 8. *lit. d.* De Gelris Goris *tract.* 4. *Advers.* §. 6. De Transisalanis Landrecht van Overyssel part. 2. c. 1. art. 14. De Danis, Palatinis, Wurtenbergis, Meclenburgis, Prussis & Pomeranis Gisebertum Justin Harmon. *lib. I. tit.* 10. §. 4. qui & varia pœnarum genera recenset. Relegationem dictarunt Jenenses apud Lynckerum *dec.* 995. Si quis heres institutus fuerit, sub conditione, si consobrinam duxerit, iis in locis, ubi prohibitionis relaxatio ære vel precibus obtineri nequit, conditio pro non adjecta habetur. Vide Schilter. Exerc. ad Pand. 38. §. 101. Ceterum si quæritis, Consobrini, quid in hac jurium fluctuatione consilii sit? Alii vos ad Paulum in *l.* 14 § 3. *in f. de Ritu nupt.* alii ad Paulum majorem 1. *ad Corinth. XI.* v. 13. alii ad Calvini *epist.* 386. ablegabunt. Id autem

tem vobis in aurem, Augustinum patres, ut religiosos, laudasse, quibus curæ fuerat, propinquitatem fugientem conjugio liberorum revocasse. Ex hujus itaque sententia

Felices, quibus ista licent! humana malignas
Cura dedit leges: & quod Natura remittit
Invida jura negant.

F I N I S.



DIS-



DISSERTATIO TERTIA,

DE

TITULO IMPERATORIS RUSSORUM.



Uæ hominum, eæ Imperiorum ſunt vices; naſcuntur, creſcunt, ſeneſcunt, moriuntur: omnium lex eſt, non durare ſemper, nec manere veſtigio eodem. Quo plurium vero ſalus, aut infelicitas, a converſionibus civitatum ſuſpenditur, eo magis ſunt conſpicuæ, & vincunt plerumque ſapientiam humanam. Nihil hic numeris Platonicis tribuimus. Fatuum eſt Stoicorum fatum; nec Geniis regnorum tanta apud nos vis eſt atque poteſtas. Unum cognovimus Deum, qui ex Oriente volucrem, e terra longinqua effectorem conſilii ſui vocat. Is omni ævo excitavit viros Hercule valentiores, qui domitis barbariei monſtris, cultum ſacrorum, litteras, mores, & urbanitatis lumen, ad rudes ſubjectos ſuos tranſtulerunt. Hoc in Hiſtoria priſca qui non miratur, præcipuum ejus haud percipit fructum: id qui hodie in Moſchorum impe-

rio non videt, rerum omnium eft ignarus. Non obfcurum modo fæculis recentioribus fuerat Ruffiæ nomen, fed fame, pefte, feditione aulica, & Tatarorum jugo turbatum: immo gentes Europæ cultiores, ipfam immanitatem ab ea formidabant, & ignorantiam; quæ ibi pro inftrumento fovebatur extinguendi fenfum impofitæ fervitutis. At Petrus Alexius, Ruffiæ Principum, quotquot fuerunt, fapientiffimus, poftquam multorum urbes & mores, velut alter Ulyffes, providus infpexit, quicquid ubivis egregium eft, litterarum, fiderum, ventorum doctrinam, peritiam rei navalis, morum elegantiam, paucis, belli & pacis artes, in ufum gentis fuæ, fatis cautæ natura, convertit, eique ftupenda celeritate nominis claritudinem conciliavit. Non repetam victorias a natione fortiffima partas, erecta terra marique trophæa, fines propagatos, provincias commercio ditatas, & munimentis firmatas. Vel unicum modo apparatum navalem & militem numerofiffimum intueamur, quocum Heros ille novæ militiæ tirocinia exhibuit Europæ, tantique effe exercitum, quanti Imperator eft, oftendit. Sic factum, quod Livonorum animus, ante hos annos ferme ducentos, præfagiebat, apud Thuanum lib. XXXIV. *Mofchos, qui maximam Septentrionis partem tenerent, ubi claffis poteftas fieret, Narvæ condito emporio, & extructo armamentario, non folum in Livoniam, fed etiam in Germaniam, effufo exercitu penetraturos.* Poft bellicos itaque fudores, & invidiam rerum geftarum magnitudine fuperatam, is Victor & Triumphator a populo fuo affentante, & Regni proceribus, Cæfar, Imperator, Auguftus falutatus eft; ipfeque profeffus inanium ofor, fumma illa principatus nomina haud invitus adoptavit. De his qualicunque exercitio Academico, fine ira, ftudio, aut adulatione, quorum caufas procul habeo, commemorare confilium eft. Non alius enim nobis propofitus eft finis, quam ut Juvenes, ad egregium publicum nati, & in Academiis formandi, fpecimen habeant Notitiæ Regnorum & Rerumpublicarum Europæ, quam anno proximo, ad

ad succinctas positiones, quoad ejus a nobis fieri potest, trademus. Omnia, quæ de pulcherrimo hoc argumento dici possunt, nemo hic expectet. Satis enim didici, in causa invidiæ plena, privatum non decere judicis aut advocati personam induere, sine jussu Superiorum. Scio etiam Principes gladio potentes, non magis metuere calamos privatorum, quam aquilæ in proverbio muscas haud captare dicuntur. Alia igitur servabimus domi: alia relinquemus his, qui in ipso rerum exercitio, talia perspiciunt felicius.

CAPUT PRIMUM.

Titulorum, quibus Russiæ Principes usi, rationem & fata exponit.

§. I. *Russorum antiquitas, sedes & nomen. Cur Dromitæ, Moschi, Scythæ, Tauro Scythæ, Ruzi, Normanni, Rugi dicantur. Ezech. c. 38. illustratur.* II. *Roxalani, eorum propago, commercia cum zibellinis exercuerunt. Pelles Babylonicæ & Parthicæ in l. 16. §. 7. de Publican. unde petitæ. Fabulæ de Vellere aureo origo. Regibus Roxolanorum stipendia solverunt Romani.* III. *An Constantinus M. Rossorum Principem Dapiferum Imperii crearit? An is auctor tituli Magni Ducis, disquiritur. Nicephorus Gregoras & Freherus notantur.* IV. *Russorum bella, commercia, & sacra communia cum Byzantinis, a quibus Græci dicti. Kiowia olim metropolis sacra & profana.* V. *Russiæ quondam divisæ Principes foris Reges, domi Duces magni dicti. Totus titulus enarratur.* VI. *Regium diadema propria, non Papali auctoritate a Basilio susceptum: contra Jovium, Piasecium, Raynaldum, aliosque.* VII. *Czar Ruthenica lingua Regem notat; sed Russis, vicinis & remotis Cæsarem significare visa est.* VIII. *Basilius & Joannes Basilius ab Anglis, Gallis, Germanis, Belgis Fœderatis & Persis publice privatimque Imperatores dicti.* IX. *Litteræ Maximiliani I. ad Basilium, contra Herberstainium vindicantur.* X. *Quibus rationibus Petrus Alexius titulum Imperatoris sibi nunc arrogarit, conjicitur.*

§. I.

RUssorum appellatione populum ad Septentrionem amplissimum intelligimus, qui eas Sarmatiæ vel Scythiæ Europeæ regiones tenet, quas olim Roxolani, Bastarnæ & Borysthenidæ inhabitasse videntur. Nomen gentis a *Rossiacum*, dispergere derivant, linguæ Slavonicæ periti; majore veritatis colore, quam qui a commentitio duce Russo, eos nomen tulisse putant. Simeon enim Magister Logotheta in Annal. n. 46. a studio migrationum, ipsis *Dromitarum*, quasi palantium, & cursu velocium cognomen tributum esse, testatur. Hodie vulgo Moschos vel Moscovitas appellamus, a metropoli regni Moscua, quæ a fluvio id nominis dicitur. Qui a Moscho Sidonio Philosopho; vel a Mosynæcis Apollonio memoratis; vel a Mosoch denique, sive Meschech sexto Japheti filio, ex Genes. cap. 10. natales repetunt, nimis antiqua amant; licet magno consensu in posteriorem sententiam itum fuerit. Parum equidem laudis habet, gentium laudes fabulosis originibus commendare: attamen quia hæc venia dari solet antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia civitatum augustiora reddantur: age, videamus, annon a terris *Rhos* & *Mosoch*, apud Ezechielem cap. 38. v. 2. ultima Russorum & Moschorum memoria repetenda sit? Huc sane Græcorum posteriorum tendit sententia, & Socratis, pariter ac Nicephori, locus notatu dignus est, lib. VII. Hist. Eccl. cap. 42. Non vacat repetere, quæ Vir clari nominis, Bochartus, huic sententiæ firmandæ, attulit argumenta, lib. III. Geograph. sacræ c. 13. Juvabit eandem autem, nisi fallor, antiqua *Moschorum* memoria apud Herodotum, Strabonem & Plutarchum, & iis quidem in sedibus Iberiæ Asiaticæ, & Albaniæ, quas Propheta, optimus sui interpres, cap. 27. v. 13. in vocibus *Thubal & Meschec* conjunxit. Diserte Plinius lib. VI. Hist. Nat. c.

10.

10. *Habitant & Moschorum tractus, ad Iberum amnem, in Cyrum defluentem.* Ad sinum Hircanum Moschicos montes Mela locavit lib. III. c. 5. Sarmatarum vicinos fecit Lucanus lib. III. Pharf. v. 270. *sævisque affinis Sarmata Moschis.* Sic ergo censeo, Moschos Scythici juris fuisse, aut a Scythis Asiaticis, populo antiquissimis post diluvium proximo, oriundos. Asia enim prima hominum, statim a Noacho, sedes ac tot gentium proma conda fuit. Sed exire domo, alienasque occupare regiones summa Scythis voluptas; qui diversis nominibus adscitis, in Europam late se transfuderunt. Plinius lares eorum instabiles fuisse, vidit & monuit lib. VI. c. 17. *Nec in alia parte major auctorum inconstantia: credo propter innumeras vagasque gentes.* Rhossos utique ad Cyrum fluvium, vel Araxem, olim habitasse, eoque transmisso Tauricam Chersonesum occupasse, & de suo nomine dixisse, ex Josepho, Ben-Jorion & Tzetze Bochartus docuit. Sed addamus, quod Cinnamus lib. V. Hist. c. 16. & Zonaras lib. XVII. Rhossos diserte *Tauro-Scythas* vocant; quodque Leo Diaconus, in vita Joannis Tzimiscis, circa A. 970. Græce scripta, Rossorum patriam tunc temporis Cimmerium Bosphorum facit. En tibi Leonis verba: *Cum Sphendosthlabo, Rossici exercitus duce, gentisque Principe, ineunda pacis fœdera, missis ad eum fecialibus putavit. Missis itaque ad eum Legatis denunciat, ut pacta cum Nicephoro Imp. mercede recepta, ad suas sedes ac Cimmerium Bosphorum se recipiant.* Græcis scriptoribus voce indeclinabili οἱ Ρως, ut hodie Slavis *Rus*, interdum Ρωσοι, dicti: οἱ Σκυθαι τουτ' εστιν οἱ Ρωσοι, scribit Michael Glycas p. IV. Annal. Terra eorum Ρωσια & Ρωσσια vocatur, apud Constantinum Porphyrogennetam de admin. imp. c. 2. 4. 9. aliosque. Helmoldus presbyter, circiter A. 1168. clarus, inflexis nonnihil, ex Slavica loquendi ratione, apicibus *Ruzos* appellavit, in Chron. Slavorum lib. I. *Littus Australe Slavorum incolunt nationes, quorum ab Oriente primi sunt Ruzi, deinde Poloni.* Adamus quoque Bremensis, *Ruzziæ regnum*, Polanis connexum me-

morat, de situ Daniæ n. 221. Simili ratione, qua idem Prussos, Russorum accolas, *Pruzzos* dixit lib. 2. H. E. c. 13. quaque Leunclavius in Pandectis Turc. Hist. c. 37. Serbos & Sorabos, qui cum Rossis lingua communi utuntur, *Rascios* & *Razios*: Bonfinius vero a Ρως *Roxianos* vocavit. Sic etiam Lambertus Schafnaburgensis Russos, *Ruzenos*, Photius *Rhutenos*, Luitprandus *Nortmannos* appellarunt lib. v. c. 6. quia in regionibus Aquilonaribus habitabant. Russiam item *Rugiam* dici apud infimos latinitatis scriptores, eruditus Mabillon ad vitam S. Adalberti, observavit Act. Benedict. sec. V. pag. 576. Eosdem *Lublinenses* subinde vocatos esse, Stanislaus Sarnicius monuit Annal. Polon. lib. 1. c. 2.

§. II.

Rossorum natio, per vastissimas Asiæ & Europæ regiones extensa, jam mature in notitiam Romanorum pervenit. Ut enim Moschos Asiaticos a Pompejo debellatos mittam, Roxolanorum frequens in historia Romana fit mentio: quos Matthias a Michou, Canonicus Cracoviensis, in tractatu de duabus Sarmatiis, ipsos Rossorum majores esse existimavit. Cum enim literæ X. asperitas pronunciatu esset molesta, factum putat, ut primum Rossolani, dein Rossi appellarentur. Nisi quis Roxolanos Rossorum propaginem credere malit, ex Rossis & Alanis compositam; quemadmodum Harduinus ex Plinii membranis *Rhox Alanos* scripsit. Hoc liquet, easdem his fere sedes, in Ukraina & Tartaria citeriore, quæ Moschis, fuisse; pariter enim ac Lucanus hos Sarmatarum vicinos fecit, in verbis ante laudatis: sic Spartianus in Hadriano c. 6. & Trebellius Pollio in Aureliano c. 33. Sarmatarum, Alanorum & Roxolanorum conjunctim meminerunt; Tacitus Sarmaticam gentem appellavit, 1. Hist. 79. Dio Cassius Jazyges per totum latus Mæotidis habitantes, per Daciam, ait, *commerciorum causa* ad Roxolanos adiisse, quoties id Princeps eorum permitteret lib. 71. Hist. Id quod, simulac legi, ad pellium, præsertim Zibellinarum,

mer-

mercaturam referendum censui; quæ sola apud hos viguit, terra bellis frequentibus inculta. Seneca Scythis terga murium tribuit, quæ tactu mollia sint, epist. 90. etiam Justinus ex Trogo lib. 2. c. 2. *Mures Ponticos* Plinius, *sylvestres* Ammianus appellavit. Hæ fortassis sunt inter *pelles Babylonicas*, *&* *pelles Parthicas*, quas ex solo Barbarico, in Imperium Romanum invectas, vectigal solvisse, tradit Marcianus in *l.* 16. §. 7. *D. de Publicanis.* Russi enim pellicea pretiosiora, ex Siberia in Armeniam, inde ad nundinas Babylonicas deferebant, ut Ælianus testatur lib. XVII. Hist. anim. 17. Sic etiam facile intelligi poterit Græcorum de Vellere aureo fabula, cujus gratia Jason Argonautarum Princeps in Colchos, Moschorum patriam, profectus est; auro enim contra Sabellinas permutavit. Nam quod Strabo & Appianus conjecerunt, vellera villosa, in rivos demersa, auri ramenta intercepisse, nihili est, & cum Chymico auro inter nugas a Vossio relatum, ad Catulli epithalamium Thetidis & Pelei. Idem ergo olim fuit Moschorum institutum, quod de recentioribus tradidit Michalo Lithuanus, de moribus Moscov. fragm. 2. *Etsi Mosci Soli sobelis, aliarumque ferarum genere abundent, tamen vulgo Sobolos pretiosos non ferunt, sed missos in Lituaniam, molles mollibus, aurum pro eis auferunt.* Ceterum Rhoxolanorum meminit elegantissimum marmor, Vespasiano imperante, dicatum honori Plautii Silvani, cujus verba eo lubentius refero, quia & vicinos, & regiam reip. Roxolanorum formam ostendit. Extat apud Gruterum pag. 453. *Ignotos ante, aut infensos P. R. Reges, signa Romana adoraturos, in ripam, quam tuebatur, perduxit. Regibus Bastarnarum & Rhoxolanorum filios Dacorum fratrum captos, aut hostibus ereptos remisit. Ab aliquIs eorum opsides accepit, per quem pacem provinciæ & confirmavit, & protulit. Scytharum quoque regem Acheronensi, quæ est ultra Borusthenem, opsidione summoto.* An postea Romani pacem a Roxalanis, sicut ab aliis barbaris, annuo tributo, quod mitiore vocabulo stipendium appellabant, redemerint, non facile dixerim. Videtur id autem

autem indicare Spartianus in Hadriano c. 6. si vulgatam lectionem sequimur: *Cum Rege Roxolanorum, qui de imminutis stipendiis querebatur, cognito negotio, pacem composuit.*

§. III.

Hæc dum scribo, in mentem venit, quod apud Nicephorum Gregoram olim legi, Rossorum Principem a Constantino M. *Dapiferi* dignitate ornatum esse. Quæ narratio, si veritate nititur, jamtum aliquo loco apud Imperatores Romanos, Rossum fuisse, sequetur. En tibi ejus verba ex lib. VII. c. 5. Ο δε Ρωσικος την τε ςασιν και το αξιωμα τε επι της τραπεζης παρα τε μεγαλε κεκληρωσθαι Κωνςαντινε; ο δε Πελοποννησιακος το τε πριγκιπος; ο δε της Ατλικης, τε και των Αθηνων αρχηγος το τε μεγαλε Δεκος, και αλλοι αλλα. *Magni Constantini temporibus, Rossicus locum & dignitatem Dapiferi: Peloponesi Rector Principis; Atticæ & Athenarum Magni Ducis; alii alios titulos obtinuerunt.* Non equidem me fugit, multa apud Nicephorum reperiri, ab aliis prætermissa, quia res externas etiam Historia sua complecti voluit: attamen recentior est, (quippe A. 1359. defunctus) quam ut ei soli in re tanta fides sit habenda, de qua altum apud Constantini æquales, omnesque alios est silentium. Codinus Curopalata de offic. Constantinop. c. 2. inter Palatii ministros laudat *Domesticum mensæ*, & *Præfectum mensæ*, iisdem quibus Nicephorus verbis: ο επι της τραπεζης. In historia Francorum & Germanorum, *Senescalci*, *Infertores*, *Truchsesii*, satis etiam primos inter Ministros sunt noti, per quos palatium disponebatur. Sed cujus inventum hoc αξιωμα sit, non liquet: certe viri Principes hoc ministerio honoris causa functi non videntur; nisi recentiori ævo, quod in talibus excogitandis fœcundum fuit. Vide Zonaram in Alexio Comneno. Nullus præterea Rossorum Princeps, Constantini ætate, ab ullo scriptorum nominatur; & si qua fuit, dapiferi titulum ipse fastidivisse; ab aliis vero illo honore non decorandus fuisse videtur; quia in panegyricis conventibus, & actibus augu-

augustioribus, ubi præsens sese ostendebat majestas, munus obire non poterat, tot locorum intervallis remotus. Deinceps *Barbaræ nationes*, *neque facundia pollent*, *aut dignitatibus illustrantur*, scripsit Anonymus auctor Theodosiani temporis. Hæc paulo-prolixius demonstranda fuerunt, tum ut Juris Publici Germanici studiosos munirem adversus Marquardum Freherum, qui ex hoc loco vetustatem & nobilitatem Dapiferatus in Germania repetere voluit, Orig. Palat. part. I. pag. 106. tum etiam ut simul appareret, quid de *Magni Ducis* titulo habendum sit, quem Nicephorus statim addit, a Constantino M. institutum fuisse; id quod Cangius in notis, Seldenus aliique recte ad fabulas aniles retulerunt. Alii quidem Duces, aliis erant majores; & potentiores μεγαλοι κυριοι, propter vastiorem dominationem vocabantur. Δουξ autem Byzantinis scriptoribus fuit classis præfectus. Δουκα του στολου, Nicetas Constantinum appellat in Isacio lib. III. n. 4. Summus classis præfectus, qui supra duces, Μεγας Δουξ, vel Δουκας apud Annam & Codinum dicitur. Tyrius, contractis & corruptis vocabulis: *Alexius Megalducas*, *qui classi erat Præfectus*, lib. 22. cap. 11. Et sane *Weliki Knesi*, hoc est *Ducis Magni* titulus, privata auctoritate a Russorum pariter, ac Lituaniæ Principibus, & serius quidem, sumtus videtur, ad eminentiam præ ceteris *Knesiis*, seu Ducibus, quorum ditiones non tantæ, indicandam. Aliter Austriaca domus in Germania, *Archiducis* titulo eminet, ex diplomate Friderici III. Cosmus vero Mediceus, Florentinus, *Magni Ducis* prærogativa a Pio V. Pontifice insignitus est.

§. IV.

Nunc ad temporis seriem revertamur. Sæculo demum octavo vel nono Russorum nomen, per bella & commercia, frequens fuit apud Constantinopolitanos, a quibus dein sacra, & characteres litterarum acceperunt. Quapropter ex Byzantinis scriptoribus, maxime ex Cedreno & Zonara, eorum Historia media illustrari debet: quos tamen

homines leves & vanos, negligentiæ hac in re, nec injuria, accusavit Thuanus lib. xxi. Quomodo cum lintribus, ex ulteriore Russia, Constantinopolim venerint, Constantinus descripsit dicto cap. 9. Expeditionem, quam *Rhossi, gens Scytharum, a Ponto Euxino ad Stenum*, id est fretum Constantinopolitanum susceperunt, memoravit Nicetas. Qua ratione Rossi, Bulgarorum provincia subacta, illic imperii sedem figere decreverint, impulsu Calocyri, Chersonesi Tauricæ Principis filii, & qui Rossica classis 15000. navium interierit, Joannes Zonaras litteris mandavit, lib. xvi. c. 19. Photius denique lætatur, in epistola ad Patriarchales sedes Orientis apud Baronium ad A. 863. n. 41. *Ruthenorum gentem, quæ crudelitate & cædibus omnes superabat, & NB. infinitos sibi populos subjecerat*, sacrum baptisma suscepisse. Enimvero pars diffusæ hujus nationis, postquam Græcorum imperium graviter diuque afflixerat, A. 861. Christo nomen dare cœpit; alii rursus A. 876. religionem simul & cultum susceperunt. Sed his ad vomitum reversis, Russia omnis demum Christiana facta est, postquam Uladimirus, excisis fratribus suis, monarchiam adeptus, & suscepto Constantinopolim itinere, Annam, Basilii Porphyrogeniti filiam, uxorem duxit. Is, quod Kioviæ, sub fulminis figura cum argenteo capite, & aureis auribus, coluerat Peruni deastri simulacrum, in Borysthenem abjecit, anno instauratæ salutis 988. vel, ut Moschi computant, Anno a condito mundo 6469. Hæc vera ceremoniarum Græcanicarum apud Russos causa est & origo, non illa, quam curiæ Romanæ proxenetæ proferre solent. De tempore conversionis contra Baronium, accurate disputavit Pagius in crit. ad A. 959. & 987. quocum Ephemerides Græcorum & Moschorum tomo 1. Sanct. mensis Maji, Papebrochii, nec non fragmentum de conversione Russorum, quod Anselmus Bandurius, notis suis ad Constantinum de adm. imp. pag. 113. inseruit, conferantur. Abhinc Metropolita Moscorum, usque ad medium sæculum quintum

quintum decimum, a Patriarcha Constantinopolitano aut missus, aut confirmatus est. Cinnami eam in rem est locus pulcherrimus lib. v. Hist. c. 16. quem brevitatis amore semel apponam: *In Tauro-Scythica regione civitas est, nomine Kiowia, quæ omnes alias illic sitas præcellens metropolis est totius gentis. Episcopus Byzantio missus illis præfici solet, gaudetque ceteris omnibus, quæ ad excellentiorem conferunt prærogativam.* Ubi in transitu notari meretur metropolis Russiæ antiqua, sacra & prophana, quam Cinnamus corrupte Κιαμα; Constantinus de adm. imp. c. 9. Καστρον το Κιοαβα, & Κιοβα; Ditmarus *Kioviam*, *civitatem magnam* appellavit lib. VII. Nomen accepit a *Kig* conditore, & vulgo ut *Kiof* pronunciatur. Hæc vero postquam a Cosaccis penitus eversa est, thronus Archiepiscopalis, una cum Principis domicilio, primum Volodimiriam, deinde, ante tria circiter sæcula, Moscuam translata fuit: Ex quo tempore Moschorum nomen a Russis diu occupatum & oblitteratum renovari, aut (quæ Pauli Jovii, Oderbornii, Thuani, & Conringii sententia est) primum in hac gente audiri cœpit. Quicquid est: Sidonius, sæculo V. *Sarmatam Moscho* bis junxit, carm. 5.

7. Nunc antequam ab his prolegomenis ad rem ipsam veniamus, operæ adhuc pretium erit inquirere, cur Adamus Bremensis Russiam *Græciam* nominarit lib. II. Hist. Eccl. c. 13. *Ruscia metropolis*, inquit, *civitas est Chive, æmula sceptri Constantinopolitani, clarissimum decus Græciæ.* An forte quia Russi a multis infamati, quod in fœderibus & commerciis Græca fide aliquando usi fuerunt? An quia ἐν τῇ Ταυρικῇ οἰκοῦσιν Ἕλληνες, *in Taurica habitant Græci*, ex Scylacis ævo? An quia Heraclea Pontica, Tauricæ mater, Græcanica civitas fuit, secundum Strabonem? An vero Russi a Græcis subacti, iisque tributarii facti? Id enim colligi posset, ex litteris Sultani Ægypti, Mahumedani ad Imperatorem Constantinopolitanum, quem inter alia Βασιλέα τῶν Ῥωσῶν, *Rossorum Regem* vocat, apud Cantacuzenum lib. IV. c. 14. Sed quia barbarus iste, quicquid potuit titulorum in litteris illis conges-

gessit, malim Russos a suprema jurisdictione Ecclesiastica Patriarchæ Constantinopolitani, in Archiepiscopum & clerum Russorum, tum propter communia sacrorum jura, Græcorum nomen accepisse. In ejus enim pietatis memoriam, Czarii Patriarchis illis, etiam ex quo a tyrannide Mahumedana oppressi sunt, quotannis eleemosynam mittere consueverunt. Sed hæc quidem, quia non cuivis obvia videbantur, hactenus: nunc quod agimus, agamus.

§. V.

De Moscoviæ regimine politico, & Knesiorum auctoritate, in medio ævo, nil definire ausim: adeo ignota & tenebris, plusquam Cimmeriis, immersa sunt omnia. Hodie forma regni, ex genio populi, satis herilis est, & ad modum Turcici imperii, composita cernitur. Cum enim Russi libertatem non gustarint, ignorantia dulcedinis ejus in officio summos & imos continet, ut cognita dubiis, præsentia melioribus anteponere malint. Quod si ad initium Reipublicæ oculos convertimus, in magna illa gentium migratione, variæ nationes, animis & studiis diversæ, ut fons aut nemus placuit, sine legibus aut Magistratibus, heic coaluerunt, mutuisque cladibus diu sese discerpserunt, donec e finitimis Vareghis, Triumviri Reip. constituendæ arcessiti sunt, in quorum fidem & auctoritatem sese tradiderunt. Hi Duces potius, quam Reges fuisse videntur, suadendi magis, quam jubendi auctoritate, ut referunt Russorum annales. Sæculo decimo, omnes Russi, citeriores & ulteriores, uni Principi paruerunt, qui domi Ducis titulo contentus, exteris Rex dictus fuit, ob magnitudinem terrarum, quibus dominabatur. *Ruzziæ regnum* vidimus supra apud Adamum Bremensem. Luitprandus *Ingerem Regem Russorum* vocat lib. v. c. 6. quem Constantinus Ἄρχοντα Ῥωσίας nominavit de adm. imp. c. 9. Ditmarus Merseburgensis *Russorum Regis Vludomiri*, alias Wolodomiri, actiones iniquas perstringit, ejusque *potestate* inter filios divisa, Christi dictum affirmatum, ait: omne regnum in se divisum, desolabitur, extremo lib. VII.

VII. Eundem hunc Ulodomirum, *regalem titulum non adsumsisse solum; sed etiam honores iterum Regios ab Imperatoribus Constantinopolitanis accepisse*, satis verisimiliter scribit Anonymus Florentinus de reb. Moscovit. c. 8. Is vero hoc defuncto non diu servatus videtur, ob filiorum discordiam; donec nepos Wolodimeri, cognomento Monomachus, universam Russiam iterum in monarchiam redegit, & *Zari nomen* ab Imperatore Constantinopolitano accepit; si fides est Genealogiæ Magni Moscoviæ ducis, ex Mstis Russorum annalibus excerptæ, editæque Coloniæ apud Maternum Cholinum. Hinc sæculo undecimo, *Mauricius ad Regem Russiæ perveniens, ab eodem Rege ac Principibus urbis ditissimæ Chios, de ferinis pellibus pretiosis centum accepisse* dicitur, in vita S. Mariani c. 4. apud Bolandum ad IX. Febr. pag. 369. Mox vero duos fratres *Russorum Regis* inter se contendisse, refert Sigebertus Gemblac. ad A. 1073. atque alterum eorum, a regni consortio pulsum, Henrici Imperatoris auxilium implorasse; adeo ut se & *Regnum* suum ei submiserit, si ejus opera restitueretur. Dilaceratas igitur provincias Jaroslaus rursus collegit, ac solus Russiæ principatum obtinuit; sed cujus filii iterum, ac ex filiis nepotes, quia ditionibus suis non contenti, in mutuum exitium sine modo ruebant, non nisi a Tataris oppressi, & vectigales facti, senserunt, omnibus perire, quod singuli amittebant. Varios illos Russiæ Principes, atque in his Uladimerum, Primislaum, Rosilaum, Uladislaum recenset Joannes Cinnamus, duodecimi sæculi scriptor elegantissimus lib. v. Hist. c. 16. Sub isthoc Tatarorum jugo, trecentorum ferme annorum, gens indies magis magisque ad barbariem composita fuit, omni libertatis vestigio deleto. Sed Joannes III. stimulos addente conjuge Græca Sophia, vel Zoe, Thomæ Palæologi filia, non modo molestum illud onus cervicibus suis abjecit, sed ex divulsis quoque Russiæ membris integrum civitatis corpus composuit: nomen *Magni Ducis*, & universæ Russiæ Principis eapropter forti-

tus. Istius filius Basilius III. ante imperium Gabriel appellatus, quum subacta Plescovia, & principatu Smolecensi potentior esset factus, *Czaris* titulum adscivit. Ast filius ejus Iwan Vasilowitz, hoc est Johannes Basilides IV. toto orbe notissimus, & propter tirannidem a plerisque culpatus, ab aliis autem defensus, adjectione regni Casanensis & Astracanensis, titulum auxit, nomenque *Cæsaris* & insignia affectavit. Integri tituli initium, ex stilo aulico, qui tempore Basilii fuit, expressit Paulus Jovius, de Moscovit. legat. hoc modo: *Magnus Dominus Basilius, Dei gratia Imperator*, &c. Rectius Guagninus in descript. Moscov. c. 5. *Nos magnus Dominus, Joannes Basilius, Rex & magnus Dux totius Russiæ* &c. Optime vero Adamus Olearius, Mathematicus accuratissimus, quique in repetitis per Moscoviam itineribus omnia curiose notavit p. m. 25. titulum sequentis tenoris recenset: *Magnus Dominus Czar, & Magnus Dux, Michael Fædorowitz, omnium Russorum Autocrator; Volodimariæ, Moscoviæ, Novogardiæ; Czar Casani, Czar Astrakan, Czar Siberiæ; Dominus Plescoviæ: Magnus Dux Twerski, Jugersky, Permski, Wadski, Bolgarski, Rosanski, Rostofski, Gereslaffski, Boloserski, Udorski, Obdorski, Condinski* &c. &c. demum haud procul fine: *Karthalinicorum & Grusinicorum Czarium Dominus & Dominator.*

§. VI.

Diximus Basilium III. Ducale nomen cum Regali circa A. MDXV. in perpetuum commutasse: nunc sua auctoritate, an aliorum auspiciis diadema susceperit, videamus. Qui enim Pontificem Romanum ceu Christi Vicarium, & omnium dignitatum fontem venerantur scriptores, velut ex compacto id agunt, ut hac etiam parte Sedis auctoritas salva sit. Horum antesignanus Paulus Jovius sibi non constat, dum in Legat. Moscovit. pag. 120. script. rer. Mosc. narrat, Clementem VII. regalia ornamenta ultro obtulisse Basilio, si rejectis Græcorum dogmatibus ad gremium Ecclesiæ Romanæ se conferret. Mox Protei in mo-

modum mutatus subjungit, cupivisse Basilium regii nominis titulum concessione pontificia promereri; eo quod ipsos Cæsares Imperii insignia a Pontificibus accipere cognovisset. Rursus dubitans ait, famam tulisse, quod ab Imperatore Maximiliano titulum eum postularit. Hæc Jovius. Odericus autem Raynaldus Tom. XIX. Annal. Eccl. ad A. 1484. pag. 337. ex Mſ. Archivi Vaticani refert, Joannem Basilium III. quem satis crasse cum filio Basilio confundit, a Sixto IV. regium vel Imperiale nomen poposcisse, contra nitente tum Casimiro Poloniæ rege: *Sixtus vero*, inquit, *Polono rescripsit, se illius consulturum juribus, nec eo inconsulto, Moscovitam totius Russiæ Regem Imperatoremve se dicturum.* Aliter rursus Paulus Piasecius tradit, Theodorum, magnum Moscoviæ Ducem, de impertiendo Regis titulo, Pontificem Romanum solicitasse. Verba ejus in Chron. Gest. in Europa sing. ad A. 1593. p. m. 112. sunt ista: *Solicitatus Pontifex Clemens VIII. pro Theodoro, Duce Moscoviæ, ut illum Regio titulo donaret, constanter recusavit: nisi schismate Græco relicto, ad consortium Ecclesiæ Romanæ Dux ille cum suis ditionibus rediret.* Denique Joannes Antonius Gabbutius, in vita Pii V. ad calcem tomi I. mensis Maji in Actis SS. relata, Pium Papam scribit, consilium cepisse, legationem ad Moschos destinandi, qua eos ad Catholicæ pietatis cultum revocaret: *Ejusque rei spem injectam esse, quod olim ad Romanos Pontifices, Antecessores suos, Clementem VII. Paulum, & Julium, utrumque ejus nominis Tertium, a Moschorum Principibus legati missi fuissent, qui certa munera, regia videlicet insignia, ab Apostololica sede postularent,* & *ut Sacerdotes aliique pii viri, civilium artium opifices in Moschoviam mitterentur. Optabat enim Basilius, Moschorum Princeps, Regii nominis titulo per ipsum Clementem decorari; cum id dare sacrosancti juris, & Pontificiæ Majestatis esse judicaret.* Verum hujus non major, quam vacillantis Pauli Jovii apud me est auctoritas; cujus verba Gabbutius tecto nomine sua fecit; longeque

præ-

prætulerim unius Herberstainii judicium, decem istiusmodi parasitis; per quos adeo vanæ finguntur species, ut nec caput, nec pes uni formæ reddatur. Nunquam enim Moschi suprematum Ecclesiæ Romanæ, multo minus jus Papale, Reges appellandi agnoverunt; sed typhum potius & dominatum Jovis illius Capitolini semper detestati sunt. Sub Joanne autem Basilide alienissimi fuerunt a Latinis, eorumque caput ne quidem verum pastorem esse affirmarunt; id quod vel ex illis, quæ Antonius Possevinus, Jesuita, cum aliis ex causis, tum ob Legationes, quas A. 1581. Gregorii XIII. nomine, ad memoratum Joannem obiit, celeberrimus, in commentariis de rebus Moscoviticis, ad religionem spectantibus retulit, abunde constat. Non equidem negarim, semel & iterum quosdam Russorum unionem optasse cum Ecclesia Romana: id enim arguunt, quæ Papebrochius in præfat. ad Ephemeridas Græco Moscas n. 13. & 14. collegit. Quod autem Cardinalis Baronius in append. ad tom. VII. Annal gloriatur, Isidorum Metropolitam Kioviensem, totiusque Russiæ Archiepiscopum, sub Eugenio Papa IV. decretis Concilii Florentini subscripsisse, id quidem siluisse præstabat: quia ercifcundus iste miscellio Constantinopolim duntaxat missus, propria auctoritate Florentiam se contulerat, & in patriam redux captus, bonis spoliatus atque in carcerem conjectus fuit, auctore Herberstainio & Guagnino. Vanum præterea esse, quod idem Cardinalis tradit, Russiæ Regnum A. 1074. Sedi Romanæ donatum, & a Czare Demetrio ab ea receptum esse, Siricius ostendit in diss. de Rélig. Moscovit. c. 4. Nunc Baronem Herbersstainium audiamus in comment. rer. Moscovit. pag. m. 12. *Scribunt quidam Moscum a Pontifice Romano & a Cæsare Maximiliano nomen expetivisse, & titulum Regium. Mihi verisimile non videtur: Præsertim, cum nulli hominum infensior sit, quam summo Pontifici,* & *quem non nisi Doctoris titulo dignatur. Cæsarem autem Romanum non majorem se existimat,*

ut

ut ex litteris suis apparet, in quibus nomen suum Imperatoris titulo præponit. Huic pulcherrimum Renati Choppini locum comitem dabo, quem Celeberrimo Ludewigio in tract. de auspicio Regum acceptum fero; Renatus enim lib. II. de Doman. Franc. tit. I. n. 15. ita scribit: *Audacius Moscovita Basilius, Ruthenorum Dux, qui cum Tartarorum subesset imperio, primus Regios Moschorum fasces sibi arrogavit, auctore nemine, A. 1526.*

§. VII.

CZAR, vel ut alii scribunt TZAR, lingua Slavonica Regem sonat, non autem per crasin a *Cæsar* derivatur. In omnibus enim Russorum scriptis, & sacris & prophanis, *Czar* Regem, *Kesar* vero Imperatorem notat. Qui linguæ Hebraicæ sunt periti, fortassis radicem suppeditabunt, unde vocis origo ducatur: mihi vero idem in hoc studiorum genere accidit, quod ajunt de elephantis, amatores fluminum esse maximos, sed imperitos natandi. Certissimo autem ejus, quod hoc loco demonstrandum est, argumento nobis esse potest versio Bibliorum Slavonica, a multis Hieronymo, ab aliis Methodio tributa, in qua *Czar David*, *Czar Salomo*, & locus iste: *Non habemus Regem nisi Cæsarem*, per CZAR & KEZAR explicatur. Sic etiam in pane liturgiæ destinato, Prascuram Russi appellant, in circuitu supra crucem ista verba, *Jesus Christus Czar gloriæ*, leguntur. Tatari item Præcopenses Reges suos *Czares* nuncupant, auctore Guagnino in descript. Mosc. cap. 5. Vicini autem Poloni, Bohemi & Slavi, quia Regem suum *Krol*, *Kral*, *Krail* vocant, ignorantia Ruthenicæ linguæ Czarem, Cæsarem interpretati sunt. Enimvero licet Moschorum lingua, non minus quam Bohemica & Polonica, Slavonicæ linguæ dialectus sit: ita tamen confusione nationum a ceteris discrepat, ut Slavus Russum, Russus Bohemum vix intelligat, Herberstainio auctore. Non melius igitur ad cubile veri, & fontem erroris perveniemus, quam si linguas istas, in hac voce, comparare lubet. Moschis

Regnum significat *Czarstuo*, *Czratbie*; Polonis *Kroleſtwo*; Bohemis *Kralowstwy*; Slavis *Kraileſtvu*. Cujus rei obviam probationem depromam, ex petitione secunda Orationis Dominicæ Matth. VI. v. 9. quæ sequentem in modum convertitur in lingua

Russica,	Polonica,	Bohemica,	Slavonica,
Pridet zratbie twoje.	*Przyde kroleſtwo twoje.*	Pride kralowst= twii twe.	*Pridid twoje kraileſtwu.*

Verum non vicini tantum, sed ipsi etiam Russi, plus in Czaris, quam in Regis titulo majestatis inesse existimarunt. Sive id æmulationi antiquæ *cum sceptro Constantinopolitano*, quam Adamus Bremensis supra indicavit; sive subjectorum ac exterorum adulationi; an vero ambitioni Joannis Basilidis peculiari tribuendum sit, haud satis scio. Vix alium autem in finem Johannes fabulosa illa, & nescio unde petita gentis suæ primordia, de Prusso, Octavii Cæsaris fratre, cujus ipse decima propago sit, in vulgus sparsisse videtur; quam ut hisce coloribus augustius redderet nomen suum, & prætextum quæreret, terras vicinas occupandi. Oderbornius hoc non obscure indicat in ejus vita pag. 252. Et quorsum alias duplex Aquila, cum duabus coronis, in sigillo & insignibus ejus expressa? quæ Adamus Olearius in Itin. delineavit pag. 149. Jam patris ejus Basilii epistola, (de cujus tamen fide vehementer dubito) apud Jovium, & apud Raynaldum, Imperatoris nomen præfert: *Clementi Papæ, Pastori ac Doctori Romanæ Ecclesiæ, Magnus Dominus Basilius, Imperator ac Dominator totius Russiæ* &c. Post ipsum Demetrius a. d. 28. Dec. 1605. litteris salvi conductus *Demetrius Imperator* subscripsit, quod testis αυτοπτης, Seldenus testatur de tit. honor. p. 1. c. 2. Huc etiam pertinet, quod scriptor Mercurii Gallici tom. 3. litteris mandavit, quam confidenter Michaelis Fedrowitzii orator, apud Matthiam Imperatorem pronunciarit, Czares ex antiqua Cæsarum prosapia oriundos esse. De cujus commemorationis fide, si prius dicta conferantur, nil causæ est, cur adeo dubitarit Schurzfleisch

fleifchius in differtat. de Stephano Razino Cofaco § 5. Optime Czaris vocabulum, & rem omnem expofuit Sigismundus Baro Herberftainius, vir linguæ Slavonicæ peritiffimus, in comm. rer. Mofcovit. pag. XI. cujus ipfa verba & hic legiffe non pœnitebit: *Czar Rhutenica lingua Regem fignificat: cum autem communi Slavonica lingua, apud Polonos, Bohemos & alios omnes, fumta quadam confonantia, ab ultima & ea gravi quidem fyllaba Czar, Imperator feu Cæfar intelligatur: unde omnes, qui Rhutenicum idioma feu litteras non callent, item Bohemi, Poloni, atque etiam Slavi regno Hungarico fubditi, alio nomine Regem appellant, nempe Kral, alii Kyrall, quidam Koroll: Czar autem folum Cæfarem feu Imperatorem dici exiftimant: unde factum, ut Rhuteni interpretes audientes Principem fuum ab exteris nationibus fic appellari, cœperunt & ipfi deinceps Imperatorem appellare, nomenque Czar dignius effe, quam Regis (licet idem fignificent) exiftimant. Ceterum fi evolvas omnes eorum hiftorias, atque facram fcripturam, ubique Regis nomine CZAR, Imperatoris vero KESSAR reperies. Eodem errore Imperator Turcarum Czar appellatur, qui tamen non alio eminentiore quam Regis, hoc eft Czar titulo ab antiquo eft ufus. Hinc Conftantinopolim Czarigrad, quafi dicas Regiam Urbem, Turcæ Europæi, qui lingua Slavonica utuntur, appellant.*

§. VIII.

Quod fi ergo vicini, eadem lingua matrice utentes, ipfique Ruffi Czaris vocabulum *παραφραζουσι Imperator*; non mirum eft, reliquas Gentes Europæas hos duces fecutos effe. Multos laudare poffem, omnium nationum fcriptores, etiam prudentiæ civilis peritos, & profeffa opera de titulis honorum agentes, quibus certum fixumque fedit, Rufforum Dominum Imperatorem effe: fed brevitatis amore quatuor tantum privatis, totidemque publicis teftimoniis defungar, in quæ non cadit exceptio. Primas dabo Germano, Davidi Chytræo lib. XXII. Chron. Saxon. ad A. 1570. p. m. 595. *In feriis Pentecoftes, Magnus Holfatiæ Dux, Derbato movens, ad Mofcorum Imperatorem, in urbem Mosquam profe-*

ctus est; *ubi omnibus captivis Germanis Moschus libertatem ipso petente donavit. Et Magnum Regem Livoniæ publice renunciare jussit, eumque in Livoniam cum exercitu remisit.* Hunc Britannicus Strabo, Guilielmus Cambdenus excipiat, in vita Elizabethæ ad A. 1567. hunc in modum scribens: *Venerunt sub hoc tempus in Angliam, Stephanus Twerdico & Theodorus Pogorella; a potentissimo illo Joanne Basilide, Russorum & Moscoviæ Imperatore.* Magis expresse Bodinus, æternum Galliæ suæ decus, lib. 1. de Republica c. 9. *Primus quidem Basilius, qui se Magnum Dei cubicularium & Moschovitarum Regem appellabat, ab Imperio Tartarorum defecit: hic vero, qui nunc imperat*, Maximi Imperatoris *appellatione utitur: & certe potentia finitimos Reges, excepto Rege Turcarum, aut superavit, aut exæquavit.* Quaternarium hunc numerum claudat Nicolaus Siccensis, Illyricus Clementis VII. Papæ interpres, qui litteras Basilii, in hanc sententiam Latinis verbis transtulit, apud Paulum Jovium de legat. Moscovit. p. 121. *Clementi Papæ, pastori ac doctori Romanæ Ecclesiæ, Magnus Dominus Basilius, Dei gratia Imperator ac dominator totius Russiæ* &c. Si vero doctiorem & recentiorem Italum quis postulet, Janus Vincentius Gravina, nuper Antecessor Romanus clarissimus, in oratione secunda, pro Romanis Legibus, Petrum, Moschorum Regem, plus semel *Magnum Moschorum Imperatorem* compellavit. Atque hæc quidem privatorum testimonia hoc loco sufficiant, ne nimium iis tribuisse arguamur. Nunc publica producenda erunt: nec ægre inveniam; plura autem occurrent his, quibus ad ἀρχεῖα aditus patet. Elizabetham Magnæ, Britanniæ Reginam, Imperatoris titulum Joanni Basilidi, juveni supino, & propter subactum Casanense regnum, claro adscripsisse, certum est ex ejus litteris apud Hackluit part. 1. pag. 339. nec dubito, id genus exempla plura in Actis ejus ævi publicis, reperiri apud Riemerum aliosque. Præpotentium Fœderatorum Belgarum amplum mandatum Aitzema publici juris fecit tom. 1. lib. 10. pag. 1045. quo Legati eorum in Mosco-

Moscoviam-profecturi A. 1630. Czarem *Cæsaream Majestatem* vocare, eumque sequentem in modum alloqui jubentur: *Den Doorluchtigsten, Grootmachtigsten Vorst, ende Heere, Michailo Pheodorowitz, aller Russen Keyser ende Groot-Vorst, selfs Behoeder tot Volodomir, Moscou, ende Keyser tot Casan, Astracan ende Siberien, Heere tot Plescou, Groot-Vorst tot Smolensko* &c. Haud multo post, Galliæ Rex A. 1654. *Au tres haut & tres magnanime Prince, Grand Seigneur, Empereur de Russie & Moscovie*, scripsisse fertur, in Electis juris publ. t. XII. pag. 903. Rex Persarum denique, ante hos annos sexaginta, Alexio Michaelowitzio, sellam gemmis exornatam, quæ in palatio Moscovitico servatur, dono dedit; in cujus fulcro dorsali Czar POTENTISSIMUS ET FELICISSIMUS RUTENORUM IMPERATOR appellatur. Cujus rei auctorem oculatum habeo, Anonymum recentissimum, in *Verændert Rusland pag.* 148.

§. IX.

Notatu autem dignissimæ sunt litteræ Maximiliani I. Imperatoris Romano-Germanici A. 1514. ad Basilium Iwanowitz, eundem quem supra diximus, in Czaris nomen se ipsum adoptasse, lingua Teutonica exaratæ, cum bulla aurea appensa, & subscriptione Maximiliani: in quibus non semel, sed novem iteratis vicibus: *Basilius Dei gratia Imperator* (Kayser) *& Dominator omnium Russorum* nominatur. Dignum est monumentum, in cujus veritatem curatius hic inquiramus. Notum quippe est, Sigismundum Herberstainium in comment. rer. Moscovit. pag 12. & 13. jam olim tempore Ferdinandi I. vehementer doluisse, a viris Principibus sibi exprobatum, quod ipse Orator Maximiliani hujusmodi litteras ad Basilium pertulerit, in quibus Imperatoris & Regis nomen ei tributum sit. Hoc autem quomodo refellere conetur, melius ex ipsis ejus verbis apparebit; quæ, quia multa huc pertinentia continent, adscribere non pigrabor: *Cur vero*, inquit, *hunc titulum ab Imp. Maximiliano peteret Moschus, qui antequam quicquam inter eos negotii esset, non modo se*

se ei parem, sed superiorem videri voluit, nomen suum & titulum semper Imperatorio præponens, sive loqueretur, sive scriberet; quod nunc quoque, ut dictum est, ceu mordicus retinetur? At regium nomen, ne ad Poloniæ quidem Regem scribens, post meum ex Moscovia reditum usurpavit. Hoc quidem in confesso est, quod ad Imperatorem, aut summum Pontificem scribens, se Regem & Dominum totius Russiæ vocat. Quin ne Imperatorio quidem nomine abstinet, si quas forte litteras, ex Ruthena lingua in Latinam versas, adjungit: nimirum ipsis interpretibus vocem Czar, quæ Regem significat, Imperatorem vertentibus. Atque hunc in modum idem se & Regem & Imperatorem facit. Sed quod ab Imperatoribus Maximiliano, ejusque nepotibus, creatus sit Rex, in Poloniæ Regum injuriam, id nemo crediderit. Quorsum enim attineret eum Regiam dignitatem, ut fama est, a summo Pontifice petere, si eam ab Imperatoribus accepisset? Non me fugit, quantum fidei Sigismundo hac in re debeamus, Viro cum natalibus claro, tum egregiis animi dotibus ornato, Equiti aurato, Consiliario Augustorum, Camerario & Fisci Austriaci præfecto: sed qui præterea, quod caput est, ablegatus a Maximiliano Imperatore, ejusque nepotibus Carolo V. & Ferdinando, Oratoris munere apud Russos, Hungaros, & Polonos plus semel functus est, & toti Rutheno fœderi auspex fuit, ipsaque ejus fundamenta jecit, ita ut, magnifico Caroli V. elogio, *nemo in eo, ipsi nedum non præferri, sed ne conferri quidem possit*, in epist. ad Ferdinandum fratrem, Toleto scripta A. 1526. Tentemus autem, num ex temporum distinctione lucis aliquid affulgere, & dissidium hoc placari possit. Litteræ Maximiliani ad Basilium datæ sunt A. 1514. Heberstainius commentaria sua, Ferdinando dicata, A. 1549. in lucem emisit. Tum vero controversia, de Czaris titulo, inter Moschos & Polonos recens enata erat; adeo ut Joannes Basilides ab his aut Czar appellari, aut omnes pactiones irritas esse voluerit. Fuse hanc concertationem descripsit Albertus Kajalowicz, in historia Lithuaniæ, ad A. 1548. & seqq. ubi sic ait: *Slavonica vox Czar, non Cæsarem*

farem significat, aut Imperatorem (quemadmodum exterorum aliqui ignoratione idiomatis, adulatione mixta lapsi, vocitare solent Magnum Ducem Moscoviæ) sed Regem: Legati autem Poloniæ Regis, quod homo arrogans privata auctoritate insolentem titulum invasisset, Rege suo inscio, recusabant constanter, eum fæderis tabulis inserere. Provocabatur ei fini ad agnitionem Maximiliani, ejusque Oratorem Herberstainium; cui non levis invidia, hoc pacto apud Regem Poloniæ, & Ordines Lithuaniæ conflabatur, quam modis omnibus a se amoliri studet in verbis allegatis. Nec quicquam video, cur tanti viri asseverationem increpemus; quem haud necesse est, litteras in Russiam attulisse, aut Brundenavii præsentem fuisse, quando ex Russorum legatis tradebantur. Notum est, circa A. 1514. exarsisse simultates, inter Maximilianum Imperatorem, & Sigismundum Poloniæ Regem; illius ergo intererat, Moschum, juratum quasi Polonorum hostem, sibi conjunctum habere; id quod ut obtineret, ultro, non rogatus aut solicitatus, palpum ei obtrusit, titulo Cæsaris adscripto. Accedebat communis interpretatio non Russicæ tantum, sed etiam Cæsareæ Aulæ. Quam in rem memorabilis locus extat, in epistola de Religione Moscovitarum, jussu Ferdinandi, Regis Romanorum, & ad ipsum scripta, a Joanne Fabri, qui tum in aula degens, eidem a sacris confessionibus, postea Episcopus Viennensis fuit. Verba ejus Freheri Collect. rer. Moscovit. pag. 132. sunt ista:

es in præsentiarum vel per Oratorem, vel per epistolam Moscovitarum Imperator insinuat, hoc titulo uti consuevit: Basilius Dei gratia Imperator, totius Russiæ &c. Atque certe ille est titulus, quo anno proximo elapso XXIV. *mense Augusto, dum in inclyta Vienna tua, te ex magni Basilii nomine salutarent, sunt orationem suam exorsi.* Denique quid multis opus est? Ipsum Herberstainium, si superstes esset, in alia omnia nunc iturum fore, confido: postquam intimus Gloriosissimi Petri Secretarius, Schaphiroff, litteras Maximiliani authenticas A. 1718. e situ & pulvere scrinii Legationum, in lucem

lucem produxit, easque Legatis ibi præsentibus ostendit, & lingua vernacula donavit. Thuccius integras inseruit tomo XII. Electorum juris publici pag. 905.

§. X

Ex quibus satis, opinor, intelligitur, titulum Russorum Imperatoris non recens esse commentum, sed jam ante duo circiter sæcula usurpatum a Principibus Russorum, iisque tributum a Regibus & Rebuspublicis Europæis. Basilius ejus fundamenta jecit; Joannes Basilides, longa vitæ & Imperii mora, ad statum redegit. Hunc utique animum testatus est, tum aquila duplici inter insignia regni sui relata; tum etiam, quod Andream Apostolum genti suæ Evangelium prædicasse gloriatus est, apud Possevinum; ne Romanis in fide Christiana posterior haberetur. Idem quoque, ætate provectiore, aliquantisper litigioso Czaris titulo abstinens, *se Autocratora, seu Monarcham universæ Russiæ appellare cœpit*, auctore Kajalowiczio ad A. 1572. Theodori, filii ejus, non eadem fuit fortuna, quia ingenii simplicioris erat Princeps; sed mage sub Demetriis impostoribus gloria regni imminuta est; dum furentibus per annos quindecim civilibus turbis, fortuna ludum insolentem ludere pertinax, incertos transmutabat honores, nunc huic, nunc illi benigna. Pristinæ tamen magnificentiæ vestigia, in titulis, sensim temporis decursu firmatis, atque in legatis mittendis, & recipiendis jugiter manserunt, ut capite sequente ostendemus. Petrum manebat hæc sors, ut gentis suæ sospitator, & Imperii formator esset. Is una cum populo suo indignum ratus est, intra Magni Ducis, aut Czaris Turcicum nomen, atque a minorum gentium regulis occupatum consistere, qui tot regna possideret, triumphos numeraret, & novo incremento terminos protulisset. Hanc maximam laborum, itinerum, periculorumque mercedem ab exteris desideravit, subjectis autem imperavit, *ut Petrus primus, Russorum Imperator*, in sæcula iret, & seris annalibus insereretur. Narrat Justinus ex Trogo

Trogo lib. 1. c. 1. qui olim bella gesserunt, *non Imperium sibi, sed suis gloriam quæsiisse, & contentos victoria, abstinuisse imperio:* is autem, ex utroque Cæsar, bellicum titulum, nec prece nec pretio redemtum, jure victoriæ adscivit, & decus majorum, temporum injuria intermissum, redintegravit. Inter proprias ejus laudes sæpe illa celebrata est, quod inanium titulorum, gemmarum & vestium fastum perpetuo damnavit, & cognatum Moschorum imperio Magni cognomen aversatus est: nunc autem monstravit, quam bene simul edoctus sit illud Tiberii apud Tacitum IV. Annal. 40. *Ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent. Principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.* Sive autem multitudinem terrarum & Regnorum, in Asia & Europa; sive amplitudinem populorum; sive apparatum navalem, & absolutam majestatem; sive promta obsequia; vim divitiarum; commerciorum robur; rerum deinceps gestarum magnitudinem intuebatur, multis Europæ Regibus videri sibi poterat major, & regni mensuram potentia excessisse. Totus titulus, quem in libellis & litteris, ad se mittendis expectat, epistolis historicis, quæ Gallico sermone singulis mensibus prodeunt, ad mensem Martium insertus est, pag. 307. & ita fere sese habet. *Petrus I. Dei gratia, Imperator & Dominator totius Russiæ, Moscoviæ, Kiowiæ, Volodemiriæ, & magnæ Novogardiæ; Rex Casani, Astrakani & Siberiæ. Dominus Plescoviæ; Magnus Dux Smolenskii; Dux Estoniæ, Livoniæ, Kareliæ, Tuveriæ, Tugoriæ, Permæ, Viatkæ, Bulgariæ, aliorumque regnorum: Dux Basnowogardiæ Czernigoffiæ, Resani, Rostowiæ, Jaroslowiæ, Prielo Ozero, Udorii, Obdoniæ, Kandiæ. Imperator omnium partium septentrionalium. Dominus terrarum Iwer & Castaliæ. Dominus hereditarius & possessor terrarum Georgiæ, Cabardiæ, Czerkassiæ, & Ducatus Gorkyensis.*

CAPUT II.

DE

Jure Gentium, circa titulum Imperatoris.

§. I. Quælibet Civitas, domi suæ, titulum imperantis augere potest; Probatur id rationibus. II. *Tum exemplis veterum & recentiorum, qui nomina, etiam nimis superba, Principibus suis imposuerunt.* III. *Vox Imperatoris, in bello nata, cum Regio nomine aliquando paria fecit, apud Romanos & Francos.* IV. *Eadem in significatu hodierno, pariter ac Cæsaris nomen, sine injuria Augusti, adsciscí potest.* V. *Varii Hispaniarum Reges titulum Imperatoris sumserunt.* VI. *Angliæ item, Galliæ & Daniæ Reges, quibus usus non assurrexit.* VII. *Exteri Principes hujusmodi titulum, eique annexam prærogativam conferre non tenentur, nisi conventio, vel possessio antecedat.* VIII. *Reges sunt fratres, & Rectores civitatum æquales, licet disparia iis sint fortunæ bona.* IX. *Agnitus Imperator, jure gentium, Rege agnoscente est superior. Corona ejus clausa, Regis aperta.* X. *Titulus Imperatoris, Cæsaris & Autocratoris Russorum, ad hæc principia expenditur.* XI. *Cur Majestatis appellatio Czarii in Cancellaria Imperatoris sit negata, ab aliis tributa.* XII. *Eminentia Cæsaris Augusti, præ aliis quibusque Imperatoribus, unde repetenda sit.* XIII. *Coronis de titulo Semper Augusti, cum aliis non communicando.*

§. I.

SUperiore capite quæ facti sunt vidimus, nunc sequitur, ea ad Lydium juris gentium lapidem exigamus. Duo autem principia nobis pro fundamento erunt, quibus Reges & Respublicæ, in statu naturali viventes, reguntur; alterum: *Licere, quod non est vetitum:* alterum: *Pares ut pares tractandos esse.* Ex illo conclusionem ducimus, quamlibet Civitatem sui juris, uti formam imperii, sic titulum quo-

quoque Imperantis mutare atque augere posse, eo effectu, ut apud omnes cives pro tali haberi debeat: ex hoc autem consequitur, exteris liberum esse, an novum titulum eidem tribuere velint; si expressus eorum, aut tacitus consensus non intervenit. Quod ad prius attinet, liquere arbitror, conferre nomen & titulum penes eos esse, qui rem ipsam, seu summum imperium tribuere possunt. Adeoque populus, nulli mortalium obnoxius, vel ipse arbitrariam summæ potestati suæ notam imprimere, aut huic facultatem concedere potest, insignibus decentibus fastigium suum exprimendi. Enimvero gentes, simulac discerni, & regna condi cœperunt, summi quoque honoris signa constituerunt, quos a τίω vel τιτίω, titulos appellamus; ut tamen singulis innoxia mutandi facultas esset, si Reipublicæ status, & potentia aliquando augerentur; aut honos vocabuli, manante latius exemplo, imminueretur. Nulli litterarum ductus natura summum civitatis rectorem notant; tituli usu valent, ut nummi. Quem puerum vidimus formosum, hunc alii deformem vident in senecta. Tertium sæculum non videt hominem, quem vidit primum. Sic vetus verborum ætas interit, & recens nata, juvenum ritu, florescunt. Scite Freinshemius nomina dignitatum cum vestitu comparavit: quemadmodum enim illustrium pompam nobiles imitantur, sic tituli summis hominum tributi, tractu temporis ad inferiores devolvuntur. Nam ut quisque propior cuidam dignitati sibi videtur, ita nomen ejus affectat; & cum hoc a multis fit, tanquam sede sua emotum, transfertur ad viliores; quique ordine se antistare putat, nova vocabula fingit, quibus a ceteris distinguatur. Non hic ad Paulum provocabo, qui liberum cuivis hominum esse pronunciat, quodcunque velit, nomen sibi sumere, modo alium ea re in fraudem non inducat, aut quid alieni eat interceptum; *lib. V. Sent. tit.* 25. De alio enim, quam nobis est sermo, nomine loquitur, & constat inter omnes, summi imperantis esse, gradus dignitatis civibus assignare. Qui autem

X 2 nulli

nulli extraneo imperium ſuum debet, nullius cliens, vaſallus aut ærarius eſt, intra fines ſuos pro tali ſe gerere poteſt, qualem ex collatione virium propriarum & alienarum, ex temporis ratione, & vicinorum uſu ſe eſſe putat. Juſta cauſa exiſtimandi facit, ne ipſe ſibi cauſam poſſeſſionis mutaſſe videatur. Nec quicquam eſt, quod alii hic querantur, in pari dignitatis gradu conſtituti. Suſtulit hic ædes altius, tollant illi in cœlum ſuas, ſi modo ſtabile tantæ molis jecerunt fundamentum, & præſens id poſcat utilitas, vel ad futuram tutelam ſpectet. Nemo prodeſſe ſibi, dum alii non nocet, hic prohibetur: nullus dolo facit, qui jure ſuo utitur: nec juris ſibi competentis executio injuriam habet. Quin licet nomen hoc novum officiat luminibus vicini, nulla tamen ei prohibendi facultas eſt: quia alter nil contra legem facit, nec publica ſervitus huic eſt conſtituta. Non equidem is ſum, qui controverſias illuſtres pulvere ſcholaſtico adſpergendas putem; ſed evidentiſſima libertatis hujus naturalis, apud privatos veſtigia ſuperſunt, a priſcis noſtris Juriſconſultis, ex dictamine rectæ rationis, prolata. Si quis enim in ſuo ædificans, obſcurat lumina vicini, cui non debet ſervitutem, jure feciſſe intelligitur; pariter, ac ſi puteum fodiendo in ſuo, venas aqueas, quæ alterius puteo aquam adducunt, reſcindat; quia non videtur is damnum ſentire, qui eo veluti commodo, quo adhuc uſus, privatur; multumque intereſt, utrum damnum quis faciat, an lucro, quod adhuc faciebat, uti prohibeatur *l.* 24. *§. f. l.* 26. *D. de Damno infecto. l.* 1. §. 12. *de Aqua & aq. pluv.* Eleganter Cicero Officiorum tertio: ***Nec tamen noſtræ nobis utilitates omittendæ ſunt, aliiſque tradendæ, cum his ipſis egeamus; ſed ſuæ cuique utilitati, quod ſine alterius injuria fiat, ſerviendum eſt. Scite Chryſippus, ut multa, qui ſtadium, inquit, currit eniti, & contendere debet, quam maxime poſſit, ut vincat; ſupplantare eum, quicum certat, aut manu depellere nullo modo debet: Sic in vita ſibi quemque petere, quod pertineat ad uſum, non iniquum eſt; alteri deripere jus non eſt.***

§. II.

§. II.

Jam porro omnes gentes, & veteres & recentiores, quarum consentiens judicium sperni non debet, videmus ita libertatem illam naturalem explicasse, ut cuique Principum, qui alterius nexu aut fiducia non tenebatur, integrum fuerit, honores judicio arbitrioque suo adsciscere, sibique anteriorem locum arrogare. *Regis Regum* appellatione, quid est arrogantius, aut quid propius accedit ad titulum Imperatoris Romani? qui apud Martialem l. VI. ep. 4. nec non vetustissimos Rabbinorum *Princeps Principum* appellatur. Antiquissimi tamen Ægyptiorum Reges, apud Diodorum; Nabuchodonosor, apud Danielem, ea ornati leguntur; & hic quidem, quod omnibus Asiæ Regibus imperabat. Artaxerxes Mnemon se ipsum *Regem Regum* vocat, in epistola ad Esdram; quia Reges Armeniæ, Cypri, Cariæ aliosque Persæ in obsequio suo habebant. Ab his ad Arsacidas nomen superbum migravit; nec veritus est Vespasianus id Vologeso tribuere, & Romani scriptores privati aliis. Ex Auctoribus, Marmoribus & Nummis, Vir immortalis nominis, Ezechiel Spanhemius hoc docuit, Dissertat. VIII. de Præstant. & usu numism. cap. 2. Rediit honos ad Persas, quum Arsacidarum solium occuparunt. Nec hoc tantum, sed ampliore fastu cumulatur Saporis II. vel III. epistola ad Constantium, apud Ammianum Marcellin. lib. XVII. c. 5. *Rex Regum Sapor, particeps siderum, Frater Solis & Lunæ, Constantio Cæsari, Fratri meo salutem.* Eundem vero titulum, quo, velut peculio, Persæ delectabantur, Belsolus regulus, ad Saporem scribens, jactare ausus est, teste Pollione in Valerianis c. 4. Potiore jure Constantius Cæsar id nominis sibi vindicasse, aut ab aliis delatum accepisse videtur, apud Gregorium Nazianzenum Orat. I. in Julian. Imperatores quoque Constantinopolitani idem suum fecerunt, & ad Turcas deinde transtulerunt; auctore Bryennio lib. I. c. 9. Rex Francorum, licet unum *illustris* nomen tantum ceteris præferret, & a Pippini temporibus *Christianissimus*

vocaretur; tantæ tamen existimationis, apud plerasque nationes, habitus est, ut non a Græcis modo *Rex Regum* dictus fuerit, sed & solus inter Europæanos Principes, Ρηξ per excellentiam indicatus, ob prærogativam, quam supra ceteros Monarchas obtinebat. Βασιλευς Βασιλεων, Hugo, Francorum Regis frater, apud Annam Comnenam appellatur, Alexiad. pag. 288. ubi Carolus du Frene, præter alios, Matthæi Paris. locum A. 754. laudat: *Dominus Rex Francorum, qui terrestrium Rex Regum est, tum propter cœlestem ejus inunctionem, cum propter sui potestatem, & militiæ eminentiam in medio sedebat.* Hispaniæ Regibus eundem titulum tributum esse, Ludolfus observavit, comment ad Hist. Æthiop. lib. 2. n. 12. Nec minus Angliæ Reges eum sibi vindicasse, Seldenus evicit de tit. hon. p. 1. c. 3. Ex quibus satis liquere arbitror, apud cunctas gentes, veterem ac jam pridem receptum fuisse morem, ut Principes, aularumque cultores, ob fortunam imperii splendidius loquerentur. Non alio autem elogio excellentiore magnitudo potentiæ exprimi posse videbatur, quam si *Reges Regum*, *Principes Principum*, *& Dominos dominantium* sese ostentarent, qui Reges habebant copiis sibi & tributis inservientes: sive ex fœdere, nexu, subjectione, sive ex alia causa. *Instrumenta servitutis*, Tacitus in Agricola c. 14. regulos illos vocavit. Præterea alia divina epitheta, quibus Principes eminentes majestatem suam hominum venerationi commendarunt, nullo Principum vicinorum consensu implorato. Divinitatem, numen, oracula cœlestia, adoranda rescripta, sacras constitutiones, in utroque Codice ingeminant Imperatores Romani; ipsique Christiani, θειοτατοι, αγιοι, μεγιστοι; Divinissimi, Sancti, Sacratissimi, Maximi Principes passim dicuntur. Hadrianus *Olympius* appellatus: Commodus *Hercules Romanus*: Diocletianus *Jovium* se dici voluit, auctore nemine. Ipse Papinianus, prudentissimus juris antistes, Severum & Antoninum, cognomine Jovis Capitolini, *Optimos Maximosque Principes suos* nominavit, in *l. 22. D. de Accusat.* Jam

vero

vero Chosrois fastum quis ferat? qui inter titulos regni alios, hos quoque ridendos sibi apponit, in epistola ad Varamum scripta, apud Theophylactum Simocattam lib. IV. Hist. Mauric. c. 8. *Rex Regum, Dominus dominantium, Gentium dominus. Princeps pacis, hominum salus. Inter Deos quidem homo bonus & æternus. Inter homines autem Deus illustrissimus. Victor longe gloriosissimus: cum sole exoriens & nocti lumina largiens, &c.* Non minus insolentes sunt Regis Æthiopiæ, sive Abyssinorum tituli, apud Ludolphum in Historia Æthiopica: ambitiosissimi vero, & omni vanitate plenissimi, quibus Principes Mahumedani se aliosque onerarunt: id quod antiqua pariter ac recentia, fœderum & conventionum Turcicarum exempla testantur, apud Seldenum de tit. hon. p. 1. c. 7. n. 4. Leonem ab Aitzema p. 6. pag. 650. aliosque plures, qui epistolas & relationes Turcicas scripserunt.

§. III.

Tot ac tam variis, omnium ætatum & nationum, exemplis præjudiciorum nebulas pulsas esse puto, ut quæstioni principali plus lucis affulgere possit. Nullus autem dubitandi supererit locus, si in natales & significatum vocis *Imperatoris* plenius inquiramus. Trifariam illa accipitur in Historia Romana. Vigente enim republica, qui exercitui cum imperio præerat, a singulis militibus dicebatur Imperator: ab universo autem exercitu, a Senatu Populoque Romano non nisi, qui res magnas bello gesserat, & hostium numerum, lege definitum, vel minorem occiderat, nomen illud, sed usque ad peractum triumphum, ferebat. Hinc Cicero, post Pindenissas ad Amanum superatos, se *Imperatorem* appellatum esse gloriatur, lib. v. ad Attic. ep. 20. & lib. x. ep. 8. recitat exemplum epistolæ, sibi a Cæsare scriptæ, cum titulo: *Cæsar Imp. Ciceroni Imp. S.* Julius autem Cæsar, cum armis Rempublicam occupasset, inter alios nimios honores, recepit *prænomen Imperatoris*, auctore Suetonio c. 76. Atque ex hoc tempore, Imperator idem fere

fere ac Rex significare cœpit; odioso tamen Regis nomine, diademate, & reliquis regni insignibus, invidiæ declinandæ causa, prætermissis. Augustus nomen Imperatoris, semel & vicies partum, utroque sensu, pro Principe & victore usurpavit. At πολιτικώτατος Tiberius tanquam prænomen adspernatus est, dictitans se *Dominum* servorum, *Imperatorem* militum, *Principem* ceterorum esse, ut auctor est Dio lib. 57. Idem Blæso hoc tribuit, ut *Imperator* a legionibus salutaretur, *prisco*, inquit Tacitus III. Ann. 74. *erga duces honore, qui bene gesta Rep. gaudio & impetu victoris exercitus conclamabantur: erantque plures simul Imperatores, nec super ceterorum æqualitatem. concessit quibusdam & Augustus id vocabulum; ac nunc Tiberius Blæso postremum.* Ait *postremum*: sed Casaubonus ex Appiano observavit, eum honorem sub Hadriano, privatis exercituum ducibus, nondum penitus ademptum fuisse. Labefactat etiam Taciti sententiam, vel si mavis Lipsii emendationem, Suetonius in Tito cap. 5. & lapis Vicentinus, in quo A. Cecinna *felicissimus exercitus Vitelliani Imperator* appellatur, apud Reinesium lib. I. var. lect. c. 17. juncta Ruperti ad ipsum epistola 21. & 23. Sic ergo Imperatoris nomen initio non fuit tanti, quam quidem plerique sibi persuadent, & *Principis* titulo superabatur; *Regis* autem nomen utroque erat majus; *Augusti* omnium maximum inter fastigia humana. Unde Suetonius scribit, non multum abfuisse, quin Cajus Caligula diadema sumeret, speciemque *principatus*, in *regni* formam converteret, in ejus vita cap. 22. Scio Græculos scriptores, ad adulationem compositos, jam mature Imperatores Βασιλεῖς, & Imperatoriam dignitatem βασιλείαν appellasse: verum primus Latinorum est Statius Papinius, qui Domitianum *Regem magnum* vocare ausus est, l. IV. carm. I. v. 46. Deinde *regis*, *regni*, *legis regiæ*, *sedilis regii*, & *ornamentorum regiorum*, secundo & tertio sæculo, crebra occurrit mentio, maxime apud Tertullianum lib. I. ad nat. c. 10. l. 2. c. 10. de spectac. c. 30. donec Aurelianus chlamydi

mydi purpureæ, unico hactenus imperii insigni, *regium diadema*, Constantinus autem *coronam auream* adjecit, ut Victor & Cedrenus testantur. Egregie rem omnem exponit Synesius de regno; ubi Imperatoris vocem, ceu moderationis argumentum, in veræ Monarchiæ Romanæ administratione interpretatur; aitque militaris imperii esse nomen, jam olim in Republica Atheniensium receptum. *Nos*, inquit, *Regis nomine vos dignamur, & appellamus, & scribimus: vos autem, sive scientes, sive inscientes, consuetudini id tribuentes appellationis hujus invidiam declinare velle videmini, Imperatores vos appellando.* Plura de βασιλεὺς & Regis titulo, Romanis Imperatoribus tributo, dabit ὁ πάνυ, Ezechiel Spanhemius, de Præst. & usu num. diss. XII. cujus scrinia compilare haud est necesse. Illud autem non prætermittam, quod licet Francorum Princeps, ante inaugurationem Romanam Rex, post eam Imperator Augustus communiter appellaretur; in multis tamen diplomatibus & formulis Imperator *Regis*, Augusta *Reginæ* nomine donetur, & ex adverso *Imperatoris* nomen Regibus tributum sit; ut præclare docuit Mabillon de re diplom. l. II. c. 4. n. 1. 2. & cap. 26. n. 12. 14.

§. IV.

Ceterum ex hac vocabulorum origine prima, & subsecuta confusione, nolim quenquam suspicari, quasi altius quicquam in nomine Regis, quam in *junctis* Imperatoris, Cæsaris, & Augusti nominibus Romæ olim comprehensum fuerit, aut in præsens contineatur. Adeo enim tituli hi, usu totius orbis, supra omnes alios, sensim oppressa magis magisque republica, ascenderunt, ut quicquid ubivis sublime, sanctum & illustre erat, cum summo in Orbem Romanum imperio, & absoluta potestate, illis inesse crederetur. Quamobrem Aurelius Victor Octavium, scribit, *pro Rege Imperatorem, vel sanctiore nomine Augustum vocatum.* Et Prudentes Caligulam, diadema affectantem, monuerunt, *eum & Principum & Regum fastigia excessisse*, apud Suetonium cap. 22. Hinc etiam Hadrianus *Augustus Maxi-*

Maximusque Princeps, in SCto de hereditatis petitione appellatur *l.* 20. §. 6. *de Hered. petit.* Vile profecto Regis nomen præ illis Imperatorum factum, postquam collapso Imperio Occidentis, Franci, Gothi & Vandali regna diversis in locis constituerunt, regisque nomen novi dynastæ usurparunt: tum enim Orientis Imperatores Αυτοκρατορες appellari voluerunt, exterarum vero gentium Principes, ρηγας, non βασιλεας salutarunt. Dudum hoc observavit Casaubonus ad Spartiani Hadrianum, illustri exemplo Theodorici, Gothorum Regis, qui Romam, & universam propemodum Italiam obtinebat, de quo Procopius 1. Gotth. *Romanorum Imperatoris neque habitum, neque nomen usurpare contendit. Sed* ρηξ *appellatus transegit ætatem. Sic enim barbari principes suos appellare solebant.* Illud autem addo, quod eadem ratione Justinianus Augustus, primus eorum, qui Constantinopoli sedem imperii fixerunt, Ρωμαιων Αυτοκρατωρ, *Romanorum Imperator, re & nomine*, tum fuerit renunciatus, auctore Agathia lib. VI. Is scilicet labefactatum, imo extinctum cum Momyllio Augustulo, imperii Romani decus e ruinis restaurare tentabat; quemadmodum, post aliquot sæculorum intervalla, idem rursus Caroli M. & Othonis I. fuit institutum: in quorum nummis RENOVATIO IMPERII ROM. elogium ab aliis quidem Imperatoribus usurpatum, cum majore tamen emphasi legitur, apud Mabillon. de re dipl. supplem. c. XI. Satis diu autem Orientis Imperatores cum Principibus Occidentis de titulo hoc vitilitigarunt; non aliter, ac si proprietatis jure, eum tenuerint novæ Romæ & mundi domini; qui cum injuria sua conjunctum existimabant, si Latini quoque dignitate Βασιλεως, id est *Imperatoris* coruscarent, quos avito quodam odio, Ρηγων, seu Regum nomine, tantum dignabantur. Sic Henricus IV. Germanicus Imperator, Ρηγος Αλαμανιας, apud Annam Comnenam, lib. 1. Alex. vocatur, & Joannes Cinnamus τον Κορραδον τον Αλαμανων Ρηγος σκηνην memoravit, lib. II. Hist. c. 12. Qui tamen ipse, Imperatoriam majestatem,

non

non obſcure in Germanicis Principibus mox concedit, eosque ſupra Reges locando ſatis agnoſcit, contentionem magis de titulo *Imperatoris Romani*, quam de nomine *Imperatoris* fuiſſe. Diſerte Willelmus Tyrius lib. XVI. c. 21. *Moleſte ſiquidem ferunt, quod Theutonicorum Rex Romanorum ſe dicit Imperatorem: in hoc enim ſuo detrahi videtur Imperatori, quem ipſi Monarcham, id eſt, ſingulariter principari omnibus dicunt, tanquam Romanorum unicum, & ſolum Imperatorem.* Quod ſi vocem *Imperii*, ad uſum loquendi hodiernum exigamus, ſummam notat poteſtatem, nemini in terris obnoxiam, quæ regni menſuram excedit, & ſua potentia adverſus omnes niti poteſt: Quamvis enim majus & minus non variet ſpeciem, dictuque difficile ſit, quænam civitas reliquas magnitudine vincat: obtinuit tamen, ut regna excellentiora, quæ aut pluribus regnis conſtant, aut plurium regnorum viribus reſpondent, imperia appellemus: quo ita quæ re differunt, etiam nominibus diſtinguantur. Sic præter Romano-Germanicum, Magni Mogolis, Sinicum, & Feſſa-Maroccanum Imperium dicitur; Turcarum verò Sultanus omnium *Imperatorum ter maximum* ſe appellat, eaque honoris prærogativa ab ipſis Chriſtianis Principibus ſæpe affectus eſt; quia ſolus uſus hac in re dominatur. Neque vero Paſquierii regulam ſequimur, exiſtimantis Imperatorem, ut talis ſit, quatuor Regibus imperare debere; Regem quatuor habere oportere Duces; Ducem quatuor Comites; Comitem quatuor Barones. Redolet enim hæc doctrina commentum Quaternionis imperii, apud Panvinium, & Goldaſtum; nec plus ſolidi in receſſu habet, quam quod Petrus Pithœus duodecim Comitatus Ducatui, velut neceſſarios adſtruxit, Aimoinum Monachum ſecutus. Quicunque autem Rex ſui juris, fallaci atque externo tituli ſplendore, non pellectus, ſed intenta virium ſuarum & temporis conſideratione, Imperatoris nomen affectat, tantum abeſt, ut cenſura vexandus ſit, ut potius, velut rectus & magnificus ſui judex, laudandus videatur. David Blondellus,

in præfat. apol. adversus Chifletium, quædam huc pertinentia scripsit; & ego vivendum quidem moribus præteritis, verbis autem præsentibus utendum esse putem. Nisi enim me omnia fallunt, imperium bellis quæritur, victoriis propagatur, fœderibus & benevolentia sociorum fulcitur. Deus est, qui regna dispensat; qui civitates extollit, aut deprimit, qui erigit e pulvere tenuem, & vices dominationum moderatur. Homerus peculiarem hanc Jovis, in sceptris dandis & adimendis, curam jam olim agnovit, cujus verba eo nomine Dion Chrysostomus in orat. de regno tertia laudavit & explicavit. Romani etiam hoc ipsum indicarunt tot nummis inscriptis: PROVIDENTIA DEORUM; & singularis Severi est nummus apud Tristanum, in quo JUPITER IMPERATOR. Titus *principatum fato dari*, ajebat apud Tranquillum c. 3. *Grande Imperatoris nomen est, quod a Deo traditur*, inquit Tertullianus Apolog. c. 33. Inde Copronymus, Alexius Comnenus aliique Impp. Græci passim θεοστεπτοι, & Carolus M. Ludovicus Pius, ceterique Occidentis Augusti toties *a Deo coronati* appellantur. Quotquot ergo Reges summa Majestatis jura omni obligatione vacua habent, certique norunt, terras suas reliquis potentia & viribus superiores esse, Imperatoris titulum, ad populum, cui imperant, restrictum, ex eodem fonte depromere possunt, unde Romani, Græci, Franci, Germani, ceterique recentiores suum hauserunt. Nec aliud de *Cæsaris*, vel ut Germaniæ superioris populi, pariter ac Græci, prolata littera C. efferunt, *Kaysers* appellatione dicendum videtur: licet Feltmannus ad solos, nescio quos, Julii Cæsaris, successores eam pertinere contendat, lib. 1. de tit. hon. c. 34. Boeclerus etiam, quemvis Principum, facilius Augustum, quam Cæsarem dici posse existimarit; quod vox illa jura vere regia, & monarchica, & imperii amplitudinem significarit, in dissert. de Sacro Imp. Rom. pag. 40. & 41. Sive autem a cæsarie, sive a cæso matris utero, sive ab elephanto, qui Maurorum lingua Cæsar dictus, vocis origi-

nem

nem repetas, nihil eminentiæ peculiaris ei inest. Deinde Dio Cassius lib. 53. de titulis Imperatorum differens, testatur, appellationem Cæsaris *nihil peculiaris potentiæ*, sed tantum *successionem stirpis* indicasse. Et tirones norunt, principio hereditarium Augustæ Domus hoc fuisse cognomen, dein ad destinatos in Imperio successores, mox ad ipsos Imperatores, sed Byzantinos maxime, esse translatum, in quorum nummis sæpius ΚΑΙΣΑΡ occurrit. *Qua de caussa, apud omnes terræ populos, nominatissimum Cæsaris nomen est, & nos, præter omnes alias Imperatoriæ majestatis notas, eo gloriamur*, scribit Justinianus præf. Nov. 30. Germani vero, quia proprium nomen non habebant, quo Imperator a Rege discerneretur, Cæsaris vocem, prout a Græcis acceperant, civitate donarunt, & Otfridus jamdum *Keisores* voce usus; Anglo-Saxones *Casere* scripserunt, & per *Imperatorem* Latine reddiderunt. Rarius utique, inde a Carolo M. Cæsaris nomen in titulis Augustorum Latinis, publico nomine scriptis, legitur: nec tamen omnino nullum fuit; quemadmodum Goldastus in præfat. tom. 3. Constit. putabat; Ottonis enim & Friderici II. diplomata pauca *Cæsaris invicti* meminerunt. At Ludovicus Bavarus perpetuum ejus usum, ex ratione civili, introduxit.

§. V.

Quamdiu stetit Imperii Romani decus, Reges victi, fœderati, aut beneficiis obstricti comiter observarunt Augustorum Majestatem, nec affectare ausi sacros Imperatoris aut Cæsaris titulos, quibus orbis dominium cohærere credebatur. Plena quippe est historia Regum, quibus Senatus Populusque Romanus sceptra & diademata dono misit, quive regnandi auspicia ab Augustis petierunt, aut domo extorres in patriam ditionem restituti sunt Aquilis Romanis. Hæc est *Latio quæ servit purpura ferro*, apud Lucanum VII. Pharsal. 228. & Seneca sub persona Neronis, de his lib. 1. de clem. c. 1. *Quas nationes funditus exscindi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quos Reges mancipia fieri, quorumque capiti Regium circumdari decus oporteat,*

tcat, quæ ruant urbes, quæ oriantur, mea jurisdictio est. Verum ex quo orbis Romani partes, aliæ bellis, aliæ pactionibus & derelictione in gentium & regum jura transierant; nihil vetabat, quin hi eadem sibi nomina arrogarent. Sic Herulos, Hunnos, Langobardos gentile quidem regis nomen magis delectabat, quam ementita Cæsaris & Augusti familia: quin Gotthorum Principes, judices, quam reges dici malebant, quia hæc potentiæ, illa sapientiæ vox, auctore Themistro orat x. in Valentem. Theodoricum autem Gothorum Regem Procopius lib. 1. Hist. Goth. *Verbo invasorem, reipsa Imperatorem*, vocat, *& clarissimis, quibus id nomen obtigerat, parte nulla minorem.* Immo Goldastus in præfatione ad Jacobum Britanniæ Regem, tom. 3. constit. Imp. observavit, in publicis Edictis & Rescriptis Latinis, eos subinde *Imperatoris* & *Imperii majestatem*, *Augustam dignitatem*, *purpuræ adorationem* sibi tribuisse; Attilam *mundi Imperatorem* dictum, Odoacrem *Cæsarem Ottnitum*, Theodoricum *Imperatorem Ravennensem:* & quæ id genus plura, sine auctore, ibidem traduntur. Hoc certum est, odio plus quam Vatiniano Gothos utrosque adversus Imperii rudera flagrasse, unde barbaræ, id est Alaricianæ vastitatis & feritatis meminit l. 20. *C. Th. de tiron.* & l. 2. *C. Th. de littor. & itin. cust.* qua viribus omnibus id agebant, ut sua dignitatis vocabula, in locum pristinorum subveherentur. Audiamus Athaulfum, apud Paulum Orosium, ejus temporis scriptorem, ita loquentem: *Postquam inprimis*, inquit *ardenter inhiavimus, ut oblitterato nomine, Romanum omne solum, Gothorum imperium & faceremus & vocaremus; essetque Gothia, quod Romania fuisset: fieretque nunc* Balthus, *quod quondam* Cæsar *& Augustus.* Hic autem Ataulfus, Vesigothorum Rex, quem nos Adolphum vocitamus, postquam Italiæ ac Urbis Romæ spoliis onustus, una cum uxore sua Placidia, Theodosii Imp. filia, primum in Galliam Narbonensem, inde in Hispaniam transgressus, ibique regiam fortunarum suarum sedem liberam, nullique mortalium obnoxiam delegit, femina

mina dignitatis Imperialis jecisse videtur, quæ sub ejus successoribus nimium quantum, etiam ad ipsum Imperatoris nomen increvere, ut ex LL. Wisigoth lib. 12. tit. 2. §. 13. colligi potest. Hieronymus etiam Higverra in notis ad Luitprandi Chron. n. 10. tradidit, Vesigothorum Reges, imitatione Imperatorum Constantinopolitanorum, Flavios se appellasse, & curru eburneo, purpura, iisdemque domus & aulæ officiis usos; parem quoque in modum coronatos, inunctos & Majestatis veneratione decoratos; denique nihil omisisse, quo magnificentiam suam augerent. Pauca eorum diplomata sincera nobis reliquit Maurorum infestatio: sed a septem retro sæculis documenta Imperatorii nominis, ab Hispaniæ Regibus sumti, supersunt. Sancium Magnum, *Hispaniæ Imperatorem* se nominasse, quia Castellam, Aragoniam, Navarram & Cantabriam, summo jure possidebat, scribit Albericus in Chron. A 1031. Dein Alphonsus VI. candem dignitatem sibi vindicavit: nam Synodus sub ipso celebrata dicitur, *regnante gloriosissimo Adefonso Imperatore.* Et quinque hujusmodi chartas, a se visas, Sandovallius in ejus historia testatur. De Alfonso VII. Rodericus Toletanus Archipræsul lib. VII. c. 7. *Rediens Legionem imposuit sibi imperii diadema, & vocatus fuit deinceps Imperator.* Plura alia testimonia, quibus idem decus, & huic, & Alphonso VIII. & Ferdinando III. & Alphonso X. asseritur Chifletius vindic. Hispan. c. XI. & du Frene in glossario voce *Imperator* collegerunt. Quibus addendum est Alfonsi IX. memorabile diploma, quod integrum, ex archivo Dionysiano, eruditissimus Mabillon suppeditavit lib. V. de re diplomat. tab. 45. cum subscriptione: *Ego Adefonsus, Dei gratia, totius Hispaniæ Imperator.*

§. VI.

Angliæ porro, vel Magnæ Britanniæ Reges, inde a pluribus sæculis, Imperatoris titulum sibi sumsisse, vel ex eo patet, quod Edgarus, aliique Anglo-Saxonici Principes,

Al-

Albionis & Anglorum Basileos se passim scripserunt; quæ vox tum Imperatorem sonabat. Chartam de Clericis uxoratis, ita subscriptam: *Ego Eadgar, Basileus Anglorum, & Imperator Regum Gentium*, laudavit du Frene *d. l.* alias in voce *Basileus*; quocum Seldenus jungatur part. 1. de tit. hon. c. 2. §. 5. Antiquæ hujus eminentiæ memoriam servarunt Reges, ab Eduardo Confessore omnes, qui in sigillis & nummis globum, Imperatoris insigne, manibus suis tenent. Ipsum nomen resuscitare conati sunt mercatores Londinenses, in monumento *Carolo II Cæsari Britannico* posito; magis autem ipse Rex Jacobus; dum in Edicto *Imperialem coronam* ad se devolutam, & se pro *Imperiali potentia* statuere scripsit, nec non nummum argenteum cudi curavit, cum hac inscriptione: JACOBUS PRIMUS BRIT. CÆ. AUG. HÆ. CÆSARUM, quod ex litteris Mss. Lingelshemii, Hertius memoriæ prodidit in elem. prud. civ. p. 1. s. 2. §. 3. De Galliæ Regibus præstat silere, quam pauca loqui; adeo frequenter, non privati tantum rerum Francicarum scriptores, sed Græci etiam Imperatores *Augustorum* & *Imperatorum* titulum ipsis tribuerunt, id quod Auctor *des lettres d'un Francois*, ex priscis Dagoberti, Ludovici, aliorumque chartis ostendit. Imo ipsosmet Reges, Romanorum Principes, & *Romanæ terræ Imperatores* sese dixisse, ex Andrea de Quercu, docuit clarissimi nominis Jurisconsultus, Jac. Gothofredus in proleg. C. Theod. c. 7. & de jure præced. p. 1. c. 3. n. 25. Apud Zyllesium, in Sancto Maximino, Pippini sigillum (vix tamen genuinum) laudatur, in quo PIPPINUS IMPERATOR. Ludovico XII. post occupatum Ducatum Mediolanensem Lugdunenses nummum obtulerunt, cum hac epigraphe: FELICE. LUDOVICO. REGNANTE XII. CÆSARE ALTERO. Sed Turcicus & Fessa-Maroccanus Impp. titulum Imperatoris, *Bodeshair*, Gallorum monarchis tribuunt, uti præter recentiorum temporum historiam, docet Limnæus Notit. Regn. Franc. l. 2. c. 1. Verum reges omnes memorare labos foret, qui Im-

pe-

peratoris nomen & insignia usurparunt, ad summam imperii & dignitatis plenitudinem indicandam. Ipsi Byzantini Bulgarorum Regi βασιλέως titulum detulere, uti est apud Scylitzem pag. 623. & Luitprandum in Legatione, ubi *Petri Bulgarorum Vasilei* meminit. Justinianus Arethæ, Saracenorum duci, idem dedit, teste Procopio lib. 1. belli Persici. Rabanus etiam in epistola ad Notingum Veronensem, statim sub initium, Ludovicum, Germaniæ Regem, Imperatorem vocat: *Nuper quando ad serenissimum Imperatorem Ludovicum, in transitu expeditionis hostilis, in pago Logana venisti.* Heraldus denique, Daniæ Rex, jam olim in saxo Jutico, non longe ab urbe Vedila, Cæsarem se appellavit, apud Steph. Stephan in not. ad Saxon pag. 204. Hodie autem rarius est, ut horum regnorum Principes sibi id nominis tribuant, quia usus, optimus ambitiosorum magister, non nisi apud populos, qui nec modum nec finem titulorum norunt, assurrexit.

§. VII.

Causam hujus rei, si quis requirat, in promtu est: quia exteri Principes ejusmodi titulos conferre non tenentur, nisi conventio expressa, vel longa possessio antecedat. Cum enim major apparatus ceremoniarum, & Legatorum existimatio, aliæque prærogativæ ejusmodi nominis mutationem comitari soleant, non poterit sane quis sola tituli usurpatione, exteras gentes invitas, ad eum sibi tribuendum, adigere, aut ejus denegationem injuriam interpretari, ut contra Pufendorfium, Titius recte observavit ad lib. 11. de offic. c. 6. §. 13. Enimvero licet regnorum potentium & præstantissimorum per se justior & magis intensa sit existimatio, nil tamen inde, nisi jus imperfectum & aptitudo quædam, foris honorem titulumque majorem recipiendi, minime autem prærogativa producitur; ob regulam, pares ut pares tractandos esse. Quemadmodum paterfamilias domesticis suis legem compellationis, & notas honoris præscribit, sic Princeps subjectis: at sicut illius præceptorum

vis intra ædes, sic regiorum titulorum modus intra territorium terminatur. Honos extra commercium positus est, & omnem respuit coactionem, ut liberalitas, misericordia, aliaque ejusmodi; quæ ex amore virtutis affectuque interno proficisci debent: hunc vero regere penes alios non est. Et quamvis plerique honorum aucupes titulis, signis & ceremoniis externis, coactis licet, frigidis, & tantum non mortuis contenti esse, & velint & debeant; sufficit tamen, quod inter eos, qui in statu naturali vivunt, ordo arbitrarius sit, nullaque lex obtineat, ex qua alter alteri loco cedere teneatur. *Si quid ipsi a Cæsare opus esset, sese ad eum venturum: si quid ille se velit, illum ad se venire oportere*, Ariovistus, Germanorum Rex, Cæsaris legatis respondebat 1. d. B. G. c. 24. Unicum titulorum, & derivatæ ex iis præcedentiæ, inter Gentes & Respublicas, fundamentum est consensus tacitus vel expressus: quicquid ab hoc declinat, superbiam & morum corruptionem olet, maximamque ordinis & decori perturbationem parit, & bella minatur. Sæpe metus potentiæ, spes lucri, fœdera, superstitio, aut adblandiens commerciorum incrementum consensum expressum extorquent. Aliquando consuetudo instar legis est; & ex longæva possessione tacita reliquorum approbatio elicitur. Ille demum titulus vere est titulus, qui non domi tantum utentis arbitrio sumitur, sed ab exterorum primis & secundis, in litteris, legationibus, actu & scriptura formali tribuitur. Hac regula, tanquam Ariadneo filo, intricatas quasvis id genus controversias feliciter explicare licebit, de quibus acerrimis studiis huc usque certatum fuit. Qui ante Jacobum Gothofredum, hoc argumentum, eique vicinum, de præcedentia, tractarunt, certis principiis non sunt innixi; sed prout libido iis auspicium fecit, aut amor patriæ, vel spes præmiorum, ita acti sunt in transversum. Plerisque fraudi fuit, quod contentiones de dignitate fœdas sæpe, & insipientes eorum, qui superiorem habent, a controversiis Principum, qui in statu naturali soli Deo subjecti, non

non satis distinxerunt. Quod si ad praxin respiciamus, Hobbesii sententia non spernenda videtur, qui omnia honoris & titulorum fundamenta ad potentiam revocavit, in Leviath. c. 10. Haud parum enim momenti adfert, si jura e vagina derivari, & cedere nolentibus, triginta legiones monstrari possunt. Sed quia omnis metus cum odio est conjunctus: quem autem quis odit, eum perire cupit; igitur solus armorum terror, pro honoris exhibendi argumento, venditari non potest, quemadmodum Diaboli exemplo Pufendorf monstravit lib. VIII. de Jure nat. c. 4. §. 13. & 18. Obsignabo hanc demonstrationem verbis Senatus Lithuaniæ, apprime ad argumentum nostrum spectantibus, apud Albertum Kojalowicz ad A. 1550. *Quod Czaris titulum conferre, neque esset Ivani eum sibi arrogantis, neque unius alteriusve Principis assentantis, neque arbitrii regii: indigere omnino eam rem concordi omnium Principum consensu.*

§. VIII.

Ut vero paritas illa Regum & Rerumpublicarum, magis appareat, talis eorum status naturalis menti proponendus est, qualem antiqui fabulantur in cœlo fuisse, antequam majestas oriretur. Tunc enim par erat omnis honor, & unusquisque pro lubitu primum locum occupabat; ut Polyhymnia apud Ovidium lib. V. Fast. eleganter proponit:

Sæpe aliquis solio, quod tu, Saturne, tenebas,
Ausus de media plebe sedere Deus.

Quæ vero prælationis fundamenta vulgo allegantur, ab amplitudine ditionum, regni antiquitate, splendore titulorum, aut qualitate potestatis petita, admodum fragilia & lubrica esse, docuit Pufendorf lib. VIII. c. 4. §. 15. *seqq.* Pariter enim ac navis ad eam magnitudinem pervenire potest, quæ regi nequeat; sic latifundia regionum, & hominum numerus adeo augeri possunt, ut unum regimen non ferant. Augustus, in libello post mortem ejus in Senatu lecto, prudens consilium dederat Romanis, coercendi intra terminos imperii: id quod quum successores e-

jus negligerent, eo magnitudinis excrevit, ut viribus suis conficeretur. Profecto ut manus nostræ expeditius recipiunt, quam continent: ita difficilius est, provincias tueri, quam facere; viribus parantur, jure retinentur. Grotium vide lib. II. c. 22. §. 13. & lib. III. c. 15. §. 7. Adeo autem jus προεδρίας inter Rectores civitatum cessat, ut nec civitas popularis, ceu summæ ejusdem potestatis & majestatis compos, in se videatur dignitate inferior esse civitate monarchica; licet in illa nemo unus reperiatur, qui cum Rege comparari possit. Ex eodem æqualitatis principio manat, quod Reges se invicem & Respublicas fratres appellitant hodie, & frequenter olim nominarunt, licet consanguinei non essent. Notus est lapis vetustus, avorum ætate, e ruinis armamentarii prope Catwicum erutus, cum epigraphe: GENS. BATAVORUM. AMICI. ET FRATRES ROM. IMP. Achabus etiam, Rex Israelis, Benhadadum Syriæ Regem *fratrem* vocat 1 Reg. 20. v. 32. Constantinus M. Saporem, Persarum Regem, *fratrem* compellat apud Euseb. lib. IV. de vita Constant. sicut vicissim, Sapor Constantium Cæsarem, *fratrem suum* salutavit, apud Ammian. Marcellinum l. XVII. c. 5. Valesius ibi in notis, du Frenius ad Annam pag. 274. Bignonius ad Marculf. lib. I. c. 9. & Mabillon. lib. II. de re dipl. c. 2. n. 15. tam ex sacris, quam profanis scriptoribus, multa exempla consignarunt; ad quos, horum studiorum principes, adire licebit, junctis Ampl. Cuperi in Lactantium notis pag. 141. Ad nostrum institutum inprimis pertinet, quod Moschorum Reges, ad alios scribentes, jam olim eodem dulci fraternitatis nomine, delectati fuerunt. Refert enim Sigismundus Baro, pag. 12. comment. rer. Moscov. eos titulis tribus circulis triangulo inclusis pro insignibus usos: quorum primus in supremo circulo continebatur, his verbis: *Deus noster Trinitas, quæ fuit ante sæcula; pater, filius & Spiritus sanctus, non tamen tres dii, sed unus Deus in substantia.* In secundo erat titulus Imperatoris vel Regis illius,

hus, cui scribebatur, cum adjectione *Fratri nostro.* In tertio titulus Magni Ducis Moscoviæ, quo se Regem & heredem, ac dominum totius Russiæ orientalis & meridionalis dicebat. *Quod attinet titulum* Fraternitatis, *ille Germanorum stilo communi ignotus, nec nisi inter illos usitatus fuit, qui ut in conviviis nostris fieri solet, hanc velut singularis amicitiæ tesseram sumserant. Sed apud exteros transiit ille in formulam, usque adeo ut etiam inter Cæsarem & Moschum usurpetur*, scribit Cæsarinus Furstenerius, sive Ill. Leibnitzius de jure suprematus c. 24. Cujus etiam in sequenti cap. 34. proposita observatio hisce temporibus expendi meretur; non esse in Regum & potentissimorum Principum potestate, ut vulgo credi solet, uni Principum, quantos velint, honores, titulos, & prærogativas tribuere, easque alteri paris conditionis petenti negare: licet enim hujus imperfectum jus sit honores postulandi, non tamen publicam inæqualitatem, cum dignitatis suæ contemtu, ferre tenetur, quia honos in comparatione consistit. *Omnes Reges pares esse, ac si quæ Gallo honoris ac ordinis prærogativa tributa sit, id a Pontificibus Rom. profectum, quorum auctoritati pridem Anglia renunciaverit*, Gallico legato, Pontificis Romani concessionem jactanti, Anglus reponebat apud Pufendorf lib. VII. Rer. Suec. §. 137. ad A. 1635.

§. IX.

Verumenimvero licet Rectores civitatum, in statu mere naturali considerati, pares sint, jure gentium tamen inæqualitas introducta est; qua turbata, rerum & nominum fœda confusio oriatur oportet. Plinius hacpropter lib. IX. epist. 5. Tironem suum laudat; *quod eum modum tenebat, ut discrimina ordinum dignitatumque custodiret; quæ si confusa, turbata, permista sint, nihil*, ait, *ipsa æqualitate esse inæqualius.* Jus gentium, appellamus, cum Jurisconsultis, quod necessitate exigente, & mutuo quasi consensu, ratio constituit, ac usus firmavit. Ευρημα βιυ και χρονυ, *Inventum usus & temporis* Dio Chrysostomus descripsit orat. 76. Hujus scien-

tia aulica hactenus fuit, nec satis exculta in umbris scholarum; adeo autem scitu necessaria est, ut de bello, & pace; de fœderibus & legationibus sine ea prudens judicium ferri non possit. Ab hoc tota etiam quæstio, utrum Imperatoria an Regia dignitas sit major? ut omnis alia inter diversos Principes, pendet. Sunt qui nonnisi soni differentiam statuunt, inter Imperatoris & Regis nomen; prorsus ac Marcianus ajebat, inter pignus & hypothecam, nominis tantum sonum differre. Galli inter hos familiam ducunt; sed Advocatus Parisiensis, Auberius impudentissime omnium, Augustissimi Cæsaris Majestatem & titulum Imperatoris deprimere conatus est, in libro Gallice scripto: *De Præcedentia Regum Franciæ, Imperatorem supra & Regem Hispaniæ.* Cramben autem aliorum recoxit adulator, & præter convitia, vix quicquam adjecit; quibus repellendis jam homines docti diligenter elaborarunt, nobisque otium fecerunt. Inde enim usque a nato Salvatore, Cæsaris, Augusti & Imperatoris tituli, auspicio divini, elogio maximi fuerunt; ex qua tot sæculorum consuetudine & constante Romanorum, Francorum, & Germanorum possessione, jus inter gentes enatum est, quod argutis nugis, & etymologiis Grammaticalibus haud quaquam tolletur. Contrarium præterea res ipsa loquitur, quando omnium nationum, etiam barbarorum, ut vidimus, & Gallorum Reges potentiores, Imperatoris nomen summis desideriis affectarunt; non alia de causa, quam quod venerabilius & eminentius quid, in eo esse arbitrabantur. Vid. Steph. Baluzius in not. ad Petrum de Marca de concord. Sac. & Imp. p. 927. Accedit & hoc, quod alia Imperatorum, quam Regum, supremæ dignitatis insignia fuerunt. Erat hæc ambitio Cæsarum gentilium, ut in nummis cum orbe seu globo se describi curarent, quo universi orbis imperium indicaretur. Christiani vero utriusque Imperii Augusti, in pietatem id convertentes, globo crucem imposuerunt, in quam oculos defigerent. At quotquot Imperatoris titulum adoptarunt

Re-

Reges, pomum inter imperii sui symbola adsciverunt. De Regibus Aragonensibus Gesta Innocentii III. de Anglis Walsinghamus; de Danis Hogembergius, de aliis alii id testantur. Certum denique est, Imperatores inter & Reges, hanc differentiam intercessisse, quod illorum diademata clausa, horum aperta. Sic enim Anna Comnena lib. III. Alexiad. *Imperatorium diadema plane instar hemisphæri, undique concavi ac clausi, omni æque ex parte, caput amplectebatur, margaritis partim subsidentibus, & quasi operi intextis, partim extantibus, & foras pendulis, speciosissime ornatum. Nam utrimque ad tempora, ex margaritis ac gemmis pluribus compacta monilia pendebant verberabantque: atque id eximium & proprium insigne Imperatoriæ potestatis erat.* Similia habet Auctor Ceremonialis Romani, qui Pio II. Papæ fuit a secretis, lib. I. sect. 5. c. ult. *Differt forma coronæ Imperialis ab aliis: nam ea sub se tiaram quandam habet, in modum fere Episcopalis mitræ; humiliorem tamen, magis apertam, & minus acutam: estque ejus apertura a fronte, non ab aure: & semicirculum habet per ipsam aperturam aureum; in cujus summitate crux parvula eminet. Eam tiaram aliæ Coronæ non habent.* Rursus antiquum Chronicon Flandriæ, Gallico sermone scriptum c. 57. ubi de coronatione Imperatoris Henrici Lucelburgensis *sa couronne*, inquit, *surmonte toutes les autres: car entre celles des autres Rois, elle est seule couverte par dessu.* Quænam discriminis hujus sit origo, & ratio, quidve hodie intersit, non valde facit ad rem; quia Russorum Princeps, non corona, sed mitra purpurea utitur, adeoque in symbolica, quam diu meditor, Jurisprudentia id excutiendum erit. Interim Carolus Paschalius lib. IX. Coron. c. 17. & 18. videatur. Nec tamen omitto, quod hujus formæ coronam, Reges quicunque, una cum Imperatoris titulo sibi imposuerunt. Antiquorum & Austriacorum Hispaniæ Regum coronas, globo cum cruce fastigiatas, clausasque expressit Chiffletius Vind. Hisp. pag. 165. Angliæ coronam ab Henrici IV. temporibus, arcu vel sphæra clausam,

sam, (*archée en croix*, ait Froissardus,) quæ nunc etiam in parlamentis recentioribus, *imperialis* vocatur, Seldenus delineavit p. 1. de tit. hon. c. 8. pag. 179. Franciscus I. Galliæ Rex, simile diadema sibi regnoque suo conciliavit: sive ut a Ducibus & Comitibus discerneretur, qui coronati in nummis ejus apparent ævi: sive æmulatione Regum Angliæ, quos dignitate inferiores censebat, quæ Frenii sententia est, diss. 24. ad Joinvillam pag. 299. sive deinceps, ut paria faceret cum Carolo V. orbique ostenderet regnum se possidere absolutum, de quo dicere liceat, quod Corippus lib. 3.

- - - - medias inter super omnia gentes,
Regna micat, claro tantum uni subdita cœlo.

Atque hæc quidem sufficere poterant, ad prærogativam Imperatorio titulo vindicandam; auctarii tamen loco, singularem subjiciam Joannis Cinnami locum lib. 11. cap. 12. cujus verba, ex versione du Frenii, sunt quæ sequuntur: *Gaudent singulari sua prærogativa ejusmodi dignitates, ab Imperatorio fastigio, quod ceteris præeminet, & a quo profluunt, quodammodo secretæ. Comitem enim Dux præcellit; Ducem vero Rex, Regem Imperator: & cum illur, quod minus est, suapte natura potiori subjaceat, belli cum eo partitur onera, in ejusmodi rebus cetera subditus. Quapropter quem Græci* Βασιλέα *vocant, Latini Imperatorem appellare solent, supremam illius potestatem innuentes: Reges autem, quotquot secundum sortiti sunt ordinem. Hæc apud illos habetur distinctio.*

§. X.

Quod si nunc ea, quæ diximus, ad Russorum monarcham applicemus, statim constabit apud omnes, ipsum vi libertatis naturalis, titulos augere, & Imperatoris nomen, in regnis terrisque suis, adsciscere potuisse. Neque enim sui tantum juris est, servitute Tatarorum excussa; sed tria regna, cum multis ducatibus & provinciis ditione sua tenet, Regesque finitimos uno Sultano excepto, potentia superavit. Subjectos adeo habet obsequentes, ut vere, & sine ex-

exemplo Regum Europæorum, tanquam certus rerum ac personarum dominus, iis imperare dicendus sit. Qui scripto ipsum adeunt, diminutiva nominis appellatione se insigniunt, loco Petri Petruske, Iwaske pro Joanne se vocantes. Omnes fatentur, Dei voluntatem per Principem promulgari, quem Dei clavigerum, & cubicularium appellare solent. Si quis porro dotes illas quatuor in ipso requirat, quas Cicero pro Lege Manilia cap. 10. in belli Imperatore inesse oportere existimavit; scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem; tanta sunt in hoc uno, quanta in barbaris Imperatoribus Mahumedanis, quos aut vidimus, aut audivimus, non fuerunt. Quam ridiculis titulis & nugis bullatis vicini ejus Persæ turgescant, supra dictum. Tatari Principes suos Cham vocant, id est Imperatores, ut auctor est Vincentius Belvacensis lib. 32. c. 32. *Qui & Gog Cham, id est Imperator, vel Rex dicitur, sublimatus est in regno Tartarorum Caanus.* Ut adeo inter has tumidas nationes, & pleraque ex superbia tituli metientes, vix tutum fuerit in magni Knesii, vel Czaris nominibus consistere, quæ Principes, Optimates, & Toparchæ sua fecerunt. *Knes* enim, lingua Slavonica, idem valet, ac dominus. Κανης & Κανι apud Pachymerem l. 3. c. 25. & lib. 10. c. 25. *Canesius* apud Magistrum Rogerium de destruct. Hungariæ c. 33. nuncupatur. *Beleknegini* est pulchra domina, apud Ditmarum lib. VII. *Czaris* autem vocabulum, licet Regem significet, regulis tamen tribuitur; unde Michael Fœdorowitzius se *Karthalinicorum & Grusinicorum Czarium* dominatorem scripsit. Lithuaniæ etiam Senatores, ex alia ratione, vocem minus aptam esse censuere; *Czaris appellationem profiteri solos sectæ Mahometanæ Principes: Lithuanos contra dignitatem Christiani nominis facturos, si communes cum barbaris honores ei tribuant*; scribit Albertus Kajalowicz ad A. 1550. Quanquam nimis abjecte tum temporis de Moschorum Principe, ejusque pristino Magni Ducis titulo senserint Poloni, Regis titulum vel regio similem ei negantes,

quem ante tot sæcula eorum majores tulerant, in universa Europa. Dixi capite præcedente §. 5. sæculo decimo Russorum Principes, domi Ducis Magni titulo contentos, exteris autem Reges visos fuisse: sed quia dies prior posterioris est discipulus, atque alios inter labores ordinarios tumultuaria opera & cursim hæc scribenda sunt, fugiebat me tum insignis locus, in Annalibus Francorum Bertinianis, ad A. 839. ex quo genuinum nomen, quo Rossorum Reges sæculo nono usi sunt, depromam: *Misit etiam cum iis quosdam, qui se, id est, gentem suam Rhos vocari dicebant: quos Rex illorum Chacanus vocabulo, ad se amicitiæ, sicut asserebant, causa direxerat.* Cagani vel *Cacani* vox occurrit passim apud scriptores Byzantinos, quos du Frenius in glossario mediæ Græcit. in Καιης, Κηζης, & Latinit. in *Caganus* laudavit. Gregorius Turonensis, & Paulus Warnefridus Hungarorum Regem, sua lingua, *Cacanum* appellari scribunt. Eadem autem Avarum, quæ Russorum patria fuit Taurica Chersonesus, in qua & hodie *Chaanes*, *Chanes*, & *Magni Canes* dominantur; quam vocem *Imperatorem* notare Pachymeres opportune testatur, ὁ δὲ Καης, Βασιλευς, lib. v. c. 4. Latius autem manavit hoc nomen, per crebras terrarum divisiones, & fracta potentia, in Magni Ducis, seu *Knesii* appellationem conversum. Rediit deinde sub Joanne Basilide cumulatior honos, & agnitione plerorumque Principum, ad statum redactus videbatur, si digniorem successorem reliquisset. Evenit tum, quod Machiavellus prudenter ad Livium notavit: si præpotentem principem alius excipiat, qui non sit tantus, posse eum vel decessoris umbra imperium conservare; sed si vel ipse diuturnioris vitæ fuerit, aut post ipsum alius succedat, qui non insistat vestigiis primi, ut ruant omnia necessum esse. Plane Rudolphus II. Imperator, easdem causas honorandi filium, quas Maximilianus I. ad patrem scribens, habuisse non videtur; quia *Serenissimo ac Potentissimo Duci Theodoro Wanowitz, Czaro, & Magno Duci Russiæ* &c. *salutem & animum benevolum, ac gra-*

tiam

tiam suam Cæsaream nunciat, in Edicto A. 1594. apud Goldastum tom. 3. Const. Imp. pag. 579. In curia Pontificis Romani, tantum abest, ut Cæsaris titulus sit tributus, ut ea ipsum Czaris nomen perpetuo negarit: Quum enim Alexii Michaelidis legatus, Paulus Meneses, A. 1673. Romam attulisset litteras Clementi X. non aliter, quam *Romanæ Ecclesiæ Doctori* inscriptas, is in responsi epigraphe *Viri nobilis* compellationem Mosco reddidit: dolentibus tum quidem optimis Cardinalium, spem ingentis fructus præcidi; sed in injuriam Romani Imperatoris id nomen vergere, a Palatinis prætexebatur. Vide Papebroch præfat. ad ephem. Græc. §. 17. De Gallorum more, Carolus Paschalius, Regis in Consistorio, sub initium sæculi præcedentis, Consiliarius, loquatur lib. IX. de coron. c. 22. *Moscbum excipio, qui se æquat Regibus, atque adeo se super Reges collocat, cum a nobis sola censeatur appellatione Magni Ducis.* Russi contra satis tenaces fuerunt, tituli Cæsaris, semel obtenti conservandi; nec quicquam temere de prærogativa & honore remiserunt, ut omnes legationes testantur. Fletcher in suo de Russorum Rep. libro Anglice scripto. c. 5. stilum publicum in coronatione Theodori Juanowitzii observatum, fuisse refert: *Dei Gratia Magnus Dominus & Imperator totius Russiæ.* Supra laudatus etiam Paulus Menesius a Birfodels, Baro Scotus, cum Legati munere fungebatur, *Serenissimi Potentissimique Czaris, omnium Ruthenorum Autoccratoris; ablegatum se, ad Imperatorem Romanum, & Electores*, litteris eo datis docuit, auctore Schurtzfleischio disp. 45. §. 4. Duo litterarum exempla, in quibus *Michael Fœderowitz, Dei gratia, Rex, Imperator & Magnus Dux Moscoviæ* appellatur, sunt apud Victorium Siri tom. 2. lib. 1. pag. 294. & 297. Plane quod in Legatorum suorum receptione foris, & ab exteris domi suæ multa postularint singularia, studiumque conservandi prærogativam domini sui prodiderint, Comitis Carleolensis, Heinsii, multisque aliorum exemplis ostendi posset. A. 1631. infra dignitatem Principis sui videbatur Duums

viris Russis, si litteræ ejus sacræ, more solito, coram sedentibus Belgarum Ordinibus recitarentur; ut Aitzema observavit, p. 1. lib. 11. pag. 1121. Magis lepidum est, quod Pufendorfius narrat in Rebus gestis Friderici Wilhelmi Magni, lib. XIX. §. 54. ad A. 1687. *Legatus Moscoviticus importune circa ceremonias tricabatur, quod præter omnem morem, dextram suam Electoris dextræ jungere vellet. Et quia Elector tunc graviter Potsdami decumbebat, nec tanti videretur, Moschum tamdiu detinere, quoad is e morbo se recreasset, proponebatur, ut Elector, in lecto decumbens, ipsum audiret. Quod Moscus non alia conditione admittere volebat, quam ut & sibi lectus juxta sterneretur; in quo ipse mitratus & ocreatus jacens mandata expositurus sit. Solvit tamen hunc nodum, vindice dignum, remittens Electoris morbus, ut plus satis scrupulosum hominem audire posset.* Plura id genus addi possent, sed non valde pertinent ad titulum Imperatoris. Ad novum tamen Regum Europæ, quodque difficilimum erit, Cæsaris Augusti & Polonorum consensum impetrandum, quæ non prosunt singula, juncta juvant.

§. XI.

Majestatis titulum omnibus Regibus deberi, nemo facile negaverit, qui didicit, supremam potestatem & dignitatem eo vocabulo exprimi solere. *Amplitudinem ac dignitatem civitatis* Cicero: *regimen in omnia civitatis* Tacitus appellavit. Compellatio ista, primum Reip. Romanæ quasi propria fuit; postea ad Imperatores transiit; deinde Regibus ac Principibus, Pontifici Romano, Archiepiscopis & Episcopis, rarius tamen ante sæculum undecimum, tributa, auctore Mabillone lib. 11. de Re diplom. c. 7. §. 6. Recepta autem Germaniæ consuetudine, non nisi inferior superiorem Majestatis appellatione coluit; unde Imperator Romano-Germanicus, ad exteros Reges ipse scribens, non nisi *regiæ dignitatis*, & *Vestræ dilectionis* titulo eos ornare suetus; in fœderum autem & pacis tabulis, per Legatos sancitis, ægre quidem, sed tamen Ludovico XIII. & XIV. id honoris.

noris concessit. Vid. Instr. Pac. art. 1. & Recueil des traites de paix tom. III. p. 304. 317. At Leopoldi tempore, non sine fervore, a Petri Alexii legatis, postulatum fuit, ut idem elogium, Principi suo in curia Viennensi conferretur. Et sane Præpotentes Belgii fœderati Ordines, in epistola a. d. 16. Jun. 1663. *Czaream Majestatem*, cum *præpotentissimi* titulo, Mosco adscripserunt. Eundem honorem ei exhibuit Elector Brandenburgicus in litteris A. 1686. a. d. 22. Febr. apud Lundorp tom. II. c. 128. pag. 506. & ipse Imperatoris Orator, Baro de Blumberg, Czares fratres ita salutavit, A. 1683. a. d. 28. Maji, apud eundem Lundorp. tom. eod. c. 151. pag. 553. Novissime Anna, Magnæ Britanniæ Regina, in litteris A. 1709. Windsorii datis, Czarem *Vôtre Majesté Imperiale* compellavit: ejusque Legatus extraordinarius, Carolus Whitwortius, elegantem suam orationem sic exorsus: *Tres-haut* & *tres-Puissant Empereur*, & quæ sequuntur. Vide Mercure Historique & Politique A. 1710. p. 375. 378. Polonorum vero Rex non nisi *Serenitatis* vocabulo usus, A. 1688. apud Lunig. tom. 2. negot. publ. pag. 355. & quibus rationibus, gloriosæ memoriæ Leopoldus Augustus, Majestatis titulum negarit, juvabit ex litteris ejus Recredentialibus A. 1685. die 5. Maji, Russorum Ministro exhibitis, intellexisse, quas integras exhibet Cl. Pfeffingerus ad Vitriar. lib. 1. tit. 5. Verba huc pertinentia sunt, quæ sequuntur: *Ut autem* Majestatis, *titulus, Serenitatibus vestris, etiam per litteras nostras Cæsareas adscribatur, adeo extra Nostram est potestatem, tantique in Imperio Romano momenti, ut sine ejus Electorum, Principum & Statuum offensione nec minui, nec a Romano Imperatore cum Regibus communicari queat: utpote unico Imperiali fastigio, ad quod Nos soli in orbe Christiano per divinam Clementiam evecti sumus, ab omnibus mundi rectoribus, tot ab hinc sæculis, sine vicissitudine, summa semper cum veneratione debitus ac attributus* &c. *Deinde quoque ex Latinis litterarum ad Nos, a Serenitatibus Vestris datarum ac Plenipo-*

tentiæ translationibus, animadvertimus, translatorem linguæ, seu Rutenæ, seu Latinæ, non satis gnarum, Imperatoris *compellationem, ob jam enarratas easdem, quæ Majestatis titulum, reliquis mundi universi Potentatibus & Regibus communicare prohibent, rationes, nulli in orbe Christiano, nisi unico & soli Romanorum Imperatori debitum, Serenitatibus Vestris attribuisse; verbisque* Imperialis *ac* Imperii, *consueto more, hinc inde usum. Quod quidem etiam, citra Serenitatum vestrarum præscitum accidisse, nulli dubitamus. Attamen cum nec nobis desint, qui linguam Ruthenicam in Latinam aut Germanicam vertant, haud prætereundum duximus, satius in posterum, expeditiusque fore, cum Serenitates Vestræ litteras suas ad Nos in lingua sua Ruthenica, sine translatione transmiserint, ne, quod itidem gravissime ferremus, ejusmodi translationes, ad evitandam præjudicii sequelam alioquin remittere necesse foret.*

§. XII.

Satis ex his conjicere licet, quid spei in Aula Viennensi reliquum sit: quod si autem, mutata rerum facie, aliquando eveniat, ut Sacra Cæsarea Majestas, Russorum Cæsarem agnoscat, nemo ambiget; illum per excellentiam Imperatorem, Cæsarem, Augustum mansurum, & reliquis porro Imperatoribus prælatum iri. Fundamenta hujus prærogativæ a priscis Juris publici Doctoribus, in bestiis Danielis, & quarta Monarchia; vel in dominio orbis & continuato Imperio Romano quærebantur; sed his saniores diu repudium misere. Multum profuit superstitio, a Pontificibus Romanis injecta; qui Imperatoris majestatem augendo, suæ inserviebant. Hinc *imperium sacrum*, & Imperator *caput orbis Christiani* dictus, ut dominium Ecclesiasticum universale stabiliretur. Ex hoc capite jus Concilia convocandi, & ducendi exercitum adversus infideles, Imperatori tributum. Sed & multi Europæ Reges, ex Germania trahunt ortum, Burgundiæ, Bohemiæ, Hungariæ atque Daniæ principes regiam dignitatem ab Imperatoribus Germanicis consecuti sunt: nec mirum ergo, si clientes & Vasalli patronum suum co-

coluerunt, nullumque illustrius nomen, immo in rebus humanis unum hoc, plus quam humanum, censuere. Tanta sane illius Imperii fuit reverentia, ut exteri etiam Reges, nullo nexu devincti, ejus dignitatibus & honoribus honestari cuperent, & Clodovæus, Pippinus ac Carolus M. Consulis & Patricii nomine superbi memorentur. Accedebat vasti Imperii potentia, satis metum incutere apta; quia ex tot Electorum, Principum & Statuum potentissimorum viribus componitur. Augustiorem præterea, ceteris Europæ regnis, imperialem dignitatem fecit sacræ unctionis character; & nominis Romani cultus; Petrique beati memoria & sedes, quæ in capite imperii & provincia matrice sita credebatur. Quam in rem notatu digna sunt verba Concilii Romani, habiti sub Agathone, in epistola synodica ad Constantinum Pogonatum, relata act. IV. sextæ syn. A. 680. *Nos autem licet humillimi, summis viribus innitimur, ut Christiani Imperii respublica, in qua beati Petri Apostolorum Principis sedes fundata est, cujus auctoritatem omnes Christianæ nobiscum nationes venerantur, & colunt, per ipsius B. Petri Apostoli reverentiam, omnium gentium sublimior esse monstretur.* Hinc præcessit omnes Reges; etiam Imperatore Græcorum major habitus Romæ, ejusque exemplo apud alios Europæos. Auctor Vitæ Urbani V. apud Baluzium vit. Pap. Aven. pag. 388. *Anno 1369. ad Urbanum Papam Romæ existentem accessit Johannes Palæologus, Imperator Græcorum; fuitque receptus honorifice, ac tractatus per dictum Papam & Cardinales paulo minus, quemadmodum si fuisset Imperator Romanorum.* Ipsi Turcæ Imperatorem Augustum, ex Principibus Jesus nomen profitentibus primarium, & gentium Christianarum defensorem, & administratorem justitiæ appellant, ut Busbequius & Leunclavius testantur. Nec opus est, ut Bartolum ad partes vocemus, qui hæreseos infamia notare non dubitavit eos, qui imperandi jus in omnes populos Imperatori negarent: aut ad Baldum provocemus, cui Augustus, tanquam stella matutina, in medio nebulæ meridiona-

na-

nalis, inter omnes Reges eminere dicitur. Vel sola enim septingentorum annorum possessione, Cæsarum Germanicorum prærogativa clara in luce collocatur; neque id, opinor, agit sapientissimus Russorum monarcha, ut eam diminuat, aut in dubium vocet. Animus ejus excelsus maximarum rerum species appetit, nec lente generositatis indicia promit; at impossibilia sectari, ut Bias ajebat, morbum animi esse, agnoscit, & quanticunque quis se ipsum æstimet, tanti tamen haberi, quanti ab aliis æstimatur. Ejus utique & omnium moratiorum calculo damnatus est Johannis Basilidis fastus, qui *non modo se Imperatoribus parem, sed etiam superiorem videri vellet, nomen suum & titulum semper Imperatorio præponens, sive loqueretur, sive scriberet*, ait Sigismundus comm. rer. Moscov. pag. 13. Imagini ejus A. 1551. pictæ, versus sequentes inscripti leguntur apud eundem:

Russorum Rex & Dominus sum, jure paterni
Sanguinis: Imperii titulos a nemine, quavis
Mercatus prece vel pretio: nec legibus ullis
Subditus alterius, sed Christo credulus uni,
Emendicatos aliis aspernor honores.

§. XIII.


Coronidis loco, una *Semper Augusti* nota, Imperatori Romano Germanico vindicanda erit, quam Reges, quotquot intra vel extra Europam, Imperatoris titulum affectarunt, & usu obtinuerunt, necdum suam fecere. Idem enim adhuc obtinet, quod suo tempore Orosius scribebat lib. VI. c. 20. *Hoc nomen cunctis antea inviolatum, & usque ad nunc ceteris inausum dominis, tantum orbis licite usurpatum apicem declarat Imperii.* Uni quippe Imperatori Romanorum, præcipui indicio, hoc nomen deberi visum fuit, quo aliud non est sanctius, excelsius aut veneratione majus. Nec alia appellatione magis commoda, a dominatoribus barbaris distingui poterat Principum Christianorum sacratissimus, idemque augusta dignitate summus, & maximus Imperator. Cohæret etiam illa

illa firmiter imperio Romano; cui per Octavium eſt acquiſita, & ad omnes ejus ſucceſſores, valido & ſempiterno jure, propagata. Tiberius, Cajus, Claudius, Severus & Caracalla, vix ſemel & iterum, in nummis *Imperatoris* titulum admiſere, rariſſime in Conſtantinopolitanorum nummis conſpicitur; ſed *Auguſti* cognomen omnibus placuit; quo jamtum, dum colebant terras, conſecrati, & quaſi Deorum numero adſcripti, ſupra communem naturam æſtimabantur. *Semper Auguſti* nomen paulo recentioris uſus eſt, nec ultra Diocletiani ævum; cui tamen aſſentatores, inter alias voces, per quas hi tempore tanto, mentiti dominis, Æternitate & Perpetuitate Auguſtis adſcripta, præluſerunt. Tritum autem eſt, per νφν voces illas copulatas fuiſſe, ut *ſemper-lenitas*, apud Comicum; *ſemper-parens*, apud Naſonem; & alia quæ Schottus collegit lib. 1. nodor. Cic. c. 16. & 17. Præteriit quidem illud tempus, pagana caligine involutum, quo templis & flaminibus Principes culti; nec tamen ideo neceſſe erat, ut Germanico idiomate, eum qui *perpetuo augeret imperium* interpretarentur: quia Chriſtiani Auguſti, noſtra etiam ætate, præ ceteris ſunt venerabiles, auſpicio divini, re ſacrati, exemplo ſanctiſſimi; & tam proprium *Semper Auguſti* nomen habent, quam *Chriſtianiſſimi* Galliæ, & *Catholici* Hiſpaniæ Reges. Unicum quoque hunc eſſe titulum, quo inter cunctas nationes, ſine ambitione, Imperii caput gloriari poſſit, ſingulari diſſertatione Schurtzfleiſchius oſtendit; ipſique Auguſti hoc decus, in tractatibus pacis Weſtphalicæ, fortiter ſibi, contra Gallorum cavillationes, aſſeruerunt. Finiam verbis Auſonii in paneg. ad Gratian. *Nulla eſt quidem contumelia ſecundi, ſed ex duobus gloria magna prælati.*

T A N T U M.



DISSERTATIO QUARTA, DE PERPETUA FEMINARUM TUTELA.



Mnis materia, de Tutelis impuberum, satis diligenter, ex jure Romano & moribus, excussa est & adornata; hodiernus etiam mulierum curator decora Saxonum ingenia exercuit: at feminas viripotentes, & annis viginti quinque majores, in perpetua tutela Romæ vixisse, in vulgus cognitum esse, non puto; certe qui opera professa id ostenderit, nemo adhuc repertus fuit. Ipse Guilielmus Budæus, at quantus vir, in commentariis linguæ Græcæ pagina 50. fluctuans scribebat; *Ut autem Atheniensium jure, sic etiam* fortasse *Romanorum, feminis tutores olim dabantur, sine quorum auctoritate, nihil constituere dotis poterant.* Quapropter operæ pretium esse duxi, si nobile hoc antiquæ Jurisprudentiæ caput sub incudem vocarem; Sexusque infirmioris privilegium, an onus sepultum, ex veterum ruinis restaurarem. Quamvis enim id egerit Tribonianus, ut tutelæ hujus vestigia e Pandectis eliminaret; nonnulla tamen manus ejus evaserunt, quæ Vir summus, Jacobus Cujacius sagaci ingenio investigavit.

gavit. Alii alia subsidia attulerunt, quos suis locis laudabimus. Ingenui enim pudoris plenum videtur, fateri per quos profeceris. Ad me quod attinet, duas res sedulo vitare studui, tum ut ne quid diligentiam meam effugeret; tum etiam ne cum coquo Plautino, diversa jura confunderem; quapropter Græca a Romanis, Romana a patriis distinxi. Si quis morosior antiquitatis patronus, tutelam matronarum Romanarum tantum explicandam fuisse opinetur, ei hoc unum reponam, studiosos in scholis stultissimos fieri, si nihil ex iis, quæ in usu habemus, aut audiunt, aut vident, aut ipsi tentant: hoc enim tantum proficiunt, ut, cum in forum venerint, in alium terrarum orbem se delatos esse putent. Igitur capite primo jus Romanum, altero jus Germanicum exponetur.

CAPUT I.

EXPONIT JUS ROMANUM.

§. I. *Tutela juris civilis est, & curatur a Magistratu, usque ad terminum legibus definitum.* II. *Plerique Latores ad annos respexerunt, etiam Romani, minus tamen prudenter.* III. *Feminæ duodennes, aut minus natæ, Romæ nubebant, vel in perpetuam tutelam transibant: hinc mares puberes dicti, illæ viripotentes.* IV. *Tutela mulierum alia ætatis, alia sexus, quæ describitur, &* V. *Ciceronis, Livii, Apuleji, marmorisque antiqui auctoritate probatur.* VI. *Origo ejus ex moribus populi Romani petita.* VII. *Apud Græcos similis tutela fuit, sed diversa tamen.* VIII. *Mores feminarum Romæ corrupti.* IX. *Ulpiani duæ rationes, a sexus imbecillitate & rerum forensium ignorantia petitæ illustrantur.* X. *Tutor muliebris non administravit, sed auctoritatem interposuit. Sine eo feminæ recte solvi potuit, quæ læsa vix restituebatur.* XI. *Tutor assistebat mulieri, si lege ageret, vel judicio, aut quando se obligabat, non si alios sibi.* XII. *Eo auctore feminæ nupserunt, & dotem dixerunt.* XIII. *Sine eo mulieri non licuit condere testamentum,* XIV. *nec manumittere,* XV. *neque hereditatem adire, mancipare, usucapionem pati, tutelamve suscipere.* XVI *Differentiæ*

tiæ muliebris & pupillaris tutelæ. Feminæ habebant tutores & curatores simul. XVII. *Tutores ab ipsis mulieribus electi. Livii & Ciceronis difficilia loca explicantur.* XVIII. *An & quando maritus uxoris tutor fuerit, vel non.* XIX. *Tutela hæc alia legitima, alia Prætoria. Num tutor ex inquisitione datus? an se excusare potuerit?* XX. *Ei permissum tutela se abdicare, vel eam in jure cedere proximo.* XXI. *Ulpianus in fragmentis infeliciter a Cujacio correctus.* XXII. *Lex Claudia cessitiam tutelam sustulit, & quare. L. 3. C. de Leg. tut. & l. 2. C. Th. de Tut. creand. explicantur.* XXIII. *Soluta tutela muliebris omni capitis diminutione, ut arrogatione, & conventione in manum.* XXIV. *tum jure trium vel quatuor liberorum; ex privilegio virgines Vestales, aliæque illustres. Plutarchus reprehensus.* XXV. *Quando & quibus de causis tutela illa desierit inquisitum. Ejus vestigia in Pandectis pauca, in Codice nulla. Senatusconsulti Vellejani necessitas & origo.*

§. I.

OMnis Tutela Juris Civilis est, & mere positivi, sive ejus originem, sive formam spectes; & tamen æquitati naturali convenit, ut lubricum ætatis, aut sexus, certo subsidio fulciatur, quique se ipsos tueri non possunt, aliorum judicio regantur. Parentibus ipsum jus naturæ liberorum educationem injunxit, quemadmodum ex Creatoris sapientissimi intentione, & naturali gignentium stimulo, brutorum que exemplo satis apparet. His vero defunctis, officium succedit Magistratus & Legis, quo defectus ille suppleatur, illisque qui ob judicii imbecillitatem rebus suis superesse non possunt, tutores vel curatores constituantur. Et fuit profecto Legislatoribus semper curæ & cordi tutela infirmorum. Testantur id præter litteras divinas Plato lib. XI. de LL. & Justinianus in Novella sua constitutione 72. Athenis lex jubebat, Archontem curam gerere pupillorum & pupillarum, auctore Demosthene in Macartatum; & Areopagus juventuti præfectos dabat, qui morum rationem haberent, ut insignis locus Isocratis in Areo-

Areopagitica testatur. Romae tutor primum a Praetore, & majore parte tribunorum plebis, post a Consulibus petendus fuit. At M. Antoninus Philosophus creavit hanc in rem novum Praetorem Tutelarem; de cujus officio Ulpianus librum singularem composuit, a Modestino citatum in *l. 6. D. de Excusat. tut.* Severus Imp. quoque Ulpio Rufino scribens, gloriatur, omnibusque liquere desiderat, se maximam rationem habere subveniendis pupillis, & judicio infirmis; cum etiam id ad curam publicam pertineat, in *l. 3. D. Qui pet. tut.* Ætas vero ineundis pactis, aliisque negotiis sine tutore expediendis idonea, mero jure naturali haud est definita; quum in quibusdam citius, in aliis tardius judicium maturescat. At Leges civiles certius eam determinant; varie tamen, prout indolem nationis suae solertem aut hebetiorem deprehendunt. Alii cives suos, donec nuptias celebrarent, alii donec inter viros adscriberentur, tutelae subesse voluerunt. De Solonis, Pittaci & Charondae legibus, videsis Dionys. Halic. *l. II. cap. 27.*

§. II.

Prudentiores taediosam ac lubricam hanc aestimationem ex annis certiorem reddidere. Apud Hebraeos valebat promissio, quam fecisset adolescens, qui annum aetatis tertium decimum, puellae, quae duodecimum implesset. Persae pueritiam ad annum usque decimum & septimum, adolescentiam vero ad vigesimum & septimum impletum porrexere. Indi ab anno decimo octavo pubertatem metiebantur. Apud Romanos lege Laetoria antiquissima, annis quinque & viginti finis aetati minori impositus, unde Plautus in Pseudolo scite eam *quinam vicenariam* vocavit. Noverant equidem Quirites fragile tamdiu consilium esse hominum, multisque captionibus & insidiis expositum, post hoc tempus autem virilem vigorem compleri, vel firmissimae juventutis fieri ingressum, *l. 1. D. de Minor. l. 4. D. de Serv. export. l. 1. C. Th. de His qui ven. aet. impetr.* Sero tamen, & non nisi per partes, maribus auxilium subministrarunt.

 Ad

Ad annum usque decimum quartum completum eos tantummodo tutelæ subjecere; inviti autem adolescentes curatores non accipiebant, nisi quorum apud Prætorem accusata erat petulantia, vel ingenii infra communem sortem hebetudo, unde varii variorum lapsus, cum patrimonii ruina. Profecto si quæ alia ætas, hæc sane rectore indiget, quia humores tum maxime ebullientes, in prava facile deflecti possunt. Nota est Horatiana *Imberbis Juvenis* descriptio: & pulcherrime Isocrates, in orat. prius laudata docet, quam turbulentis affectibus adolescentia jactetur, quantisque cupiditatibus abundet. Vehementi quippe impetu fertur plerumque ætas ista, in promissa facilis, spei plena, diffidere nescia, & liberalitatis famam ubique captans. Hinc Prætor tandem, post causam vulneratam, in integrum restitutionem minoribus ætate lapsis Edicto concessit, & adversus captiones opitulationem: quum longe præstitisset, intacta eorum jura servasse, atque prudentiorum consensum in contrahendis obligationibus requisivisse, donec inconsultus ille juventæ impetus deferbuisse censeretur. Sed masculorum tutelam, de qua nil nobis est propositum, mittamus.

§. III.

Feminarum longe alia fuit conditio. Quanquam enim Leges, propter votorum festinationem, biennio eas citius, quam mares, tutela liberabant, alio tamen modo ipsarum imbecillitati consultum ivere. Scilicet ex Numæ præscripto, puellæ *annos duodecim aut NB. minus natæ* nuptui dabantur, ut mores castos incorruptosque ad sponsum deferrent, auctore Plutarcho in Numa pag. m. 135. Unde Pomponius *minorem annis duodecim nuptam* memorat in l. 4. D. de Ritu nupt. sicut Papinianus *minorem annis* 12 *deductam* in l. 68. D. de Jure dot. Decennem utique munia comparis æquasse, constat ex elegantissima inscriptione apud Fabrettum Cl. VIII. inscript. n. 186.

D. M.

D. M.
VALERIAE. PROCLAE. CONIVGI. DVL.
CISSIMAE. QVAE. VIXIT. ANNIS. XXII.
CON. COIVGE. VIXIT ANNIS. XI. DIEB.
XXX. FECI. COIVGI. BENE. MERENTI
SEXTVS. NERIANVS FELIX.

Nisi chartæ parceremus, ex aliis lapidibus apud Gruterum pag. 751. 752. 813. n. 8. & 815. n. 13. demonstrari posset, frequens & quotidianum Romanis fuisse, feminas duodennes ducere uxores. Hæ igitur nubendo transibant in potestatem mariti, nec tutore sexus egebant: Aliæ viripotentes factæ, in nexu patriæ potestatis manebant, si vero emancipatæ, aut patre orbatæ essent, in tutelam muliebrem, post finitam pupillarem, incidebant, sed per conventionem in manum mariti deinceps illa liberabantur. Illæ vero, quibus viro maturis sponsus non obveniebat, quæve toro per divortium aut mortem rupto, tædis viduatæ erant, muliebri tutelæ perpetuæ subjiciebantur. Hinc puellarum, quæ duodecimum annum impleverunt, tutela non *finiri*, sed tutores pupillares *desinere* dicuntur, in *l.* 13. §. *ult. de Tut. & cur. dat.* Nec Jurisconsultis tantum, sed & aliis Latinis Auctoribus placuit, ut mares quidem *puberes* nuncuparent, eosque *in suam tutelam venire*, & *suæ tutelæ effici*, & *recipere tutelam* dicerent: Feminas autem non sic vocarent, sed *viripotentes* tantum proprio nomine, licet communis utrique sexui pubertas. *l.* 7. §. 1. *l.* 9. §. 1. *D. de Adm. tut. l.* 5 §. 2. *Quib. ex caus. in poss. l.* 51. *D. de Legat. lib.* 3. *l* 13. *de V. S.* Cujus rei non alia ratio dari potest; quam quod mulieres in perpetua erant tutela, atque hoc tantum in nuptiis earum agebatur, an oneri ferundo pares essent. Verrius apud Festum: *Pubes & qui pubem generare potest, is incipit a quatuordecim annis: femina a duodecim viripotens, sive patiens, ut quidam putant.*

§. III.

Sed quia parum accurate hoc verborum discrimen obser-

servavit Tribonianus in *pr. Inst. Quib. mod. tut. fin.* & indistincte pupillos pupillasque, quum puberes esse coeperunt, tutela liberari scribit: dein etiam subjicit, se antiquitatis normam, in feminis bene positam relinquere, ut post duodecim annos completos viripotentes esse credantur: id quod multis cum Rævardo lib. II. Varior. cap. 10. dubium vel obscurum videri possit, si cum antiqui juris monumentis conferatur. Quapropter sciendum est, duplicem olim fuisse mulierum tutelam, aliam *ætatis*, aliam *sexus*. Illa cum maribus sexui sequiori erat communis, in hanc vero per ætatem duodecim annorum, a tutoribus pupillaribus liberatæ, recidebant. De tutela autem ætatis tantum loquitur Imperator, simulque juris antiqui non usum indicat, quia isto ævo tutela sexus non erat in usu, ut infra plenius dicemus. Utriusque meminit Aulus Gellius lib. V. Noct. Att. c. 13. ubi hæc verba recitat Masurii Sabini, ex lib. 3. juris civilis, prout ea emendavit Guil. Ranchinus lib. 1. Var. lect. cap. 4. *In officiis apud majores ita observatum est, primum tutelæ, deinde hospiti, deinde clienti, tum cognato, postea affini. De qua causa feminæ viris potiores sunt habitæ, PUPILLARIQUE tutela MULIEBRIS prælata.* Et Macrobius signanter tutelæ *puerilis* mentionem facit, quia aliam feminarum esse sciebat. Verba ejus ex lib. in Somn. Scip. cap. 6. sunt hæc: *Tutela puerili quasi virile jam robur absolvitur, de qua tamen feminæ, propter votorum festinationem maturius biennio legibus liberantur.* Non *legibus* Julia & Papia, ut Cujacius volebat, sed Responsis prudentum, & Rescriptis Imperatorum in *l. 5. D. Qui test. fac. l. 4. C. eod.* quæ & Leges dicuntur, ut docet Modestinus in *l. 1. D. de Excusat. tut.* Describi potest Tutela sexus, quod sit jus & obligatio mulieris, quæ sui juris est, negotia obligatoria dirigendi, iisdemque valorem consilio & auctoritate sua conciliandi, sive in judicio sive extra judicium expediantur. Aliis forsan Servii definitio tutelæ paululum mutata magis placebit, sed hos sensu suo abundare facile patimur.

mur. Masurius apud Gellium, verbis modo laudatis, ***muliebrem***, Boetius in Topica Cic. eam *perpetuam mulierum tutelam* appellavit.

§. IV.

An usitata Romanis fuerit talis, qualem definivimus, Tutela, prius demonstrari necesse est, quam ad alia veniamus. Tiraquellus ad Plauti Aulularium actus III. sc. 5. ỷ. 14. nos ablegat: at de viris, non de feminis loquitur, nec scæna illa Romæ, sed in Græcia fingebatur. Auctores igitur locupletiores, & in quos non cadit exceptio, dabo. Primas teneat M. Tullius, disertissimus inter Jurisconsultos Orator, & Jurisconsultus inter Oratores eruditissimus, cujus quatuor habemus testimonia in Topicis, pro Flacco, pro Cæcina, & pro Muræna, sed ultimum hoc loco recitasse sufficiat, ex capite ejus orationis XXVII. *Mulieres omnes, propter infirmitatem consilii, majores in tutorum potestate esse voluerunt; Hi*, JCti formularii *invenerunt genera tutorum, quæ potestate mulierum continerentur.* Alterum feret M. Porcius Cato Consul, apud Livium lib. XXXIV. cap. 2. is enim pro lege Oppia, de finiendis matronarum cultibus, retinenda differens gravi oratione, ait: *Majores nostri nullam, ne privatam quidem rem, agere feminas sine auctore voluerunt: in manu esse parentum, fratrum, virorum.* Cui respondens L. Valerius Tribunus plebis cap. 7. ita Quirites alloquitur: *Si legem Oppiam abrogaveritis, non vestri arbitrii erit, si quid ejus vetare volueritis, quod nunc lex vetat. Minus filiæ, uxores, sorores etiam quibusdam in manu erunt. Nunquam salvis suis exuitur servitus muliebris, & ipsæ libertatem, quam viduitas & orbitas facit, detestantur. In vestro arbitrio suum ornatum, quam in legis malunt esse: & vos in manu & tutela non in servitio debetis habere eas: & malle patres vos aut viros, quam dominos dici.* De recentioribus, Antonini Pii, ac fratrum Antonini Philosophi & Veri temporibus, testem addo Apulejum, Oratorem, Philosophum & JCtum doctissimum, in Apologia coram Lol-

liano Avito, Bithyniæ Præside dicta. De Pudentillæ uxoris suæ tutore ibi: *Adest etiam*, inquit, *tutor*, *auctor mulieris*, *vir gravissimus & sanctissimus*, *omni cum honore mihi nominandus*, *Cassius Longinus*. *Quære*, *Maxime*, *cujus emtionis auctor fuerit: quantulo pretio mulier locuples agellum suum præstinarit*. Huc etiam pertinet lapis antiquus apud Gruterum pag. MC. n. 6. quem eo lubentius adferam, quod totus ad sacra nostra pertinet, & Falcidiæ meminit:

L. SEPTIMIO. LIBERALI
VI. VIR. AVG. VICANI. VICI. GERMALI
OB. MERITA. EIVS
QVOD. DECVRION. ET. VICANIS. VICOR. VII.
SING. IN. ANNOS. V. III. IN. PERPET. REDD.
ET. IN. EAM. REM. FVNDOS. OBLIGARI. IVSSIT
QVORVM. PARTEM. VI. LEGIS. FALC. NOM.
DEDVCTAM. AB. TVTORIBVS
SEPTIMIAE. PRISCAE. MATRIS. SVAE
LEPIDIA. SEPTIMIA. POPVLO
CONCESSIT

§. V.

Quod ad originem hujus Tutelæ attinet, in diversa abeunt Antiquitatum Romanarum auctores, quia Cicero & Cato in locis allatis tantum ad *majores* provocant, Plutarchi auctoritate innixi: qui Numam id privilegii Vestalibus largitum ait, ut a tutela essent immunes. Alii ad Romuli & Numæ Pompilii leges Regias ascendunt. Hotmanus, Marcilius & Rittershusius Legibus XII. Tabularum de Tutela hac cautum suspicantur: Schilterus ex moribus Græcorum ad Romanos eam translatam pro certo habet, Exerc. XXXVII. ad D. §. 227. Rectius putem, ad mores & instituta populi Romani, quæ ante LL. XII. Tabularum fuerunt, eam referendam esse: sicut Tacitus XIII. Annal. c. 32. *prisco instituto*, & Suetonius in Tiberio cap. XXXV. *mori majorum* acceptum fert illud jus, ut maritus una cum *propinquis* de capite famaque uxoris adulteræ cognosce-

gnoſceret, & Ulpianus, Prætorianum tutorem *moribus mulieri* dari, ait tit. XI. §. 24. Nec enim in Legum Regiarum aut Decemviralium fragmentis, ullum hujus Tutelæ veſtigium ſupereſt, ut Jacobus Gothofredus in præfatione legibus XII. Tabb. præmiſſa obſervavit: adhæc multa in leges XII. non relata, quæ uſu tamen valuerunt; ut Cicero lib. II. de LL. his verbis ſignificat: *Et ſi quæ forte hodie a me rogabuntur, quæ non ſint in noſtra Republica, nec fuerint, tamen erant fere in more majorum, qui tum ut lex valebat* Confirmat Livius, quando lib. VI. c. 1. præter XII. Tabulas, Regias quoque leges ſeparatim Romæ habitas ſervatasque ſcribit. Pari ratione, qua donationes inter virum & uxorem *majores* prohibuiſſe dicuntur, in oratione Antonini in *l.* 3. *D. de Donat. int. vir.* quas vero *moribus* & *jure veteri* vetitas eſſe, tradit Ulpianus *l.* 1. & *l.* 32. §. 10. *eodem.* Nec tamen prorſus refragabor, ſi quis e lege Regia vetuſta, morem illum per conſequentias, Prudentum interpretatione, elicitum eſſe contendat: quemadmodum alia luxuriæ muliebri coercendæ, vel imperitiæ adjuvandæ, moribus introducta, dein Legibus, Plebiſcitis vel Senatusconſultis confirmata leguntur. Neque enim novum eſt, aliquid jure mixto, id eſt, ſcripto & non ſcripto introductum fuiſſe. Vide Paul. V. *Sent. tit.* 4. §. 6.

§. VI.

Non me fugit, apud Græcos feminas, etiam puberes, auctoritati alienæ ſubfuiſſe, earumque tutores omnibus actibus intervenire oportuiſſe. In univerſum de Græcis teſtem laudo Ciceronem, in oratione, qua L. Flaccum, adverſus Decianum, qui in Apolondienſium civitate, a ſocru Amyntæ, prædia falſo tutore Polycrate emerat, defendit. Verba ejus cap. 30. ſunt iſta: *Nam emtiones, falſas prædiorum præſcriptiones, cum mulieribus aperta circumſcriptione feciſti: tutor his rebus Græcorum legibus adhibendus fuit.* Proſtat apud Demoſthenem, oratione adverſus Neæram, Lex Attica, qua κύριος τῆς γυναικός, tutor mulieris, ſoluto per divortium matri-

trimonio, repetitionem dotis, & actionem pro alimentis, coram Archonte, instituere potest: *Si uxorem dimiserit, dotem reddito, ni reddat in novem obolos menstruos fœnus pendito, adversus eam in Odeo, de victu uxoris, illius tutori actio dator.* Nec dotis tantum causa, sed & aliis negotiis obeundis datus fuit; quia Lex prohibebat feminam, pariter ac puerum, sine tutore pacisci, de re, quæ medimni hordei pretium excederet. Ita Harpocration: Παιδι, και γυναικι, ουκ εξην συμβαλλειν πιρα μεδιμνυ κριθων. *Puero & feminæ non licet contrahere supra medimnum hordei.* Id quod ex Isæo, Suida & Aristophanis Scholiaste amplius confirmat Meursius lib. II. Them. Att. cap. 9. & post Salmasium cap. 10. de modo usur. pag. 425. illustrat Schilterus Ex. 37. §. 223. 224. Præterea cum lis intentabatur mulieri, præco clamabat Η᾽ ΔΕΙΝΑ, ΚΑΙ Ο᾽ ΚΥΡΙΟΣ. Id est, *Hæc mulier accusatur cum Domino, cum tutore suo.* Et hac propter Comicus Smicythen perstringens, parumque virilem ostendens, κυριον illi dat:

Χρυσυ δειξεις Σμικυθην, και κυριον.

Certum ergo manet, mulieres jure Attico in perpetua fuisse tutela, sed a qua Romanorum tutela sexus, si ordinem, quo delata, respicias, longe differebat. Ibi tutores fiebant hoc ordine; pater, avus paternus, qui dotem dederat, frater ex eodem patre, liberi qui ex ephebis excessissent; si horum nullus esset, maritus, & hoc deficiente, quemcunque Magistratus idoneum judicabat. Maritus erat ipse uxoris κυριος, non bonorum ejus, sed filii ex priore matrimonio, si nati essent annos viginti. In horum vero, tanquam dominorum, potestate erat vidua mater, ut nec nubere, nec bona alienare, nec vix quicquam posset, sine eorum consensu: id quod Romæ inauditum; Athenis autem obtinuisse, vel ex oratione priore contra Stephanum colligitur, qua Demosthenes contendit, se cum fratre debere esse κυριον της μητρος, & demensum ei admetiri, unde vivat. Hocratis, Isæi & aliorum testimoniis hoc firmavit Meursius *lib. III. Att. lect. cap.* 24. Salmasius *cap. IV. de Modo usurar.*

rar. Ubbo Emmius *in descript. Reip. Athen. tit. leges matrim.* Anton. Matthæus *miscellan. exerc. cap. 7.*

§. VII.

At vero non est cur a Græcis tantum natales hujus tutelæ repetamus, quia & Gallis & Germanis, ut infra videbimus, fuit in usu, & vel sola ratio Romanos ejus necessitatem docere potuit. Patebit hoc, si in causas, quæ legislatores moverunt, diligentius inquiramus. Dio Chrysostomus orat. *περι απιστιας* 75. mulieres Athenis, ait, contrahere non potuisse, ultra modium hordei, *δια το της γνωμης ασθενες propter judicii imbecillitatem.* Eandem dedit Cicero, in verbis supra prolatis: *Propter infirmitatem consilii.* Et Isidorus lib. XI. Orig. in fin. *Ideo feminæ sub viri potestate consistunt, quia levitate animi plerumque decipiuntur. Unde & æquum erat, eas viri auctoritate reprimi. Proinde & veteres voluerunt feminas innuptasque, quamvis perfectæ ætatis essent, propter ipsam animi levitatem, in tutela consistere.* Non equidem maligne cum muliebribus ingeniis egit natura; par illis sæpe vigor, par ad sapientiam facultas. Henricus Cornelius Agrippa, de nobilitate & præcellentia sexus feminei, imperfectiones ejus, ab educationis neglectu, & consuetudine vitæ solitariæ, derivare conatus est. Anonymus Gallus accuratius æqualitatem utriusque sexus naturalem demonstravit. Sed undecunque animi impotentia oriatur, pleræque sane magis, quam viri, affectibus indulgent, magnaque consilii inopia laborant, & ut omnium imperitorum animus, maxime tamen muliebris, in lubrico est. Vere Comicus in Hecyra Act. III. Sc. 1.

Itidem illæ mulieres sunt ferme, ut pueri, levi sententia.

Ad feminas Romanas quod attinet, priscæ quidem, ob tristem & tetricam Sabinorum disciplinam, erant lanificæ, domisedæ, virique magis ac familiæ curandæ, quam rerum gerendarum studiosæ; unde tutorem ipsæ optasse videntur, qui in conventibus virorum, negotia earum expediret; quia ad frequentandos hominum cœtus sese in-

 habiles,

habiles, multisque insidiis obnoxias esse comperiebantur. Euripides Supplicibus: Παντα δι αρσενων γυναιξι πραττειν εικος, αιτινες σοφαι. *Omnia per viros agere decet mulieres, quæ quidem sapiunt.* Posterioribus autem luxuriosis & deperditis, etiam invitis, tutores præponendi fuerunt, ne furiosum libidine, gula & conviviis patrimonii sui exitum facerent. Seneca in mores illarum suo ævo corruptos invehitur vehementer, cum alibi, tum inprimis epist. 95. *Maximus ille Medicorum, & hujus scientiæ conditor, feminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atqui hæ jam & capillis destituuntur, & pedibus ægræ sunt. Non mutata feminarum natura, sed vita est. nam cum virorum licentiam æquaverint, corporum quoque virilium vitia æquaverunt. Non minus pervigilant, non minus potant, & oleo & mero viros provocant: æque invitis ingesta visceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur: æque nivem rodunt, solatium stomachi æstuantis.* & quæ sequuntur. Sed elegantissimus, & quam maxime ad rem præsentem faciens, est locus Ulpiani in fragmentis *tit. IX. Tutores constituuntur tam masculis, quam feminis. Sed masculis quidem impuberibus duntaxat, propter ætatis infirmitatem: feminis autem tam impuberibus, quam puberibus, & propter sexus infirmitatem, & propter forensium rerum ignorantiam.* Duplicem, ecce, adfert rationem, alteram a sexus imbecillitate, alteram ab ignorantia rerum forensium depromtam. Utraque effecit, ut in multis juris articulis, qui juris privati & domestici sunt, deterior habeatur feminarum conditio, quam masculorum *l. 9. D. de Statu hom.* nec alia etiam causa est, cur sequior sexus, apud plerasque gentes, tam speciosis jurium beneficiis munitus est: de quibus Carpzovii, Benckendorfii, Pruckmanni & Wibelii libri singulares adeantur.

§. VIII.

Juvabit tamen utramque rationem paucis adhuc illustrasse. Varii siquidem sunt casus, quibus læditur luditurque impensissime mulierum genus, *propter sexus infirmitatem*, ut dici-

dicitur in l. 9. pr. de Juris & fact. ign. Hinc Senatusconsultum Vellejanum opem tulit mulieribus, *propter sexus imbecillitatem, multis hujuscemodi casibus suppositis atque objectis,* ait Ulpianus in l. 2. §. 2. D. ad SCt. Vellej. Aristoteles lib. 1. Polit. c. ult. *Femina*, inquit, *habet quidem consultandi facultatem, sed irritam & imbecillem.* Quintilianus declamat. 338. *Per se imbecilla res est femina.* Nec alia ratione *Sexum natura invalidum* vocat Tacitus lib. V. & *imbecillum feminarum animum* definit lib. VI. Annal. cap. 49. *Infirmitatem & fragilitatis conditionem* iis adscribit Arnob. lib. VII. Varium præterea & mutabile semper femina, Virgilio audit l. IV. Æneid. ỷ. 569. Ter eas in hora mutari, docet Baldus *in l. quoties.* versu *dic quæ mulier C. de suis & legit. hered.* & blanditiis eas facile commoveri, late deducit Tiraquell. de *LL. Connub. lib.* 1. *n.* 71. Hæc itaque ratio est, cur feminæ sine tutore esse non *possint*; alia est, ne *debeant*, propter forensium rerum ignorantiam. Plato in sua Republica non tam mulieres, quam vetulas, ad causas agendas admisit *Lib. XI. de Leg* Et Romæ olim quoque, ante C. Afraniam, improbissimam feminam, postulandi potestas feminis fuit, postea non item, docente Ulpiano *l.* 1. *§.* 6. *de Postul.* Quintilianus decl. 6. ad feminas: *non militaris vos, non forensis ratio deducit. Atioqui semper estis intra domum, uno plurimum in loco, levibus officiis affixæ.* Plane Judices dari haud potuere, non quia non habeant judicium, sed quia receptum est, ut civilibus negotiis non fungantur *l.* 12. §. 2. *in f. D. de Judic.* Similiter in *l. ult. C. de Recept. arb.* feminæ in se arbitrium suscipere vetantur; *suæ pudicitiæ memores & operum, quæ eis natura permisit, & a quibus eas jussit abstinere, & ab omni judiciali agmine separat.* In universum huc pertinet, quod Cato apud Livium lib. XXXIV. cap. 2. feminas *impotens natura & indomitum animal* appellat. Nec mitius Seneca *impudens animal, & nisi scientia accessit, ac multa eruditio, ferum, cupiditatum incontinens*, in libro de const. sap. cap. 14.

§. IX.

§. IX.

His igitur rationibus omnes mulieres, quæ nec in parentum, nec in maritorum manu, perpetuæ tutelæ subjectæ fuerunt. Nunc age, ut intentius institutum nostrum persequamur, tutelam pupillarem cum nostra conferamus, sic enim brevi conspectu natura tutelæ nostræ apparebit. *Facilius latent, quæ non comparantur*, scite ait Seneca III. controv. 5. Hoc pacto etiam plus quam manifestum fiet, neque tutoris officium, neque curatoris nomen, nostro tutori, ex regulis artis, aut dari posse, aut convenire, quod jam olim Zasius *lib.* 2. *Resp.* 17. animadvertit. Differunt autem hi tutores non uno modo, sed maxime si potestatem intueamur. *Non, quod mulieri, idem pupillo*, hac propter recte scripsit Quintilianus lib. V. Inst. Orat. cap. 10. ad Ciceronis locum mox proferendum alludens. Pupillorum pupillarumque tutores & negotia gerebant, & auctoritatem interponebant, & quantum ad providentiam pupillarem attinet, domini loco habebantur, *l.* 27. *D. de Adm. tut. l.* 7. §. 3. *Pro emt.* Mulierum autem tutores negotia non administrabant, sed auctoritatem duntaxat interponebant, auctore Ulpiano *tit. XI.* §. 23. Mulier etenim adulta, licet judicium infirmum, judicium tamen habet, ut antea diximus. Pupillus vero non modo infirmo animi judicio est, sed nullo §. 1. *Inst. quib. non est perm.* nihil scire posse intelligitur, *l.* 10. *D. de Juris & fact. ign.* Quid? quod melius, quam mares puberes, rem familiarem callent feminæ; sunt tenaces, & ad rem attentæ, unde biennio citius quam mares, *a duodecim annis*, postquam viripotentes esse cœpere, *ad negotia mittebantur*, ut scribit Tertullianus de veland. virgin. cap. 12. vel ut idem lib. de anima ait: *rebus gerendis attemperabantur*. Ipsæ, non earum tutores *gerebant*, ait Scævola *l.* 26. *de Tut. & cur. dat.* Hinc est, quod pupillo si debitor solvat, ut liberetur, necessaria est tutoris auctoritas, sine qua nec velle, nec nolle in ea ætate creditur *l.* 15. *l.* 22. *D. de solut.* At mulieri adultæ recte

solvi

ſolvi poterat, quia nihil amittit, ſed acquirit, vel ſaltem ſuum recipit, qua parte potiſſimum ſolutio ſpectatur. Teſtis Cicero in Topicis cap. XI. *Non, quemadmodum,* inquit, *quod mulieri debeas recte ipſi mulieri ſine tutore ſolvas, ita quod pupillæ aut pupillo debeas, recte poſſis eodem modo ſolvere.* Quæ verba Severinus Boetius egregie illuſtrat, & ſimul indolem hujus tutelæ exponit. Locus non indignus, quem integrum hic adferamus. Verba Boetii: *Mulieres antiquitus perpetua tutela tenebantur: pupilli item ſub tutoribus agunt; ſed mulieribus, ſi quid debitum fuiſſet, ſine tutoris auctoritate poterat ſolvi, pupillis vero minime. Ergo ſi quæratur, an id quod debeatur pupillo cuilibet, renuente tutore poſſit exſolvi,* a differentia *ſumitur argumentum ſic: non ſicut mulieri ſine tutoris auctoritate debitum poſſis exſolvere, eodem modo, niſi tutoris auctoritas acceſſerit, pupillo ſolvere, quod debeas, poſſis. Illæ enim* perpetua tutela, *etiam provecta jam ætate continentur: illorum tutelæ, certus annorum numerus terminum facit: atque idcirco ſolvi pupillo ſine tutoris auctoritate non poterit. Differt enim perſona mulierum a perſona pupillorum, vel in eo, quod pupilli non perpetua reguntur tutela: mulieres vero perpetua. vel quod pupillus nullum ſuæ etiam miniſtrandæ utilitatis judicium habere poteſt: cum ſit aliquis mulieribus, etſi non firmus, in explicanda familiari re intellectus.* Quid ſi læſa ſit mulier majorennis auctore tutore contrahens, an in integrum reſtituetur? Id quidem ratio Edicti in *l.* 1. *D. de Minoribus* allata ſuadere videtur, præſertim quia idem Ulpianus eam ad mulieres applicat *l.* 2. §. 2. *ad SCt. Vellej.* & alii omnes, qui Curatores habent, eo beneficio fruuntur *l.* 8. §. 1. *l.* 11. *D. de Rebus eor. qui ſub tut.* Sed quia feminæ, perinde ac mares, uſu rationis gaudent, ac res proprias poſſident, ſine lege loqui erubeſcimus; quæ tutorum regimine ſexui ſatis conſultum eſſe, cenſuiſſe videtur, uti infra cap. II. §. 8. dicemus.

§. X.

Si quæras, ad quæ negotia igitur feminis auctoritate tutoris opus fuerit, non diu cunctabor, ſed præeuntem lau-

Dd da-

dabo Ulpianum dicto titulo XI. §. 25. *Tutoris auctoritas necessaria est mulieribus quidem in his rebus, si lege aut legitimo judicio agant, si se obligent, si civile negotium gerant, si libertæ suæ permittant in contubernio alieni servi morari, si rem mancipi alienent. Pupillis autem hoc amplius, in rerum nec mancipi alienatione, tutoris auctoritate opus est.* Primum, ait, tutoris auctoritatem interponi debere, si mulier *lege vel legitimo judicio* agat. Latius patet lege agere, quam legitimo judicio agere, quia sine judicio lege agi potest, cum adoptiones, manumissiones, aliæque id genus solennitates imperio Magistratus fiunt. Unde in famosa *l. Barbarius* 3. *D. de Off. Præt.* scriptum est: *apud eum egerunt vel lege, vel quo alio jure.* Legis enim actiones erant solennes actiones ex XII. Tabulis aliisque legibus descendentes, de quibus peculiari capite Brissonius *lib. IV. select. antiquit. cap.* 20. Judicium autem legitimum dicitur, quod vetere & antiqua lege introductum receptumque est, cujusque formula a Prætore secundum leges impetratur: veluti de pastu pecoris, de pauperie, damni injuria, &c. *Legitimas actiones* Pomponius in *l.* 2. §. 6. *de O. J. Judicia prodita* Papinianus appellavit in *l.* 1. *D. de Præscr. verb.* Hæc autem discrimina, postquam extraordinaria judicia facta, sublata quoque sunt, & res judiciaria eo redacta, ut possimus cum Paulo dicere, in extraordinariis judiciis, ubi conceptio formularum non observatur, subtilitas supervacua est. Interim mulier non temere judicium suscipere debebat, sed tutore auctore, propter forensium rerum ignorantiam, & sexus levitatem, & stolæ matronalis decus. Deinde tutor adhibendus mulieri, *si se obliget.* Lex Lætoria vetabat minorem annis XXV. stipulari, ἐπερωτᾶσθαι, passive, id est, spondendo se obligare, quemadmodum Priscianus lib. VIII. Suetonium interpretatur. Hæc vero tam feminas, quam mares, complexa videtur, quia utriusque sexus legitima ætas est & mansit 25. annorum. Sed hoc amplius mulier annos Lætoriæ legis egressa, sine tutore moribus Romanis sese firmiter obligare & conditio-

nem

nem suam deteriorem reddere non potuit; ob sexus infirmitatem. Cicero pro Cæcina cap. 25. *Quod mulier sine tutore auctore promiserit, deberi, non est aditus ad hujusmodi res* asserendas, *neque potentiæ cujusquam, neque gratiæ.* Sed contra, feminam minorem 25. annis absente tutore sibi stipulari, suamque conditionem meliorem facere posse & potuisse, non ambigitur *l. 7. C. de contr. stipul.*

§. XI.

Porro tutoris auctoritas necessaria mulieribus, *si civile negotium gerant*, pergit Ulpianus. Alia nimirum negotia juris civilis sunt, alia juris gentium *l.* 17. §. 1. *D. de Pœnis. l.* 15. *D. de Interdict.* In illis tutor adhibendus jure ordinario, sicut ad omnia, quæ solennitatem juris desiderant *l.* 19. *de Auct. tut. l. ult. C. de In lit. dand. tut.* quia jus legitimum tutorem, non curatorem novit. Ad civilia autem negotia pertinebat, nuptias contrahere, dotem dicere, testamentum facere, manumittere, hereditatem adire, rem mancipi alienare, & tutelam liberorum gerere: de singulis singulatim. Tribus olim modis nuptiæ contrahebantur, confarreatione, coemtione & usu: nullo autem sine tutoris auctoritate in manum viri conveniebat uxor. Ulpian. *tit. XI.* §. 22. & Cicero pro Flacco, de Valeria Andronis Sextilii uxore: *In manu*, inquit, *convenerat. Nunc audio: Sed quæro utrum usu, an coemtione? Usu non potuit. Nihil enim potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate diminui. Coemtione? Omnibus ergo auctoribus: in quibus certe Flaccum fuisse, non dices.* Nuptiæ autem, ut rectius curarentur, Lege Julia de maritandis ordinibus cautum, ut ad dotem dandam, dicendam, promittendam, si legitimum tutorem non habeat, a Prætore urbano in Urbe, a Præside in provinciis tutor constitueretur. Ulpianus *tit. XI.* §. 20. Eoque pertinet Terentii Clementis *l.* 61. *D. de Jure dot.* ut inscriptio docet. Cicero pro Flacco cap. 35. *Doti*, inquit, *Valeria pecuniam omnem suam dixerat. Nihil istorum explicari potest, nisi ostenderis, illam in tutela Flacci non fuisse. Si fuit,*

quacunque sine hoc auctore est dicta dos, nulla est. Idem pro Cæcina cap. 25. de Fidiculanio Falcula: *Iste vester testis, qui ausus est dicere, fecisse videri eum, de quo ne cujus rei argueretur quidem scire potuisset, ipse nunquam auderet judicare, deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixisset:* Ait *dixisset:* Lex enim dotis dictionem, promissionem, dationem, discrevit: quia dicere dotem, est absque stipulatione promittere, solennibus verbis, sine interrogatione: si quis autem promittebat, stipulationem ut adjungeret erat necesse. Dicendo tres tantum personæ, mulier ipsa nuptura, vel ejus jussu debitor, vel parens virilis sexus, velut pater & avus paternus; at promittendo omnes obligabantur, Cajus *lib.* 2. *Inst. t.* 9. §. 3. Ulpian. *tit. VI.* §. 2. *l.* 41. *D. de Jure dot.* Dari autem dos dicebatur præsens, cum pridie nuptiarum, vel circiter, consignata apud auspices deponebatur, in crastinum nuptiarum viro tradenda: quemadmodum in Messalinæ cum Silio nuptiis factum, Tacitus & Suetonius memoriæ prodidere.

§. XII.

Testamenti factionem mulieres antiquitus; cum in comitiis vel in procinctu testamenta fierent, non habuisse constat; eas etiam quæ per farreationem, vel per æs ac libram in viri potestatem venissent, testari non potuisse, æque certum est: loco enim filiarumfamilias erant, earumque bona omnia mariti fiebant: At iis, quæ sui juris erant, testamentum, & Ciceronis & Ulpiani ætate condere licuit, modo tutoris auctoritatem adhiberent. Actus enim testandi *causa subtilissima* est l. 28. C. de Testament. si libra, asses, mancipationes, aurium adtrectationes, testes, signa, tabulæ & cetera actu continuo adhibenda considerentur. Adde fraudes & falsa, quibus reprimendis lex Cornelia ferri debuit, quam testamentariam vocat Cicero *Verr. I. cap.* 42. & Paulus *lib. V. sent. tit.* 25. his vero odorandis sola mulier non satis erat versuta. Ideo Ulpian. tit. XX. §. 15. *Feminæ post duodecimum annum ætatis testamenta facere possunt, tutore*

tutore auctore, donec in tutela sunt. De suo tempore testatur Cicero pro Cæcina cap. VI. sed maxime in Topicis cap. IV. *Si ea mulier testamentum fecit, quæ se capite nunquam diminuit, non videtur ex edicto Prætoris, secundum eas tabulas possessio dari.* Quidam ex his verbis colligunt, eam mulierem tantum, quæ convenit in manum, testari potuisse; rectius Boetius ea explicat de muliere, quæ testamentum fecit, sine tutoris auctoritate: hanc etenim necessariam fuisse Livius docet lib. XXXIX. c. 9. ubi meminit cujusdam Hispalæ Feceniæ, meretriculæ & libertinæ mulieris, testamentum facientis Romæ, *tutore a Tribunis & Prætore petito*, & amatorem suum Æbutium heredem instituentis.

§. XIII.

Sequitur manumissio, quam in censum negotiorum civilium referendam esse, vindicta, colaphi, rapismata, circumactiones, & verba solennia satis evincunt, a Constantio demum sublata. Lege Ælia Sentia ne minor quidem, licet testamentum facere, & heredem instituere, & legata relinquere posset, libertatem servis conferre poterat; ne horum fraudulentis adulationibus ac dolosis artibus circumscriberetur. Iisdem insidiis mulieres earumque facultates, Romæ in mancipiis magnam partem consistentes, expositæ erant, unde Ulpianus tit. 1. §. 17. *Mulier*, ait, *quæ in tutela est, item pupillus & pupilla manumittere non possunt.* Cum quo convenit fragmentum lacerum quidem, sed pulcherrimum, a Claudio Puteano Senatore Parisiensi erutum, & Collationi Mosaicarum & Romanarum legum a Pithæo subjectum, cujus verba ex §. 15. subjiciam eo lubentius, ut patescat, auctoritatem horum tutorum, pariter ac pupillarium, confestim in ipso negotio interponi debuisse: *Mulier sine tutoris auctoritate* (manumittere non potest) *nisi jus liberorum habeat, tunc enim & vindicta sine tutore manumittere potest. Unde si mulier absens liberum esse jusserit, quæ jus liberorum non habet, quæsitum est, si tutores ejus auctoritatem accommodent eo tempore, quo epistula scribitur servo a domina,*

Pupillis autem hoc amplius etiam in rerum nec mancipi alienatione tutoris auctoritate opus est. Id eſt, in veſtibus, metallis, gemmis, aliiſque quæ pondere, numero & menſura conſtant, de quibus Ampliſſimus Vir, Cornelius van Binckershoek *de rebus mancipi c.* 5. Ad alienationem & *Uſucapio* pertinet: vix eſt enim, ut non videatur alienare, qui patitur uſucapi, inſit Paulus *l.* 28. *D. de V. S.* Jam autem uti res pupilli immobilis uſucapi non poteſt, *l.* 48. *D. de A. R. D.* quod Cicero etiam novit, qui in I. ad Attic. epiſt. 5. ait: *De tutela legitima, in qua pupilla ſit, nihil uſucapi poſſe.* Sic idem in Oratione pro Flacco teſtatur, nihil poſſe de tutela mulierum legitima ſine omnium tutorum auctoritate deminui, atque adeo Valeriam ipſam uſu uxorem fieri, ſive uſucapi matrimonii cauſa non potuiſſe, ſine Flacci auctoritate, qui unus erat ex tutoribus mulieris. An & *Donatio* huc pertineat, minime ambigendum: eſt enim alienatio, &, ut ceteri actus inter vivos, mancipationis ſolennitatem requirebat. At parum uſitatas fuiſſe olim donationes apud Romanos, etiam in perſonas conjunctas, oſtendit Polybius in *Excerpt. Peireſc. pag.* 154. ne dicam mulierum genus avarum eſſe *l.* 4. §. 1. *D. ad SCt. Vellej.* adeo ut miraculi loco habeatur, cum mulier donet, *arg. l.* 33. §. 1. *D. de Donat. int. vir.* ait Maſcard. *de Probat. c.* 10. *n.* 29. Quæ forſan ratio eſt, cur Juriſconſulti de donatione nihil memoriæ prodiderunt. Illud denique manifeſtum eſt, mulieribus, ſi *Tutelam* filiorum a Principe impetrarunt, tutoris auctoritate fuiſſe opus *l. fin. D. de Tutel.* quia tutela *civile munus* vocatur in *l.* 6. §. 15. *D. de Exc. tut.*

§. XV.

Quibus in negotiis mulieri tutoris auctoritas neceſſaria ſit, vel non ſit, vidimus hactenus, ex quibus ſimul, quatenus muliebris hæc tutela cum pupillari conveniat, vel ab ea diſtet, apparet: Sic quod ad poteſtatem attinet, eas differre diximus §. 9. quoad res item quarum alienationi auctoritas accedere debet. §. 14. At aliæ adhuc ſuperſunt differentiæ, ſicco pede

pede hic minime prætereundæ. Ac primum quidem Regula Juris antiqui est; una, tutorem habenti tutorem non dari: & altera; certæ rei vel causæ tutorem pupillarem non dari. *l.* 27. *D. de Testam. tut.* neque enim lex, quæ tutelam stabilivit, ejusmodi casibus extraordinariis eam accommodaverat, neque a Jurisconsultis eo ab initio produci poterat; quod tamen deinde factum esse, primus egregie ostendit Vir Excellentissimus Gerh. Noodt lib. 1. Probabil. cap. 2. Dudum vero, & inde ab Augusti ævo, ex lege Julia & Papia de maritandis ordinibus, secutisque Senatusconsultis mulieri, cum tutore suo agere volenti, etiam ad dotem constituendam, & hereditatem adeundam tutor dabatur, auctore Ulpiano *tit. XI.* §. 20. 22. & 24. Quæ species sub titulo Codicis, In quibus causis tutorem habenti tutor dari potuit, non reperiuntur. Hinc & aliud discrimen emergit: Pupilli omnes sub tutela testamentaria, vel legitima, vel dativa erant constituti: Mulieres autem viripotentes innuptæ auxilio curatorum, ad annum 25. saltem post D. Marci constitutionem, res suas administrasse videntur, nec tutores sibi elegisse, nisi aliorum interesset, actusque inter vivos vel mortis causa talis celebrandus, ad quem tutoris auctoritate esset opus; tum vero, sicut impuberi, etiam invitæ puberi, tutor ex juris ratione petendus. Argumento est Hispala Fecenia, quæ post patroni mortem, *quia in nullius manu erat*, demum *cum testamentum faceret* tutorem a Tribunis & Prætore petiit, auctore Livio Lib. XXXIX. c. 9. Atque inde est, quod Jurisconsulti & Impp. tot locis Curatoris mulierum meminere, in *l.* 36. *l.* 37. *l.* 66. §. 1. *l.* 67. §. 2. 3. 4. *D. de Ritu nupt.* *l.* 5. § 12. *D. de Jure dot.* *l.* 7. *D. ad L. Jul. de Adult.* Paul. *lib. II. sent. tit.* 19. §. 9. *l.* 3. *l.* 7. & *ult. C. de Interdict. matr.* In quibus aliisque textibus Jac. Rævardus lib. II. Varior. c. 10. ex Prudentium intentione & sententia, vocem *tutores* reponendam existimat, quam Tribonianus in *curatores* mutarit, ex sæculi sui usu: at huic plus una ratione satisfecit Vir Clarissimus An-

Antonius Schultingius *ad d. l. Paul.* qui tamen cum Vertranio Mauro de jure liber. cap. 31. in *l.* 60. & *l.* 61. *D. de Jure dot.* & *l.* 7. *de Tut. & cur. dot.* hujusmodi emblemata agnoscit. Ceterum ad hos curatores Cujacius lib. XXVI. Obs. c. 7. retulit *l.* 8. *D. de Adopt.* sed non satis feliciter! Nec enim de feminis loquitur Modestinus, sed laudat D. Claudium, quod curatoris auctoritatem jussit intercedere in arrogatione adolescentum, quæ antea necessario non requirebatur. Illustris Noodtius *comm. ad ff. pag.* 48. quomodo lucem faceret huic loco, ad liquidum deducere se necdum potuisse, ait. Vide Acta eruditorum Lips. anni 1717. mens. Maji pag. 197.

§. XVI.

Pergo ad aliam differentiam, notatu haud minus dignam. In pupillorum arbitrio non erat, quem sibi tutorem vellent; & inutiliter his daretur tutoris optio, quorum nullum judicium est: at lege speciali omnibus feminis, vel matrifamilias testamento viri optio tutoris dari potuit, ut ipsa sibi tutorem eligeret, quem vellet. Auctor est Livius lib. XXXIX. cap. 19. ubi de Hispalæ præmio, ob indicata Bacchanalia, SCtum factum esse refert, ut Tribuni ad plebem ferrent: *Uti Feceniæ Hispalæ datio, diminutio, gentis enuptio, tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset.* Locus insignis est, sed in cujus interpretatione multis, inprimis autem Gutherio lib. II. de Jure Pontif. c. 7. aqua hæsit. Tentavit eum Alciatus lib. IX. parerg. c. 19. sed feliciore successu Turnebus lib. XXX. Advers. c. 25. Hotmanus lib. III. Obs. c. 16. Cujacius lib. VII. Obs. cap. 11. & Livii sospitator Joh. Fred. Gronovius in notis, veros ejus sensus eruerunt. Nos quæ huc pertinent tantum persequemur. Constat Legem XII. Tabularum fuisse, *Paterfamilias uti legassit super pecunia tutelave sua, ita jus esto*; eamque a Jurisconsultis ita extensam, ut latissima potestas & heredis instituendi, & legata relinquendi, & tutelas constituendi tributa videatur: ait Pomp. *l.* 120. *D. de V. S.*

Facili negotio igitur eadem, in fori disputatione, a liberis ad uxorem est translata: sic ut quemadmodum pater testamento filiisfamilias tutorem dare poterat, ita & maritus uxori, quia in manu mariti erat, & sui heredis jure utebatur. Non semper autem rigide istud jus exercebat, sed uxori tutoris optionem beneficii loco aliquando legabat. Et hic tutor est, quem Cicero pro Murena cap. XII. ait, potestate mulierum contineri. Jurisconsultos enim exagitans: *Mulieres*, inquit, *omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt: hi invenerunt genera tutorum, quae potestate mulierum continerentur.* Alciatus dicto loco quale hoc sit, invenire desperat. nisi dicatur, mulieres servos suos actori publico concessisse, & postquam publici effecti essent, procurasse, ut sibi tutores darentur. At hæ sunt nugæ, refutatione indignæ! Schilterus Ex. XXXVII. §. 228. Tullium reprehendere putat illud tutorum genus, quando mater & vitricus tutelam gererent, sic enim tutorem potestate mulieris contineri, quæ ipsa in tutela esse deberet. Verum nec hoc placet. Genuinus sensus vel hic est: Mulieres tales sibi optasse tutores, quibuscum ob conditionis vilitatem, animive bonitatem facile transigerent: vel cavillatorie dixit, eos in potestate mulierum contineri, quorum diligendorum mulieri esset potestas; vel denique ridet Jurisconsultos, quod auctores fuerint muliebris tutelæ, nec tamen efficere potuerint, ut mulieres in tutorum essent potestate, quippe quæ libere res suas administrarent, & solennitatis causa auctoritatem negotiis adhiberent. Vipotentes enim quodammodo *in suam tutelam perveniebant*, prout explicandus Paulus in *l.* 51. *D. de Legat. lib.* 3. ne iis, quæ pag 4 tradita sunt, contrariari videatur.

§. XVII.

In quæstione, an maritus ab uxore tutor eligi, aut tutelam conjugis, ab aliis sibi impositam, suscipere potuerit, ut vitato multorum errore recte versemur, primum quidem, quod ad personam uxoris attinet, ubivis fere gentium ob-

obtinuit illud Pauli ad Ephes. v. οτι ο ανηρ εϛι κεφαλη της γυναικος. quo sensu Philo Judæus, maritum instar curatoris esse dixit, περι κατασκευης αρχοντος. Verum si de rebus quæratur apud Romanos, probe distinctio observanda est, quam ex vocum antiquarum enarratoribus, Aulus Gellius indicavit lib. XVIII. Noct. Att. c. 6. inter matresfamilias & matronas; sive inter uxores, quæ in manum & mancipium maritorum convenerant, & eas, quæ tantum in matrimonio erant, sui juris cetera, & rerum suarum dominæ, præter dotem, quam viro attulissent. De illis Livius, a nobis laudatus, affirmat, in manu maritorum fuisse. Hæ vero non in mariti, sed in alterius tutela extitere. Plures autem mulierculæ, jam inde ab occupata republica, in matrimonio, quam in manu esse maluere, Tacito auctore lib. IV. Ann. c. 16. Ipsa Livia, Augusti conjux, sic nupserat: eoque Vir Cl. Schultingius referendam putavit inscriptionem apud Gruterum pag. 552. n 2. ubi mulier aliqua monumentum fecit SIBI. CONJUGI. ET. TUTORI. suo. Nec alia ratione Pudentilla, Apuleji uxor, quam quod in manum non convenerat, tutorem habuit. Verba ejus in apologia circa finem ita sese habent: *Dixistis*, inquit, *me magia, de pecunia mulieris, pulcerrimum prædium meo nomine emisse. Dico, exiguum herediolum sexaginta millibus nummum: id quoque non me, sed Pudentillam suo nomine emisse: Pudentillæ nomen in tabulis esse: Pudentillæ nomine pro eo agello tributum dependi: præsens est Quæstor publicus, cui depensum est, Corvinus Celer vir ornatus: adest etiam tutor, auctor mulieris, vir gravissimus & sanctissimus, omni cum honore mihi nominandus, Cassius Longinus. Quære, Maxime, cujus emtionis auctor fuerit: quantulo pretio mulier locuples agellum præstinarit.* Sub Imperio Antonini Pii, ut supra diximus, Apulejus magiæ accusatus, Carthagine ad Maximum Claudium, Africæ proconsulem, præsente Avito, hanc orationem habuit. Tum ergo alius tutor mulieris fuit, alius maritus, si in ejus manum non convenisset. Sed quia coemtiones quoque

erant rariores, & licentiæ ditiorum molestæ; mariti autem bonis uxorum tenellarum, sub honesto curatoris nomine inhiabant: ideo Divus Marcus, oratione singulari, quam Senatusconsultum secutum est, vetuit maritum uxoris minorennis, vel furiosæ esse curatorem: in tantum, ut sciens prudens datus infamia notaretur. *l.* 14. *D. de Cur. fur. l.* 4. *l.* 17. *C. de Excus. tut:* Vir Cl. Bertr. Argentræus in comment. ad cons. Britann. art. 483. non satis rationis esse putat, cur Marcus sic constituerit; quandoquidem nulla carior persona rem uxoris curare potuerit, quam maritus; nec donatio valuerit de rebus ad curam pertinentibus; uxor denique in viri potestatem tum non transierit, sed ex omni contractu virum obligare, & obligari ipsa vicissim potuerit. Sed Marcus legem hanc in republica tulit, quæ summam divortiorum fovit licentiam, & in qua feminis, maxime minorennibus insidiæ tendebantur. Vera ergo; quæ ipsum movit, ratio videtur fuisse, quam Accursius ad *l.* 2. *C. qui dar. tut.* vidit, ne maritus, re male gesta, rationes per blanditias interverteret, vel earum redditio materiam jurgii inter conjuges, cum uxor majorennis facta, præberet. Ceterum bonorum dotalium maritus erat dominus, *l.* 30. *C. de Jure dot.* paraphernalium regulariter custos & administrator *l.* 9. §. 3. *D. de Jure dot. l.* 95. *ad L. Falc.* ut tamen sine consensu uxoris, solus hic nihil posset *l.* 8, *C. de Pact. conv. sup. dot.* Reliqua bona uxor non minus, ac vir, extra intercessionis causam, jure novissimo, postquam scilicet tutela mulierum extincta fuit, libere obligabat, ac alienabat, *l.* 6. *C. de Rev. donat. l.* 12. *C. de Pign. l.* 2. *C. ad SCt. Vellej.* Ut tamen si perfectæ ætatis esset, & sanæ mentis, marito rerum omnium, quas extra dotem habebat, administrationem concedere valuerit, & si non prohiberet, tacite consensisse intelligeretur *l. ult. C. de Pact. conv. l.* 21. *C. de Procur.* ubi rationem addit Constantinus: *Ne feminæ, persequendæ litis obtentu, in contumeliam matronalis pudoris irreverenter irruant, & conventibus virorum vel judiciis interesse cogantur.*

§. XVIII.

§. XVIII.

Hi juris progressus, in tutela mariti, non divellendi videbantur; nunc ad tutelam nostram revertamur. Ulpianus tit. XI. §. 2. *Tutores*, ait, *aut legitimi sunt*, *aut Senatusconsultis constituti*, *aut moribus introducti*. Legitimi mulierum tutores erant adgnati: his deficientibus Prætor, cum majore parte Tribunorum plebis, tutorem ex *lege* Atilia dabat. Verum ex *lege* Julia de maritandis ordinibus, solus Prætor Urbanus tutorem dedit ei mulieri virginive, quam ex hac lege nubere oportebat, ad dotem dandam, dicendam promittendamve, si legitimum tutorem pupillum habebat. Præterea *Senatus* censuit, in locum muti, furiosi vel absentis tutoris, alium dandum esse ad dotem constituendam, vel ad hereditatem adeundam: denique *moribus* tutor Prætorianus dabatur mulieri, quæ cum tutore suo lege aut legitimo judicio agere volebat, ut plenius hæc tradit Ulpianus dicto tit. XI. §. 3. 18. 20. & seqq. Ex his autem lucem fœneramur Scævolæ in *l. 26. D. de Tutor. & curat. dat.* & novum inde simul discrimen tutelarum in lucem proferimus. Verba ejus sunt, quæ sequuntur: *Sejæ egressæ annos XII. decreto Prætoris ex inquisitione datus est tutor*, *quasi minori: quæro an excusare se deberet? Respondi*, *secundum ea quæ proponerentur*, *neque excusationem necessariam esse*, *neque obligari*, *quod non gereret*. Sensus est: tutorem decreto Prætoris ex inquisitione feminæ viripotenti dari inutiliter, neque excusationem necessariam esse, neque obligari eum, si negotia non procuravit: nam etsi mulieribus ac pupillis hoc erat commune, quod Prætor utrisque, tutores non habentibus, tutores daret: id tamen discriminis intercedebat, quod pupilli a Magistratibus majoribus cum inquisitione, a minoribus cum satisdatione tutores quoslibet idoneos, licet minus ipsis acceptos accipiebant: feminæ autem viripotentes tutores quidem acceperunt invitæ, verum illæ tantum, quibus talia negotia gerenda, ad quæ tutoris auctoritas esset necessaria: neque tum ex Prætoris arbitrio hunc vel illum

tutorem admittere coactæ, sed facultas unum eligendi ipsis salva fuit. Et hæc quidem electio pro inquisitione fuit; nec satisdatione erat opus, quia tutela oneri non erat, neque tutelæ actionem directam vel utilem, nec hypothecariam pariebat; eo quod nihil gerere, sed tantum auctoritatem præstare solitus esset feminarum tutor. Ad dolum tantummodo & fraudulentum consilium præstandum obligatus fuisse videtur. Vide Cujac. *lib. XXII. Obs. c.* 20. Num vero tutela hæc necessariæ fuerit susceptionis, id quidem temere neque affirmarim, neque negaverim. Plane tutela in rerum actu, vel in Reipublicæ tractatione, ut loquitur Seneca 1. *de Tranquill. cap.* 3. seu πολεως διοικησει ut Plato *lib. V. de Rep.* ait, nulla consistit; nec Reipublicæ, sed civile munus est *l.* 6. §. 15. *D. de Exc. tut.* pertinet enim ad utilitatem unius domus: favore autem pupillorum receptum est, & *placuit* JCtis, tutelam vel curam inter munera publica numerari, civesque invitos ad eas suscipiendas adigi. *pr. Inst. de Excusat.* Tantus autem muliebris tutelæ, quantus pupillaris, non est favor, & plerumque ex voluntate ipsius mulieris, tutor volens & consentiens datus esse videtur.

§. XIX.

Magis hæc apparebunt, si in memoriam revocemus, & hoc proprium isti tutelæ fuisse, quod sicut invitus eam non suscipere, ita susceptam abdicare, aut in jure alii cedere tutori liceret. De abdicatione Ulpianus tit. XI. §. 17. *Si tutor testamento datus se abdicaverit tutela, desinit esse tutor. Abdicare autem est, dicere nolle se tutorem esse. In jure autem cedere tutela testamento datus non potest, nam & legitimus in jure cedere potest, abdicare se non potest.* De cessione idem §. 8. titulo eodem: *Quantum ad agnatos pertinet, hodie cessitia tutela non procedit: quoniam permissum erat in jure cedere tutela feminarum tantum, non etiam masculorum: feminarum autem legitimas tutelas lex Claudia sustinet.* Res nova videbitur Juris studiosis, qui fragmentis Pandectarum tantum sunt as-

aſſueti, tutelam ſuſceptam deponi, aut in jure cedi potuiſſe, cum excuſationis tantum a ſuſcipienda in iis fiat mentio, ne γρῦ autem de abdicatione ſuſceptæ. Certum nihilominus eſt, in feminarum tutela id obtinuiſſe, nec ſine ratione. Tutela pupillaris pubertate deſinebat, nec invitus tutor ad curæ continuationem cogi poterat: muliebrem autem hoc onus peculiare comitabatur, quod eſſet *perpetua*, nulloque tempore circumſcripta & definita. Querelas igitur movebant tutores, & legitimi, & dativi, ſi ſero aut plane non nubebat femina ſibi commiſſa; quamobrem remedium illis per abdicationem & ceſſionem quæſitum eſt, etiam alia ſpeciali excuſationis cauſa non allegata. *Abdicare* ſe Magiſtratu, conſulatu, Ciceroni & JCtis eſt, munus nondum confectum deponere; ἀπομοσασθαι, vel ut Ariſtoteles, ἀπειπειν τὴν ἀρχήν. Abdicatur filius, qui omni jure abſciſſo, a familia alienatur. Sic & abdicare ſe tutela, eſt dicere, nolle ſe amplius tutorem eſſe. Cicero lib. VI. ad Att. epiſt. 11. *Itaque aut tutela cogito me abdicare, aut, ut pro Glabrione Scævola, fœnus & impendium recuſare.* Sicut autem Diocletianus & Maximianus abdicationem filiorum, ex Græcorum moribus diu apud Romanos uſitatam, ſuſtulerunt, *l. 6. C. de Patr. pot.* ita & legitimis tutoribus, non licuit ſe abdicare tutela feminarum, quæ ſibi proximitate ſanguinis conjunctæ. Teſtamentariis & dativis id permiſſum, agnatis non item: qui tamen alteri a ſe proximiori eam in jure cedere poterant, quæ *ceſſitia tutela* dicebatur; indeque *ceſſicus tutor* vel *ceſſitius*, ut Ulpianum emendat Turnebus lib. VII. Adverſ. cap. 21. & Vir Clariſſ. Joh. van de Water lib. III. Obſ. cap. XI. Non hic repetam ceſſionis ſolennia a Galvano cap. 38. de Uſufr. & Contio lib. I. Diſp. jur. civ. cap. 12. quantum ſatis eſt pertractata. Vix tamen mihi tempero, quin locum Ulpiani adſcribam, quam maxime huc pertinentem. Inquit ille tit. XIX. §. 11. *In jure cedi res etiam incorporales poſſunt, velut uſusfructus, & hereditas, ET TUTELA LEGITIMA, & libertas.* Exercitium igi-

igitur hujus tutelæ coram Prætore in cessitium transibat; sed hac lege, ut sive is mortuus fuerit, sive capite minutus, sive alii rursus tutelam cesserit, rediret ad legitimum tutela; quia personæ industria erat electa, nec nisi viro industrio, rerumque suarum satagenti vices commissæ? Quin adeo tutela hæc ex persona cedentis legitimi pendebat, ut si is decesserit, aut capite minutus fuerit, cessitia quoque extingueretur; quia non plus juris in alium transferre potuit, ac ipse habuerat, auctore Ulpiano *tit. XI. §. 7.*

§. XX.

Verum enimvero quia feminarum intererat, retinere potius pristinos tutores, sanguinis vinculo nexos, quam in novorum, forsitan & hominum malorum, nequam & luxuriosorum tutelam transferri, quorum moribus pollucrentur, & ad sordidum vitæ genus, in suam & Reip. perniciem, traherentur; ideo Claudius Imperator vetuit, tutelas cedi, *feminarum autem legitimas tutelas lex Claudia sustinet*, inquit Ulpian. tit. XI. §. 8. Anceps horum verborum, & crebris eruditorum disputationibus jactata est sententia. Cujacius in notis hic & lib. XXVI. Obs. cap. 7. pro *sustinet*, reposuit *sustulit*, omnes legitimas feminarum tutelas lege Claudia sublatas statuens, ita ut testamentaria & dativa tantum fuerit relicta; Constantinum vero patruis hoc oneris iterum imposuisse in *l. 2. C. Th. de tut. creand.* qua haud fuisset opus, si jus antiquum vigebat, ex quo ad patruum, ex jure agnationis, tutela erat perventura. Constantini legem moribus contrariis sopitam rursus novasse Leonem A. C. 469. in *l. 3. C. de Leg. tut.* sed quam interpolatam, & voce *pupillarum* auctam, Codici suo inseruerit Justinianus. Verba Leonis sunt ista: *Constitutione Divæ memoriæ Constantini, lege Claudia sublata, pro antiqui juris auctoritate, salvo manente agnationis jure, tam consanguineus, id est frater, quam patruus, ceterique legitimi ad pupillarum feminarum tutelam vocantur.* Cujacii sententiam probavit Brissonius, Hotmanus & Giphanius in *C. de tut. legit.* Huberus *lib. III. Digr.* *cap.*

cap. 4. & professa opera eam defendit Schilterus *Exerc. ad D. XXXVII.* §. 231. *& seqq.* At vero, quia emendatio isthæc veteris libri auctoritate caret, merito eam rejecerunt Rævardus, Marcilius, a Costa, Jac. Gothofredus, Noodtius, Gravina, Schultingius aliique; quorum tamen non una circa explicationem horum verborum est sententia.

§. XXI.

Rævardus primum auctoritatem Cujacii veritus, suppresso nomine, hanc emendationem explosit, & quibusdam exemplis ostendit, *sustinere* sæpius accipi, & hic accipiendum esse, pro *differre*, lib. 1. Varior. c. 10. Secutus hunc est Jacobus Gothofredus, hilarioris famæ Jurisconsultus, in comment. ad *l.* 2. *C. Th de tut. & cur. tom. I. pag.* 317. sed clarius mentem expressit, ac sublatam tantum censuit a Claudio cessitiam tutelam, ne quod onus semel agnatus subierat, deponere unquam posset: quæ explicatio, si quis attendat, tam intentioni Ulpiani, quam voci *sustinere* convenit, quæ sæpius pro *continuare*, *prorogare*, *retinere* accipitur, auctoribus Latinis. Ovidius Epist. 1. ỿ. 113.

Respice Laerten, ut jam sua lumina condas,
Extremum fati sustinet ille diem.

Sic Mæcenas, in turpissimo voto, vitam sustinere, pro spiritum prorogare, inhibere ne abeat, morari, dixit apud Senecam epist. 101.

Vita dum superest, bene est,
Hanc mihi, vel acuta
Si sedeam cruce, sustine.

Atque hoc ipsum dignitas familiarum, & summa juris providentia suadebat, ut quo hereditas pervenit, eo tutela rediret, & qui sperabant successionem, iidem bona tuerentur, ne dilapidarentur *l.* 1. *D. de Legit. tut. & l.* 73. *D. de Reg. Jur.* nam hoc ἀντίστροφον reciprocum est, ut qui commodis fruitur rei cujuspiam, eum & incommoda perferre conveniat *l.* 10. *D. eod.* Decepit Cujacium ejusque asseclas, quod legem illam Claudiam in *dict. l.* 3. *C. de legit. tut.* memoratam,

ratam,

ratam, cum nostra eandem fuisse putarunt, id quod nec ipse abnuo: at certum est, varia ejus legis fuisse capita, prout de re tutelari solicitus valde fuit Claudius, nam & de tutore dativo caput ejus legis memorat Suetonius in *ejus vita cap. XXIII.* & de curatore Modestinus in *l.* 8. *D. de Adopt.* Quid vetat igitur, quominus, præter hoc nostrum de cessitia tutela, quartum caput fuisse credamus? quo mulieres impuberes tutela patruorum exemtæ, quorum asperitas proverbio locum dedit apud Persium Sat. 3. *Ne sis mihi patruus oro.* ut Gravina observat, cui addo Manilium lib. V. in superciliosa pædagogorum genitura:

- - *antiqui laudabunt verba Catonis,*
Tutorisve supercilium, patruique rigorem.

Hoc certe temporum illorum conditio, & mulierosum Claudii ingenium satis confirmant. Constantinus vero imperium patruorum, suscitato jure antiquo, restituit: Leo confirmavit: neuter autem tum temporis forsan de muliebri tutela cogitabat. Hæc ita quantum ad agnatos pertinet. In patronis autem, etiam post legem Claudiam, cessitia tutela processit, ut exceptio ab Ulpiano subjecta ostendit, de qua Janus a Costa Vir Cl. *ad. tit. Inst. de legitima Patron. tut.*

§. XXII.

Tempus est modos videamus, quibus feminæ tutela liberantur, atque naturalis libertas, quam & sexus infirmitate, & rerum forensium ignorantia amiserant, ipsis restituta est. Communes illos, ut utriusque mortem, delictum, consensum, & ejusmodi alia hic enarrare instituti ratio non fert; sed duos selectos dabimus. Primus est capitis diminutio feminæ, quæ licet minima sit, omnes tutelas tollit, non tantum pupillarem §. 4. *Inst. quib. mod. tut.* sed & perpetuam, auctore Ulpiano *tit. XI.* §. 9. & 20. Contingit autem minima illa vel adoptione, vel in manum conventione, ut idem scribit §. 13. *tit. eod.* Adoptionis nomen generale est, & arrogationem comprehendit; de qua hic quæritur, quia tutela tantum erat feminarum sui juris. Jure veteri quidem mulier

mulier arrogari non poterat, quoniam nulla cum ea comitiorum erat communio, Gell. *lib. V. cap.* 19. Post vero ex rescripto Principis arrogari potuit, auctore Cajo in *l.* 21. *D. de Adopt. & l.* 8. *C. eod.* Tutoribus pupillaribus tanta in pupillos non erat auctoritas, ut caput liberum fidei suæ commissum alienæ ditioni subjicerent; quemadmodum ex Gellio discimus, dicto loco: At mulieri arrogandæ tutores sic utiliter auctoritatem præstabant: quæ differentia superioribus addi potest. Arrogata igitur, ne in duorum potestate esset, tutela exibat. Pariter & quæ in manum convenerat, maritum parentis loco habebat, ejusque potestati soli subjiciebatur. *Manus* Latinis pariter, ac Hebræis & Græcis, pro imperio & potestate usurpatur; unde in manum convenire, est in potestatem ac familiam mariti transire. Fiebat id tribus modis, farre, coemtione, & usu. Sive enim solenni farris sacrificio Diis nuptialibus facto; sive per æs & libram coemta; sive per integrum annum usucapta, in familiam mariti commigraret, se suaque omnia ad eum transferebat uxor, ita ut in dominium ejus veniret jure mancipii, & capite minueretur, & sustineret speciem liberalis servitutis, ut Servius *ad IV. Æneid. vers.* 103. & Gellius *lib. IV. cap.* 3. memoriæ prodidere. Exibat ergo ex patris potestate, cum in duorum manu simul esse non posset, Tacit. *IV. Annal. cap.* 16. Hoc vero mortuo, nubens solvebatur etiam tutela, quæ in libero homine tantum insistit, & quavis capitis diminutione perimitur. Hinc Cato apud Livium lib XXXIV. c. 2. ex instituto majorum, feminas in manu parentum, fratrum, *virorum* esse ait. & Boetius illa Ciceronis verba in Topicis: *Si ea mulier testamentum fecit, quæ se capite nunquam diminuit, non videtur ex Edicto Prætoris secundum eas tabulas possessio dari*, illustrans, ad rem scribit: *Mulieres antiquo jure tutela perpetua continebat. Recedebant vero a tutoris potestate, quæ in manum viri convenissent: itaque fiebat eis prioris status permutatio, & erat capite diminuta, quæ viri convenisset in manum. &c.* De hac in manum conventione egisse Præ-

 torem

torem in *l.* 2. *D. qui satisd. cog.* & Ulpianum in *l.* 2. §. *bis D. de cap. min.* Cujacius sibi persuadet *lib. IV. Obs. cap. XI.* nescio an aliis.

§. XXIII.

Alter modus, quo feminæ ab hac tutela liberatæ, est jus trium liberorum; quod variis privilegiis, Augusti lege Julia & Papia, in honoribus adipiscendis, in munerum immunitate, in jure Quiritium adipiscendo, etiam in liberatione a tutela fuit ornatum. Auctor enim incertus in fragmento supra §. 13. relato, testatur: *Mulierem, jus trium liberorum habentem, sine tutoris auctoritate manumittere posse.* Cui accedit Plutarchus, Trajani Imperatoris æqualis, qui in vita Numæ cap. XVIII. ubi præmia & honores Vestalium exequitur, hoc modo scribit: Τιμας δε μεγαλας απεδωκεν αυταις, ων εςι και το διαθεσθαι ζωντος εξειναι πατρος, και τ' αλλα πραττειν, ανευ προςατε διαγεσας, ωσπερ αι τριπαιδες. *Honores magnos Numa iis tribuit, in quorum numero est, quod vivo patre testari possint, atque alia facere, sine tutore, eo modo & jure, quo matribus trium liberorum id permissum.* Verum non Numa illis hoc privilegii dedit, cujus tempore jus illud erat ignotum, sed Augustus, ut ex Dione Cassio bene observavit Justus Lipsius de Vesta & Vestalibus cap. XII. Is etiam ex privilegio speciali Octaviæ & Liviæ concessit, ut res suas sine tutore agere possent. Dio Cassius lib. 49. Τη 'Οκταυια τη τε Λιυια και εικονας, και το τα σφετερα ανευ κυριε τινος διοικειν, τοτε αδεις και το ανυβριςον εκ τυ ομοιυ τοις δημαρχοις εδωκεν. *Octaviæ & Liviæ statuas dedit, utque sine tutore res suas agerent, & eodem jure sacro sanctæ, quo tribuni plebis essent.* Ait Plutarchus, Vestales jure trium liberorum subnixas, testamentum facere potuisse, και ταλλα *& alia*, ea scilicet, ad quæ alias tutoris auctoritas requirebatur, præeunte Ulpiano fusius a nobis explicata §. 10. & seqq. In his §. 14. enarravimus alienationem rerum mancipi, cui necessario tutor adhibendus, nisi mulier tres liberos superstites haberet, eosve amisisset, vel beneficio Principis jus liberorum esset consecuta. Talis erat STATIA IRE-

NE,

NE, quæ JUS LIBERORUM HABENS, M LICINIO TIMOTHEO DONATIONIS MANCIPATIONISQVE CAUSA monumentum sine tutore, H. S N. I. MANCIPIO DEDIT in lapide apud Gruterum pag. 1081. quem erudite illustravit Doctissimus Brummerus ad Legem Cinciam cap. XIV. Discrimen autem hic, ut alibi in SCto Tertulliano & successione liberorum, servatum est, inter ingenuas & libertinas, illæ per tres, hæ per quatuor demum liberos tutelam evadebant. Ulpianus tit. XXIX. §. 3. *Lex Papia Poppæa libertas, quatuor liberorum jure, tutela patronorum liberavit, & cum intulerit, jam posse eas sine auctoritate patronorum testari &c.* Et hoc addam, ex his discrimen muliebris tutelæ a cura notasse, Jac. Gothofredum in *Notis ad L. Jul. & Pap. pag.* 324. quod mulieres propter liberos a tutela liberantur, minores a cura nequaquam, ut ad L. Juliam scribens Ulpianus in *l. 2. D. de Minor.* testatur.

§. XXIV.

Quousque muliebris hæc tutela apud Romanos in usu fuerit, non facile dictu est. Nisi quod, crescente muliebri licentia, & labascentibus illius Reip. moribus, hæc quoque prudentiæ civilis pars feminarum impudentiæ sensim succubuisse videatur. Rarior item facta, ex quo steriles & orbæ jus trium liberorum, beneficio Principum, frequentius impetrarunt. Imperatores enim & aulici, sexui femineo plus, quam par erat, indulgebant, ut arcana virorum expiscarentur. Ipsæ etiam, cum maritis imperium domesticum extorsissent, rebusque civilibus se immiscerent, tutorum impatientes factæ. Plane vigente hac tutela, magna causa non fuisset, cur Augusti & Claudii Edictis interdiceretur, ne feminæ pro viris suis intercederent, utque Senatusconsulto Vellejano feminis omnibus subveniretur. *l. 2. D. ad SCt. Vellej.* Sed quia matronæ passim abdicabant tutores, aut eos vilipendebant, alio modo earum imbecillitati erat succurrendum. Papinianus quidem in *l. 13. §. 2. D. de Tut. & curat. datis.* sic respondet, quasi nullus suo ævo mu-

 lierum

lierum tutor; quando patronum tutorem esse desinere scribit, si puella duodecimum annum impleverit, ac tum dari curatorem desideranti feminæ minori eundem, qui fuerat tutor. Nollem tamen cum Cujacio inde quis colligat, Severi Augusti tempore, tutelam nostram prorsus cessasse; cujus Apulejus & Ulpianus, tanquam ætate sua usitatæ, adeo crebram mentionem fecere. Adhæc curatores simul cum tutoribus habuisse mulieres viripotentes, & loca Jurisconsultorum multa a Triboniano ad jus novum inflexa esse, diximus supra; & summus Cujacius varia tutelæ hujus vestigia, in Pandectarum fragmentis, se reperisse putat *lib VI. Obs. cap.* 11. & *lib. XXII. cap.* 20. Nec tamen inficiabor, ex eo tempore, quo feminis minoribus, etiam bene rem suam gerentibus, promiscue curatores dari præcepit Antoninus Philosophus, indies magis magisque, jam ante Papiniani ætatem, nutasse tutelam: quia ad ea, quæ ante tutore tantum auctore fiebant, velut ad dotem dicendam, etiam simpliciter curator dabatur, *l.* 7. *D. de Tut. & cur. dat. l.* 60. *& seqq. de Jure dot.* quæ & alia loca a Triboniano esse mutata, vix dici posse, causatur Bachovius *ad pr. I. Quib. mod. tut. fin. n.* 4. Plane post Constantini tempora, feminæ puberi curator dandus esse dicitur in Codice *l.* 7. *C. Qui pet. tut.* ut vix muliebris tutelæ vestigia supersint, in *l.* 3. *C. de legit. tut.* & *l.* 2. *C. Th. de tut. creand.* quod multi veterum pariter ac recentiorum sibi persuasere. Malim etiam in *l.* 7. *C. de Susp. tut.* vocem *tuarum*, in omnibus codicibus non occurrentem, in spongiam incumbere, quam cum Celeberrimo Voetio *ad tit. D. de Susp. tut. n.* 4. eam de tutela sexus interpretari, id quod vel sola *administratio*, bis tutori illi tributa, vetat. Ceterum id mirum videri possit, cur Justinianus, Imperator oppido mulierosus, & rei uxoriæ, in gratiam reverendissimæ suæ Theodoræ, valde intentus, in usum non reduxerit tutelam hanc, ad præsidium sexus infirmioris repertam; nisi forte ipsum movit, quod dubia varia inde oriuntur, & actibus bona fide gestis, quibus indiffe-

differens sæpe solennitas defuit, evertendis malevoli ea abuti possint & abutantur: feminæ item absque curatore læsæ quandoque, exemplo minorum, in integrum restituantur *l. f. C. de Juris & facti ign. l. 3. C. Th. de in integr. rest.*

CAPUT II.

JUS GERMANICUM EXPONIT.

§. I. *Tutela perpetua, apud nationes Germanicas, Mundium dicta; tutor mundualdus, mundiburnus, mundiburdus; unde mainbour, momber. Harum vocum natales examinantur.* II. *Cum Græcorum tutela sexus convenit, quod viduæ in tutela filiorum.* III. *Differt ab ea, quod mariti, apud Germanos priscos, per omnia uxorum tutores: quæ coemtæ, per nuptias patria potestate liberabantur.* IV. *Maritalis tutela apud Gallos, Hispanos, Belgas, & Frisios utrosque.* V. *Eadem apud Bremenses, Hamburgenses, Lubecenses; non tamen per Germaniam universam.* VI. *Maritus est tutor uxoris legitimus, cælibum dativi. Charta antiqua Alamannica excussa.* VII. *Auctoritas tutorum muliebrium an hodie ex intervallo interponi possit? quis interpositæ sit effectus.* VIII. *Quatuordecim differentiæ, inter tutelam hanc Germanicam, & tutelam ac curam Romanorum.* IX. *Curatore ad litem opus est, si mulier in judicio agat. Ineptiæ Speculi Sax. ejusque interpretis.* X. *Mulier hodie sola personam standi in judicio non habet; sed marito, vel curatore opus.* XI. *Extrajudicialia negotia alia curatorem postulant.* XII. *Alia non item, quæ ad 18. classes revocata. Beyeri de hujus tutelæ usu judicium.* XIII. *Modi, quibus tutela dativa & legitima finitur, antiqui & novi.*

§. I.

De prisca Romanorum sexus sequioris tutela, prolixius aliquanto egimus hactenus; sicut currente rota, quæ urceum instituerat, amphora sæpius exire solet. Nunc instituti ratio ad Germanos nos vocat, quorum tutelæ longius inhærendum foret, nisi a recentioribus, Mevio, Carpzovio,

zovio, Bergero, Beyero, aliisque Saxonicis Jurisconsultis passim, magis quam isthæc Romana, esset exculta atque illustrata. Selectiora igitur quædam, & non pertrita, nec Pragmaticis ingrata dabo. Ad hæc autem antequam perveniamus, a primis incunabulis, & velut ab ovo, res repetenda erit; ut non heri aut nudius tertius tutores apud nos exortos, sed ab ultima gentis nostræ origine, eos jam in usu fuisse patescat. Tacitus equidem de Mor. Germ. cap. VIII. memoriæ prodidit, sanctum aliquid & providum inesse feminis, nec aut consilia earum aspernanda, aut responsa negligenda, credidisse Majores nostros. Maris tamen naturam digniorem, atque imperantem esse, simul agnoverunt, sexumque infirmum, cui valde metuebant, suæ custodiæ atque curæ subjiciendum existimarunt: sicut vetustissimi Galli, uxores suas, earumque fortunas in potestate & tutela sua habuisse, traduntur a Cæsare lib. VI. de Bello Gall. cap. 18. Mansit hic mos diu apud Gentes origine Germanicas omnes, ut feminæ nuptæ in maritorum, viduæ & puellæ parentibus orbatæ in agnatorum aliorumve tutela essent. Langobardorum Rex Rotharis lib. 2. tit. 10. circa annum 640. constituit: *Nulli mulieri liberæ sub regni nostri ditione, lege Langobardorum viventi, liceat in suæ potestatis arbitrio, id est, sine mundio vivere; nisi semper sub potestate viri, aut potestate curtis Regiæ debeat permanere: nec aliquid de rebus mobilibus aut immobilibus, sine voluntate ipsius, in cujus mundio fuerit, habeat potestatem donandi, aut alienandi.* Mundium notat tutelam, nomenque accepisse fertur a *mund*, ore, sive ab orando & loquendo, quod pupilli causam in judicio & extra judicium agere debebat. Hinc pupillus *onmund*, & majores *selfstmonden* dicti. Ita Voss. lib. 2. de vit. serm. Lat. c. 12. & Schilterus Exerc. ad ff. 36. §. 64. sed qui sententiam suam, curis secundis, in glossario Alamanico, rejecit. Goldastus in disc. de repræs. in primog. *munde* potestatem, auctoritatem, & dominium actuale Germanis fuisse scribit: prorsus ac Rotharis, in laudata lege Langobar-

bardorum *sine mundio vivere*, suæ potestatis esse interpretatur. Alii a *mund*, quod cogitare, curare notat. Ælfredus Rex in præfatione, tractatui de lingua Gotthorum a Vulcanio subjuncta: *tha gemunde ick*, *tum cogitabam*. Alii rursus a *munto*, quod tueri significat, apud Otfridum 3 Evang. 1. *Suntar sie imo munto*, hoc est: *ita mater infantem tuetur*. A mundio dicta *mundiata* mulier, quæ in tutela est. In Legibus Luitprandi Regis Longob. rubrica tit. 68. est: *De mundiata in sacramentum missa*. Inde & *mundualdus* tutor constitutus, qui mundii curam gerit, a *walten*, *wahren*, *warten*, vel *walt* potestas. Tabularium Casauriense: *Ego Adelberga filia quondam Luponi, consentiente mihi Sigolfo filio, & mundualdo meo, concedo ad usum fruendum vobis*. Eadem notione *Mundiburnum* dixit Burchardus Wormatiensis in lege Familiæ: *Si quis filiam alterius vi rapuerit, cuncta vestimenta, quibus tunc induta fuerat, quando rapta est, singulariter in triplum patri ejus vel mundiburdo restituat*. Rursus in formula effestucationis A. 1335. scripta, quam exhibet Freder. a Sande in comment. de effestucatione c. 2. *Constitutus in judicio, dominus Jacobus, dictus Vos, investitus Ecclesiæ de Duffelwerde, & Hilla ejus uxor legitima, cum suo* electo *Mundiburdo, & sibi judicialiter dato*. Mundiburdis est onus tutelæ, a *mund* & *burde*. Hinc in capitularibus Caroli M. & apud Marculfum 1. form. 24. pro quavis defensione accipitur, quod Hieron. Bignonius ad dictam formulam, aliique pluribus docuere. A *mundiburni* etiam voce depravata & contracta, Gallorum & Belgarum *Mainbour*, *Momboir*, *Munbour*, *Momboor*, *Momber*, *Voormomber* fluxere, non a *Mondborg* fidejussor, quod Grotius volebat *lib*. 1. *manud. cap*. 4. Videatur Kilianus in Diction. Menagii *pag*. 320. Tutor vocatur in antiquissima lege Saxonum cap. VII. apud Leibnitium tom. 1. Script. rerum Brunsuicens. pag. 79. *Qui viduam ducere vult, offerat tutori pretium emtionis ejus, consentientibus ad hoc propinquis ejus. Si tutor abnuerit, convertat se ad proximos ejus*.

§. II.

Satis testimoniorum de perpetua Germanorum tutela. At modus ejus, & ratio deferendi non omnibus eadem. Quod enim supra singulare apud Græcos fuisse demonstravimus, viduas matres filiorum subjici tutelæ, idem apud Germanos obtinuit; qui viduas non in suorum, sed in defuncti mariti agnatorum manu esse voluerunt. Vetus charta, de A. 874. ex chartario Casauriensi, apud Mabillon. de re diplom. lib. VI. n. 105. & apud Baluzium in Appendice ad Agobard. *Respondit ipse Sisenandus: Vere ipsam Gundi ego uxorem habeo, eo quod mihi eam ad legitimum matrimonium tradidit Amalfredus, filius ejus, cum Mundualdo suo. Et illud, quod dicitur, quia veste religionis induta post mortem Justonis, qui fuit anterior vir ejus, non est veritas.* Et statim: *Et ipse Sisenandus dedit guadiam* (cautionem) *ipsam Gundi uxorem suam, ad placitum adducendam, una simul cum Amelfredo, filio & Mundualdo suo, quem dicebat ei ad uxorem eam tradidisse, posito inter eos constituto.* Item: *Et dixi, quod mihi eam ad uxorem tradidisset Amalfredus filius ejus, & Mundualdus ejus.* Apertius id constat ex alia charta Tabularii Casauriensis, apud Cangium in voce *Mundium*; cujus verba sunt ista: *Ego Helegrina, filia quondam Caroli - - consensu & voluntate, de filio meo Aliperto, in cujus mundium ego permaneo, venundavi.* Eodem spectat lex antiqua Langobardorum lib. 2. tit. 6. §. 1. tit. 37. §. 4. & clarior Saxonum tit. VII. *Qui mortuus viduam reliquerit, tutelam ejus filius, quem ex alia uxore habuit, accipiat: si is forte defuerit, qui frater est defuncti: si frater non fuerit, proximus paterni generis, vel ejus consanguineus.* Eleganter docuit Schilterus Exerc. XXXVII. §. 241. rationem hujus juris ex jure familiæ pendere, quod maritus, veteri Germanorum more, sibi ac familiæ suæ acquirebat; hoc effectu, ut si vidua ad secunda procederet vota, novus maritus emtionis pretium tutori solvere teneretur. Idem vetusti hujus juris vestigia in jure Provinciali Saxonico & Suevico latere ostendit. Sic

enim lib. I. art. 23. *Wo die Soehne binnen ihren Jahren seind, ihr ältester ebenburtiger Schwertmagt, nimt das Heergewet allein, und ist der Kinder Vormund daran, bis sie zu ihren Jahren kommen.* Et in fine: *Er ist auch der Witben Vormund, bis dass Sie einen Mann nimt, ob Er ihr ebenburtig ist.* Jus Suevicum similiter *cap. XXVII.* nisi quod viduæ arbitrio committat: *Er ist auch der Witben Vormund, dieweil Sie ohn Man ist, ob Sie will, und ob Er ihr ebenbürtig ist.* Sed hoc jure non amplius utimur.

§. III.

Mulieres nuptæ autem, apud Græcos & priscos Romanos, certo modo & fine, in manu maritorum fuere; ut præter ea, quæ capite præcedente allata sunt, Callicratides Pythagoricus apud Stobæum c. 83. ostendit. At Germani, plenius & per omnia eas maritorum consilio regi voluerē: quo viris obnoxiæ essent & subjectæ, neve quid aliud agerent, quam ut illis in omnibus obsequerentur. Lege Attica, uxores hactenus minorennibus æquiparatæ, ut non possent contrahere, nisi usque ad medimnum hordei. Sed arctius quid Hertius in notis ad Pufendorf. *lib. III. c. 6. §. 5.* apud nationes Germanicas observavit. Jure Suetico enim, maritus contractum, ab uxore sine ejus consensu initum, rescindere potest, si pretium solidi summam excedat. Jure Lubecensi autem uxor nihil aliud, quam linum & telam, ad usum rei domesticæ, comparandi facultatem habet. *lib. III. tit. 6. art.* 13. Plane majorum nostrorum ætate, Tacitus scribit, sic unum feminas accepisse maritum, quo modo unum corpus, unamque vitam; ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament: quin ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonitam, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in prælio passuram ausuramque. Inde in hunc diem pro lege observata bonorum omnium communio descendit, observante Grotio *de Antiquit. Reip. Batav. c. 2.* Nuptiis quoque filiæ patria po-

potestate liberabantur; unde quos Cæsar *lib. VI. de Bell. Germ.* impuberes dixit, Græcus ejus interpres ἀγάμους vertit, idque vox *Freyen*, *matrimonium inire*, satis indicat. Maritus vero sponsam coemebat pariter, ac apud Romanos, quod potestatis maritalis erat indicium. Fredegarius enim in Gregorii Turonensis historia epitomata *cap.* XVIII. testatur, apud Francos sponsum sponsalia initurum, sponsæ obtulisse solidum & denarium, idque secundum legem Salicam *tit. IV. cap.* 1. Per annulum quoque manus, per calceamenta pedes sponsæ vinciebantur, in subjectionis signum; auctore eodem Gregorio *in vitis Patrum cap.* XX. Hinc maritus uxoris mundium ab ejus parente acquirere dicitur in *Lege Alem. tit.* 54. & Rex Rotharis, cum in *L. Longob. lib.* 2. *tit.* 10. mulierem in Selbstmundio vivere prohibuisset, subjicit limitationem, *nisi semper sub potestate viri.* Inde & Speculum Saxonicum *lib. I. art.* 45. §. 5. sancit, maritum esse tutorem uxoris legitimum, post thalami conscensionem: Adde Constitutionem Augusti Electoralem XV. parte II. quam sex & triginta definitionibus illustravit Carpzovius, & Jacobi Diss. *de Curat. mulier. Sax.* habita *Lips.* 1688.

§. IV.

Eadem hæc curatela maritalis, variis etiam locorum consuetudinibus & Statutis, tum ob sexus fragilitatem, tum ob mariti honorem, tum denique propter utriusque utilitatem resuscitata est & confirmata, ita ut maritus hodie sub nomine Curatoris uxorii, *Des Ehevogts*, *oder Ehelichen Vormundes*, in plerisque regionibus venire soleat. Vid. Brunnem. *ad l.* 4. *C. de Excusat. n.* 3. Jure Gallico *Mari* & *Bail* vulgo appellatur tutor muliebris, in consuetudinibus municipalibus: idque ex prisca maritorum potestate, cujus meminit Cæsar l. VI. d. B. G. c. 6. Vid. Charondas *ad cons. Paris. art.* 223. & Baquetus *du Droit d'aubaine c.* 17. *n.* 5. De Hispanorum tutela perpetua & generali, testatur Alphonsus de Alzeved. *ad Reg. const. Hisp. lib. V. tit.* 3. Florentiæ,

tiæ, Papiæ, Ticini, Eugubii, Mediolani, & in aliis quam plurimis Italiæ locis, ſine mariti conſenſu, uxorem teſtari, aut contrahere non poſſe, docet Baldus *lib.* 1. *conſ.* 488. & *in l. velles C. de Revoc. donat.* & Pancirolus *lib.* 1. *var. lect. cap.* 92. Apud Belgas, Flandros & Brabantos, contractus, ſine mariti auctoritate initus, non ſortitur effectum. Burgundus *ad conſuet. Flandr. tr.* 3. *n.* 1. & Voetius *ad tit. de judic. n.* 14.-19. & *de ritu nupt. n.* 41. *ad* 62. In antiqua Friſionum lege tit. 9. §. 8. & 9. qui puellam virginem rapuerit *tertium Vueregildum patri, ſive tutori pupillæ* componere jubetur. De hodierno tutore in Friſia Occidentali Sande *lib. II. tit.* 4. *def.* 1. & Herbajus *Rer. quotid. cap.* 13. videantur. Friſiæ Orientalis hoc eſt Statutum: *Alle unjahrige olderloſe Kinder, und alle Frauens Perſonen ſchoelen hebben einen gebohrnen offte gekohrnen Vormund. Eene Jonckfroue, Maget, ofte Weduwe, offte ander Frouens Perſohnen ſchoelen nicht moegen verſetten, verkopen, verpanden Hues, Erſe offte Werſe, dann die Froue mit verloeve oehres Mannes, und die Jonckfroue und Weduwe mit orlof des Richters.* At noviori conſuetudine ad jus civile reditum eſſe, compluribus ſupremæ Curiæ provincialis præjudiciis comprobat Cl. Eyben *in Diſp. de tutela fœm. p.* 1. *membr.* 1.

§. V.

Jure Bremenſi tutoris auctoritas olim adeo neceſſaria fuit mulieri, ut ne quidem teſtimonii dictio ei permitteretur ſine curatore. Ita in Ordehl 38. *Dar en mag neen Paape, edder jounge Frouwe jeemand vortuegen, ver unſen Herren Vagede, idt ſy öhme erlövet, edder entfangen mit Vormündern.* Id quod nunc quidem uſu non ſervatur, & plerisque rationem habere non videtur: at infra oſtendemus hunc, vetuſtiſſimum gentium Germanicarum fuiſſe morem, ne mulieres perſonam ſtandi in judicio haberent. In Statuto Hamburgenſi part. I. tit. 9. art. 5. expreſſe dicitur: *Der Frauen Vormund iſt ihr Mann, ſo lange er lebet.* De Jure Lubecenſi & praxi communi, Mevii verba addam ad lib. 1. tit. 7. art. 4. n. 4.

Moribus nostris, in universa fere Germania, jus illud antiquum receptum reperitur, nam ex istis feminæ perpetuæ tutelæ ferme subjacent. Cum quo facit Gifanius in comment. ad l. 3. C. de legit. tut. *Moribus nostris jus vetus fere invaluit, ut mulieres vere sint in perpetua tutela; maritæ quidem in mariti, cœlibes vero aut viduæ in agnatorum, aut a magistratu datorum potestate.* His accedat tertius Brunnemannus ad l. 2. C. Qui dare tut. *Hodie non tantum Jure Saxonico, sed etiam consuetudinario, passim ubique locorum mariti sunt tutores ac curatores uxorum legitimi.* Nec tamen inficiari ausim, introducto semel jure Romano, quasdam provincias juri patrio, maxime quod ad virgines & viduas, repudium misisse; sive quod prisca feminarum simplicitas cessare, sive quia curatela illa litium nimis ferax esse videbatur. In Gallia feminas innuptas, si justæ ætatis sint, nullius viri auctoritate regi, scribit Duarenus *ad tit. de Ritu nupt. pag.* 245. Apud Hollandos & Trajectinos similiter marito destitutæ, siquidem minorennes reguntur auxilio curatorum, si majorennes suæ tutelæ relinquuntur. Grot. 1. *manud.* 4. *in fin.* Rodenburg in *proleg. de jure conj. n.* 11. Licet Notarii quidam, in instrumentis suis, tutoris mentionem facere soleant, quos ignorantiæ fratres Anton. Matthæus *ad* §. 1. *Inst. de tutelis* perstrinxit. In Pomerania Mevius *part. V. dec.* 99. narrat, arbitrio mulierum relinqui, utrum Curatorem petere velint, nec ne, & illas nihilominus sine ejus consensu agere & contrahere posse. Quin hodie in dubio pro jure civili standum, & marito de receptitiis curatorio nomine agenti, exceptionem legitimationis valide opponi posse, scribit Hahn. ad Wes. *de tutel. n.* 5. & Esbach. ad Carpz. *p.* 2. *c.* 15. *def.* 1. Quibus junge Mev. *p. III. dec.* 335.

§. VI.

Liquet ex his, tutorem mulierum alium esse *legitimum*, alium *dativum*. Legitimus uxoris fuit maritus, L. Langob. l. 2. tit. 55. n. 2. *Si quis dixerit de uxore aliena, quod mundium de ea ad ipsum pertineat, non ad maritum.* Virginum autem

autem & viduarum tutores adgnati. L. Langob. l. 2. tit. 11. n. 2. *Si quis mundium de muliere libera aut puella in potestatem habens, excepto patre aut fratre* &c. Maritus hodie statim ex nuptiis, postquam thorum conjugalem est ingressus, sine decreto, ipso jure sociæ suæ curator efficitur, licet ipse minorennis sit, eo quod tum ex patria & curatoria potestate exit, atque ex statuto majorennis efficitur. Mulier vero contractis intra minorennitatem nuptiis, cura pristina liberatur, & in hanc transit. Si vero majorennis nubit, hoc ipso velut in minorennium classem rejicitur, & marito, tanquam tutori suo, incipit esse subjecta. Vigente enim communione bonorum, aut jure statutario, ex quo maritus mobilium heres est, & fructus sibi vindicat rei muliebris, nil vetat, maritum uxoris suæ curatorem esse, imo utilius id esse videtur, ad tuendam mulieris fortunam, quæ communicatione fit mariti quoque communis. Ut adeo cessante juris Romani ratione, a redditione rationum desumta, id jus, meliore Germanorum sensu, non receptum videatur. Vid. Landrecht *l.* 1. *art.* 45. & *lib.* 3. *art.* 45. Argentræ. *ad conf. Britann. art.* 410. Carpzov. *p.* 3. *c.* 23. *def.* 30. *n.* 5. Stryck. *Us. mod. Pand. ad lib.* 27. *tit.* 1. §. 7. Dativi tutores a Magistratu jurisdictionem, etiam inferiorem, habente ex officio, vel ad petitionem feminæ, dato curatorio constituuntur, postquam manu stipulata, vel tactu baculi judicialis, fidem promisere. In ducatu Guelferbytano corporale jusjurandum præstandum est, Beyer *Spec. Jur. Germ. c.* 27. §. 15. Dantur Curatores omnibus feminis, virginibus & viduabus, etiam extraneis in Saxonia negotium gesturis. Personæ tamen illustres jurisdictionem habentes, & Ecclesiasticæ jam jure Germanorum medii ævi fuerunt exceptæ, & nunc excipiuntur. Vid. Schilterus *Ex.* X. §. 18. Nescio tamen an ad has referam chartam antiquam, ab Alamannis Rege Carolomanno scriptam, in qua Cotauvina, *ancilla Dei* donat, tutore aut non adhibito, aut certe ejus nomine non indicato, quod hodie tamen requiritur,

tur, si donatio rata esse debeat. Indicavit eam Goldastus in notis ad Dosithei fragmenta, & digna est, quæ hic legatur: *In Dei nomine: ego Cotauvina ancilla Dei, dono atque trado monasterium Sancti Galloni, ubi ejus sacrus requiescit corpus. Et hoc est, quod ego in Lutinach visura sum habere, & in alio loco, qui dicitur Bessindorf, & in locis, campis, silvis, & omnia, quæ inibi visura sum habere, & casatos tres his nominibus, Ragingerius cum infantes suos, his nominibus Reghero, Wantilone, Waltricho, & uxore sua Fastrata, & filio eorum Wolfrido, & servo ejus Isamberto, & alio servo nomine Woto & Haccone, qui est in concambio cum Wichardo, si redimere se vult, det alium mancipium XI. manuum longum. Hi sunt testes, qui præsentes fuerunt & signaverunt. Sig. Cotauvinæ, qui hanc traditionem fieri rogavit. Sig. Wichardi SIG. TUTO. sig. Wotahar, sig. Amalger, sig. Theotbald, sig. Malcrot, sig. Tuslo, sig. Wolfherti, sig. Asthari.*

Ego itaque Albuinus clericus rogatus ab Cotauvina hanc cartam scripsi sub die VII. Kal. Octob. in anno 1. Regnante Carolomanno Rege.

§. VII.

Officium tutoris dativi (maritus enim dominus & legitimus administrator est) pariter ac apud Romanos, non consistit in rebus administrandis, sed interponenda saltem auctoritate, sive integranda persona mulieris fragilis & multis captionibus obnoxiæ. Consensus ille apud Saxones (1.) specialis esse debet, (2.) non verus tantum, sed & expressus, (3.) tempore celebrati negotii interpositus; anticipatus vel ex intervallo per ratihabitionem additus nil operatur. Carpzov. *p.* 2. *c.* 15. *def.* 30. 31. Quæ sententia licet juris Romani subtilitatibus conveniat, ab ea tamen non immerito recessit Berger. *in Elect. proc. execut.* §. 18. *p.* 22. Rivinus *ad Ord. Proc. t.* 8. *enunc.* 38. & Titius *in Jure privato lib. VI. c.* 19. §. 9. quos in responso secuti sunt Jurisconsulti Halenses apud Stryck. *in Us. mod. lib.* 26. *tit.* 8. §. 3. Haud dubie enim illa tantum apud Germanos obtinent; quæ ex æqui-

æquitate naturali, & indole officii curatorii deducuntur; Actus autem legitimi pariter ipsis incogniti fuerunt; quam regula, quod nullus tertio acquirere, nec tertium obligare queat. In Hollandia plane & Frisia, ubi consensus mariti solennitatis causa non adhibetur, sufficit maritum in universum uxori potestatem rerum suarum fecisse; aut scientem & præsentem non contradixisse; vel negotium ratihabitione sua firmasse *arg. l. 5. C. de Nuptiis. l. ult. C. ad SCt. Maced.* Sande *lib. 2. tit. 4. def. 4.* Rodenburg *de Jure conjug. tit. 3. cap. 1. n. 15.* Herbaj. *rer. quot. cap. 13. §. 18.* Ceterum negotia consensu curatoris celebrata valida sunt, ex iisque femina efficaciter conveniri potest. Sine curatore celebrata nulla sunt, nec naturaliter obligatur mulier: quia par ejus & pupilli est ratio; cujus obligationem naturalem, si quæ subest, lex positiva reprobat; ut tamen fidejussores teneat obstrictos, & ipsa, si locupletior facta, civiliter teneatur. *arg. l. 5. pr. D. de Auct. tut. l. 41. D de Cond. indeb.* Carpzov. *d. c. def. 7.* Grot. *Manud. ad Jurispr. l. 1. c. 5. n. 38.*

§. VIII.

Verum, quo magis indoles hujus tutelæ Germanicæ elucescat, age, eam cum tutela, & cura illa, cui jure Romano minores, prodigi, furiosi, & his similes subjecti sunt, componamus; sic enim diversa longe potestas se ipsam ostendet, nec a tutela Romana, nec a cura ad hodiernum jus maritorum vel curatores sexus recte trahi argumentum, liquebit. Æquiparantur quidem hoc respectu mulieres minoribus, adeo ut in Statuto Hamburg. P. 1. tit. 9. art. 1. dicatur; omnes uxores & virgines pro minorennibus haberi: certum tamen est, in multis feminas a minoribus differre. Mevius ad Jus Lubecense *l. 1.* tit. 7. art. 4. quatuor tantum differentias dedit, at plures, nisi fallor, dedisse oportebat. I. esto, quod minor curatorem non habens valide contrahit, femina sive habeat nec ne, nihil agit, sine curatoris consensu. II. Curator cum minore contrahere non potest: noster mobilia recte a muliere emit; maritus etiam

quemadmodum Romæ ab uxore emere & commodato accipere poterat, sic magis jure hodierno: Novi tamen curatoris auxilio sic eam indigere vult Carpz. *dict. c.* 16. *def* 23. 24. III. Bona minorum non nisi urgente æris alieni necessitate & decreto Magistratus alienari possunt. At mulier majorennis solo tutoris, vel mariti consensu valide vendit, donat, alienat. Carpz. *p.* 2. *c.* 23. *dec.* 31. Mev. *ad Jus Lub. d. l. n.* 8. IV. Curatores sub finem administrationis ad rationes reddendas, minoresque indemnes præstandos tenentur: Noster autem tutor ad neutrum tenetur; nec quidem officii nomine, si dolus absit, conveniri potest. Argentræ *ad consuetud. Britan. art.* 410. *gl.* 2. Unde post Christineum *ad Leg. Mechl. tit.* 9. *art.* 1. & Mornacium *ad l.* 21. *C. de Proc.* Neostadius scribit: Rem pupilli salvam esse debere, mariti vero, qui liberos suscepit, potestate rem mulieris universam absorberi posse, si pactis nuptialibus aliud non sit cautum, *de pactis antenupt. Obs.* 9. Hinc V. fluit, nec ad inventarium teneri tutorem, quia non administrat. Adeo ut nec in marito repertorii sit usus, si dos certa sit, & testibus aut instrumentis probari queat; sin secus, catalogum illatorum negare uxori foret iniquum. VI. Bona curatorum minoribus pignore legali devincta sunt: mulieri tacitum pignus non competit; nec in bonis mariti, pro dotis restitutione. Sande *lib.* 2. *tit.* 4 *def.* 1. Frantzk. *p.* 1. *res.* 17. *n.* 68. Berlich. *p.* 1. *concl.* 67. *n.* 25. VII. Curatores inviti ad curam suscipiendam coguntur, hoc munus regulariter invitis non defertur. Muller *l.* 4. *Semestr. c.* 23. Carpzov. *dicta c. XV. def.* 28. Porro VIII. si pupillus condemnatus, non fit executio in bonis tutoris: in bonis mariti executio fieri potest; nisi aliter ante nuptias conventum. Abrah. a Wesel *ad nov. const. Ultraj. art.* 6. *n.* 16. IX. Sequi tutorem, qui domicilium mutat, pupillus non tenetur: uxor maritum, quocunque migret, sequi debet. Covarr. *de matrim. p.* 2. *c.* 7. *n.* 5. X. Curator alieno tantum negotio adest, maritus suæ utilitatis causa, ut dominus vel usufructuarius

ctuarius Carpz. *p.* 3. *c.* 25. *d.* 6. XI. Hinc actum invalidum reddere potest sua auctoritate, non ille, qui solennitatis gratia tantum adest. Minores præterea læsi XII. ex suis contractibus consentiente curatore initis, in integrum restituuntur. At mulieres majorennes non restitui cum Mollero, Rauchbar & Berlichio existimat Carpzov. *d. c. def.* 33. Faber in *C. l.* 4. *t.* 21. *d.* 4. & Mevius ad Jus Lub. *d. l. n.* 11. In alia omnia tamen abivit A. C. Jacobi, necessitatem habendi curatorem opponens, qua feminæ minoribus exæquantur, in *diss. inaug. de in integr. restit. mul. cap.* 2. *habita Witteb. a.* 1671. Adstipulatur huic Cl. Schilterus *Exerc. ad D. XI.* §. 9. & ostendit, non tantum Imperatores Honorium & Theodosium in *l.* 3. *C. Th. de in int. rest.* quæ a Justiniano in *l.* 8. *C. de in int. restit. min.* castrata est, mulieribus consultum ivisse, sed & ex Rogerii Regis & Friderici Imperatoris constitutionibus, eas, si non modice & in judicialibus læsæ fuerint, in integrum restituendas, id quod moribus ad extrajudicialia sit extensum. Vid. Richter *dec.* 27. *n.* 33. & *vol.* 2. *consf.* 484. *n.* 9. Carpzov. *proc.* 13 1. 194. & *p.* 1. *c.* 26. *D.* 23. Abusum tamen restitutionis in feminis, non ferendum esse, docuit Mev. *p.* 1. *dec.* 134. & 218. Lyncker. *dec.* 453. & verius est, a minore ad mulierem illationem non valere. XIII. Minor curatore eodem in omnibus uti debet: mulier vero, quamvis Curatorem generalem habeat, ad hunc illumve actum eligere specialem potest. Lynck. *dec.* 1466. XIV. Denique multarum feminarum curator quis esse potest, etiam actricis & reæ; non vero plurium maritus. Lynck. *dec.* 512.

§. IX.

Missis differentiis, nunc ad negotia progrediamur, in quibus Curatoris consensus requiritur, vel non. Apud Romanos, supra vidimus, mulieri auctoritate tutoris opus fuisse, si lege vel judicio agat, si se obliget, si nubat, dotem dicat, testamentum condat, manumittat, hereditatem adeat, rem mancipi alienet, tutelam liberorum suscipiat, & ut ge-

neraliter dicam, si quodvis civile negotium gerat. At quia mores Germanorum his per omnia non respondent, Curator mulierum *ad litem*, ab eo, qui *ad negotia* datur, & in hoc rursus Jus Saxonicum commune, ab Electorali probe distingui debet. Ad negotia judicialia indistincte Curator olim requisitus est. Speculum Saxon. lib. II. art. 63. *Es mag kein Weib Vorsprech sein, noch ohne Vormunden klagen. Das vorwirckte Ihn allen Calphurnia, die vor dem Richter misbarte vor Zorn, do ihr Will an vorsprechen nicht mogt fortgeben.* Ineptit Auctor Speculi, Ecco de Repkaw, vel quod proprium ejus nomen, Eyke van Ribikouwe, quando originem hujus prohibitionis ex *l.* 1. §. 5. *D. de Postul.* petit. Verba Ulpiani: *Origo introducta est a Carfania, improbissima femina, quæ inverecunde postulans, & Magistratum inquietans, causam dedit edicto.* Sic Florentiæ legitur. Alciatus *C. Afrania* restituit ex Valerio Maximo lib. VIII. cap. 3. §. 2. in antiquis autem libris fere *Calphurnia* habetur. At non ex Jure Romano Saxones hoc recepere, nam & diu, ante ejus receptionem, Longobardorum aliarumque Gentium Germanicarum hoc fuit institutum, ut mulieres sine curatore personam standi in judicio non haberent, quod vel ex unico *K. und K. Land-Recht. IV. art.* 58. constat. Adhæc Prætoris edictum tutorem non exigit, nec mulierem pro se postulantem repellit. Magis autem ineptit interpres illorum verborum Latinus, quod verbum *misbarte* explicat: *Quæ sexus verecundiam coram Rege ostendit*, id est partem, qua mulier erat, quam Pontifex alicubi similiter *pudentiam* appellavit. Pudet nugarum! Vel sola sexus imbecillitas, & litis pericula, tum cura rei familiaris, pudor item & verecundia (unicum & optimum feminarum ornamentum) castos movere potuit Germanos, ut a tribunalibus filias uxoresque arcerent. Quibus alia adhuc ratio accedebat, quod mulier negans dicta aut pacta esse, quæ confessa erat aut egerat coram judice, non poterat convinci, neque ex protocollo, neque per testes, aut Scabinos; quia jus non al-

jusse,

luisse, & in circumstantiis facti sine Curatore læsa fuisse præsumebatur. *Spec. Sax. l.* 1. *art.* 46. quem illustrat Schilterus *Exerc. X.* §. 20.

§. X.

Jure Saxonico hodierno expeditum est, feminam ne pro se quidem postulare, nec se defendere sine curatore posse. Carpz. *p.* 1. *c.* 1. *def.* 30. & *de jure fem. sing. dec.* 3. *pos.* 1. Idem Jure Wurtenbergico cautum tradit Schutzius in *comp. Lauterb. pag.* 98. De jure Lubecensi Mevius ad *p.* 1. *tit.* 7. *art.* 1. *n.* 18. De Gelria, TransIsulania & vicinis provinciis Sande *lib. II. tit* 4. *def.* 3. De Gallis, Hispanis aliisque Wibelius *de Contract. mulier c. I. n.* 36. 47. & *cap.* 3. *n.* 253. ubi plures laudat, & inprimis ex Busio confirmat, moribus Germaniæ pleræque & Belgicæ, postulare pro se non posse mulierem, nec ad actum voluntariæ quidem jurisdictionis, eam legitimam standi in judicio personam habere. Adde Coler. *I. decis.* 12. Maurit *p. I. cons.* 2. *n* 13. Lyncker. *decis.* 1308. ubi præjudicium. Aliquando autem mulier negotia judicialia sine curatore tractat, ut causas criminales & matrimoniales. Voet. ad *tit. de judic. n* 17. Mev. *p. IX. dec.* 16. & maxime Berger *ad Ord. Proc. tit.* 8. *Obs.* 4. Sine eo quoque condit in judicio testamentum, fert testimonium, offert se ad jurandum, jusjurandum præstat, & appellationem interponit. V. Jacobi *dict. diss. c.* 4. §. 15. 16. 17. Quod si etiam copia curatoris haberi non potest, actus judicialis, sola muliere præsente, celebratur Mev. *p.* 2. *dec.* 206. Lynck. *decis.* 1398. Ceterum mulieri, curatorem ad litem non habenti, judex ex officio dat: quod si maritus uxorem heredem instituit, & curatorem testamento nominavit, is confirmatus a judice ad litem admittitur. Mev. *p.* 2. *dec.* 168. Quod ad maritum attinet, jure Romano uxor sine eo, in causis propriis, in judicio subsistere potuit; sic ut maritus pro uxore, & contra non conveniretur, *tit C. Ne uxor pro mar.* hinc uxor litem suam marito mandasse proponitur. *l.* 14. *C. de Procur.* At jure Longobardi-

co actus mulieris in judicio susceptus, tum demum stabilis erat, si consenserat maritus, quemadmodum glossa explicat *legem* 2. *tit. X. lib.* 2. Et praxis quotidiana abunde docet, maritos sive actio intentanda, sive per alios mota excipienda sit, sive jus agendi stante matrimonio competere cœperit, sive nuptiis vetustius, uxores a maritis defendi, sicut æquum id putavit Justinianus. Mynf. *c.* 3. *Obs.* 53. Brunn. *ad l.* 21. *C. de Proc.* Goris *Advers. tract.* 1. *c.* 4. *n.* 5. Christineus *ad cons. Mechlin. tit.* 9. *art.* 1. Apud Saxones autem prius a Magistratu curator dandus, cujus interventu lis vel causa ab uxore marito demandatur. Carpz. *p. I. c.* 1. *D.* 31. 32. Richt. *I. dec.* 27. *n.* 21. quod culpat Mev. ad Jus Lub. *lib. I. tit.* 10. *art.* 3. *n.* 18. & rectius Ziglerus uxorem, una cum marito in judicio præsentem, lites expedire posse tradit, *ad Ord. Proc. tit.* 8. Alibi etiam, ubi jus civile viget, nisi statutum vel consuetudo specifice probetur, causas suas absque curatore in judicio mulieri peragere licet. De Marchia Stryck. *Us. mod. lib. III. tit.* 1. §. 5. & de Ducatu Brunsuicensi *in notis ad Laut. tit. de pactis.* Tantum de judicialibus.

§. XI.

Quod ad extrajudicialia, jure Saxonico communi, uxores ubique curatoris consensu indigent, viduæ & virgines non item, quod retentum videtur ex jure Saxonum antiquo, lib. 1. art. 45. *Magde oder unbemante Weiber mögen wol verkaufen ihr eigen, ohne ihres Vormunds Urlaub, er sey dann Erbe dazu.* In Electoratu Saxonico autem, ut & apud Lubecenses, Hamburgenses, aliosque innuptæ pariter ac nuptæ hactenus minoribus comparantur, quod nullum actum sive contractum, quo patrimonium minui solet, sine Curatore celebrare possunt. Prohibentur ergo vendere, permutare, donare, bona hereditaria aut alias communia dividere, juribus suis renunciare, mutuam pecuniam accipere, debitum creditori solvere, aut debitorem suum ab obligatione liberare, compromittere, transigere, pactum de

de non petendo facere, fidejubere, res suas pignori dare, aut hypothecæ subjicere, in simultaneam investituram aliquem recipere. Mevius *ad Jus Lub. lib. I. tit.* 10. *art.* 3. *n.* 13. & *part. V. dec.* 190. Carpzov. *p.* 2. *c.* 15. *d.* 2. 3. Lyncker. *dec.* 1016. 1041. 1141. 1406. Adeo ut ex hujusmodi contractibus neque maritus neque uxor, stante aut soluto matrimonio conveniri queant, sed contractus sit ipso jure nullus. Carpz. *d. C. d.* 1. 4. 5. Sande *lib.* 2. *tit.* 4. *def.* 3. Leeuwen *cens. for. p. I. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 6. Licet mulier renunciaverit formæ a Statuto inductæ, vel juraverit; nec enim juri publico totius sexus sequioris favorem concernenti, renuntiatione privata aut jurejurando derogari potest, *arg. l.* 5. *C. de LL.* Canones tamen religionem jurisjurandi tuentur Gail. 2. *O.* 39. sed quia hujus vis personam jurantis tantum afficit, ejus heredibus nullitatis querelam concedit Carpz. *p. I. C.* 15. *def.* 1. quod præjudicio eodem firmat Philippi *ad decis.* 59. *Obs.* 1.

§. XII.

Est tamen ubi uxor sine marito, & mulier soluta sine expresso Curatoris consensu contrahit, se obligat, & de extrajudicialibus negotiis valide disponit. Nam si (1.) ab alio stipulata sit, aliove modo obligationem unilateralem acquisiverit, exemplo pupilli sibi emolumentum parabit: *pr. I. de auct. tut. l.* 14 *C. de Procur.* Myns. *c.* 2. *Obs.* 34. (2) Ad actus ultimæ voluntatis curatore non est opus, quia nullus læsionis est metus, & dispositio fit in casum mortis, post quam re nulla eget. Berl. *p.* 2. *concl.* 17. *n.* 18. Singulari tamen Niverniæ consuetudine, mariti auctoritas in testamento uxorio requiritur, quam miratur Mornacius *ad auth. Sive a me C. ad. Sct. Vellej.* Sed satis eam ratione niti, Molinæus *ad cons. Alex.* 155. existimavit, & similem Eugubii, in Italia, obtinere Pancirol. 1 *lect.* 92. testatur. (3.) Cessat auctoritas in donatione mortis causa, siquidem hæc liberalitas ob revocandi potestatem gravius præjudicium non parit, quam testamentum, legato comparatur, & morte demum

demum confirmatur. *l.* 15. *l.* 32. *l.* 37. *D. de M. C. donat.* Muller. *ad. C. Sax. p.* 2. *c.* 15. *n.* 74. Dissentit Schilter. *Ex.* 43. *th.* 31. Sande *lib.* 2. *tit.* 4. *def.* 4. *ibique allegati.* Præterea (4.) vitium habet regula in muliere mercatrice, sive principaliter contraxerit, sive fidejusserit intuitu mercaturæ, sive delegari se ob mercaturam passa sit, sive mutuum ad mercaturam acceperit, sive merces in quibus negotiatur pignori obligaverit; sive minorennis, sive majorennis sit. Ita jure Bremensi, Coch *in synopf. Stat. Reip. Brem tit.* 3. *n.* 1. Lubecensi *lib. I tit* 10. *art.* 1. ibique Mevius *n.* 57. *seqq.* Hamburgensi *p* 2. *tit.* 8. *art.* 1. Saxonico, *Novell. Elect. Augusti l* 2 *const.* 15. Prussico *l.* 1. *tit.* 24. *art.* 13. Bavarico apud Schilter. *Ex.* 28. §. 6 *lit. a.* Frisico, *lib. I. Ord. tit.* 2 §. 2 Belgico, Regner *ad tit. de SCt. Vellej.* Norico, Rittershuf. *ad Novell. p.* 1. Feminæ (5.) in rebus ad œconomiam pertinentibus libere negotiantur, valideque sine curatoris aut mariti consensu obligantur. Wibel. *de Contract. mul. c.* 4. *n.* 292. Grotius *Manud l.* 1. *c.* 5. *n.* 38. Personæ item illustres (6.) quæ territoria gubernant, & a Consiliariis sunt instructæ, curatore non indigent. Carpz. *p.* 2. *c.* 15. *def* 9. Lyncker. *dec.* 797. Ludolph *de jure fem. illustr. Sect.* 1. §. 25. Excipiuntur (7.) mulieres sine curatore dolum committentes vel delinquentes, licet pœna pecuniaria solvenda sit, *l.* 2. §. 3. *ad SCt. Vell.* Herbaj *rer. quot. c.* 13. §. 15. Carpzov. *dict. c.* 15. *def.* 17. Idem est, ubi ex re venit obligatio, Huber *ad tit. D. de tutel. n.* 17 Rata (8.) firmaque mulieris est promissio, ad pias causas, vel in id interposita, ut a captivitate vel carcere maritus liberetur, *arg. l.* 21. *in f. C. de SS. Eccl.* Lyncker. *dec.* 783. Mev. ad Jus Lub. *lib.* 1. *tit.* 10. *art.* 3. *n.* 45. Si curator (9.) id quod mulier utiliter & ex re sua gessit, nolit ratum habere, æquum est, judicem auctorem fieri, nec curatoris aut mariti malignitas ferenda est, sine causa recusantis: alius etiam curator, ad consentiendum mage proclivis, peti potest. Sande *lib.* 2. *tit.* 4. *def.* 4. Mulier sine curatore (10.) recte matri-

matrimonium init, Carpz. *Jurispr. Eccl. lib.* 2. *tit.* 3. *def.* 46. 74. Moller. *lib.* 3. *Semestr.* 35. *n.* 2. adeoque etiam (11.) pacta dotalia, tanquam accessoria, conficit Carpz. *dict. c. def.* 10. 11. & p. 3. *const.* 20. *def.* 2. Mev. ad Jus Lub. *lib.* 2. *tit.* 2. *art.* 12. *n.* 385. (12.) jus patronatus exercet. (13.) ex pacto retractus, vel præcepto testatoris res vendit. Tiraquell. *in LL. connub. gloss.* 8. *n.* 104. Valet etiam (14.) contractus præsentibus cognatis, vel secundum morem regionis initus, Lynck. *dec.* 1053. Carpz. *d.* 18. Tusch. *Pract. concl. tom.* 7. *lit. S. concl.* 599. *n.* 27. nec non (15.) inter matrem & liberos celebratus, Lyncker. *dec.* 10 9. (16) Virgo vel vidua majorennis alienare potest mobilia infra 500. aureos. Carpz. *d. c. def.* 15. marita vero consensum mariti adhibere tenetur. Kœppen *l.* 1. *O.* 100. *n.* 21. (17.) Jure Saxonico communi virgines vel viduæ sine curatore libere contrahere possunt. Coler. *decis.* 67. *n.* 41. Richter. *dec.* 27. *n.* 22. ubi præjudicium, ut & apud Lyncker. *dec.* 1414. Denique (18.) quamdiu Statuto vel consuetudine, juri communi Romano derogatum fuisse non apparet, extra Saxoniam; contractum mulieris, ex defectu curatoris, impugnari haud posse, tradit Mev. *p. III. dec.* 335. Ut adeo ex hoc exceptionum cumulo constet, vere scripsisse Beyerum in *Specim. jur. Germ. l.* 1. *c.* 27. *n.* 39. *Totum hoc curæ muliebris negotium, cum magno apparatu suo, propemodum in ludibrium abiisse, ejusque abrogationem in universum optasse Status Provinciales Saxonicos, ex rationibus gravissimis.*

§. XIII.

Nihilominus ut telam cœptam pertexamus, modos subjicere necessum erit, quibus curatorum nostrorum potestas finitur. Quomodo Mundualdus olim, si mulierem invitam desponsaverat, aut vim ei inferri passus fuerat, aut crimen adulterii intulerat, mundium amiserit, in LL. Langob. *lib.* 2. *tit.* 11. traditur. Hodie dativi desinunt (1.) morte mulieris vel curatoris (2.) delicto graviore, quo illa vel hic civitate ejicitur, aut infamiam incurrit (3.) perfidia (4.)

Ii mu-

mutuo consensu (5.) novo adscito curatore, (6.) legitima excusatione (7.) finito negotio, ad quod quis specialiter datus (8.) Nuptiæ proprie non solvunt curam, sed ejus solvendæ occasionem præbent. Vide Jacob. *d. dissert. c.* 7. Cura *maritalis* cessat (1.) morte alterutrius (2.) matrimonio per divortium dissoluto, vel (3.) propter incestum, impotentiam, similemve causam nullo declarato (4.) si marito publice bonis interdicatur (5.) durante separatione thori & mensæ, Rodenburch *de Jure conj. tit.* 3. *c.* 1. *n.* 14. (6.) Furore superveniente, nuptias aut maritalem potestatem non quidem perimi constat, *l.* 22. §. 7. *D. Sol. matr.* nec tamen uxor invita curatori marito subjicietur, *arg. l.* 25. *C. de Nupt.* sed vel alio curatore interim adscito, sua negotia seorsim curabit; vel petet, ut sola, aut cum aliis proximis sanguine junctis, bonorum mariti curatrix creetur publica auctoritate, *arg. l.* 4. *C. de Cur. fur. & aliis* Christineus ad Mechlin. *tit.* 9. *art.* 4. *n.* 24. Tiraqu. *de LL. connub. gloss.* 8. *n.* 32. *seqq.* Quid si (7.) pactum de minuenda potestate maritali initum? Ad bona quod attinet, valere dicendum videtur, veluti *ne vir sit curator uxoris*, quod jure civili esse non potest. Si vero id agitur, *ut auctoritas maritalis cesset*, qualia in Hollandia pacta dotalia concipi, testatur Huberus *ad tit. de Pact. dot. n.* 4. imperandi ac parendi ordinem everti dicendum est: nisi forsan marito cesserit matrimonium in servitutem pœnæ, quæ capitis diminutionem inferre solet. Ego vere monitos a Catone putem viros, ne frænos dent impotenti naturæ, & indomito animali, extemplo enim, simul ac pares esse cœperint, superiores erunt.

TANTUM!

DIS-



DISSERTATIO QUINTA, DE PERJURIO PER GENIUM PRINCIPIS, AD


L. XIII. §. *6. D. de Jurejurando.*

DE perjurio per Genium Principis, anceps & late diffusa est disputatio, quam attigerunt pauci, universim ac certo ordine tractavit nemo. Bonum itaque factum putavi, si in hac nobilissima Juris Romani, publici pariter ac privati parte, pro virili aliquid elaborare conarer. Una enim face non modo pulcherrimum Ulpiani caput, binasque Principum constitutiones sic illustrari; sed & variis, maxime Historiæ Augustæ auctoribus, lucem accendi posse judicabam. Liquebit item ex his, nisi fallor, quam erronee multi, cum Innocentio Cironio, putarint, Romanis fas non fuisse, per Principis Genium, Salutem & Imperium jurare. Evincemus etiam; quam parum accurate Grotius & Pufendorfius, diras in Principem hac formula comprehendi existimarint. Quum revera σεμνὸν μυστήριον, gravissimum Principatus Romani mysterium fuerit; quod fœda adulatio genuit, & Imperatorum fastus evexit. Prima nobis cu-

mutuo consensu (5.) novo adscito curatore, (6.) legitima excusatione (7.) finito negotio, ad quod quis specialiter datus (8.) Nuptiæ proprie non solvunt curam, sed ejus solvendæ occasionem præbent. Vide Jacob. *d. dissert. c.* 7. Cura *maritalis* cessat (1.) morte alterutrius (2.) matrimonio per divortium dissoluto, vel (3.) propter incestum, impotentiam, similemve causam nullo declarato (4.) si marito publice bonis interdicatur (5.) durante separatione thori & mensæ, Rodenburch *de Jure conj. tit.* 3. *c.* 1. *n.* 14. (6.) Furore superveniente, nuptias aut maritalem potestatem non quidem perimi constat, *l.* 22. §. 7. *D. Sol. matr.* nec tamen uxor invita curatori marito subjicietur, *arg. l.* 25. *C. de Nupt.* sed vel alio curatore interim adscito, sua negotia seorsim curabit; vel petet, ut sola, aut cum aliis proximis sanguine junctis, bonorum mariti curatrix creetur publica auctoritate, *arg. l.* 4. *C. de Cur. fur. & aliis* Christineus ad Mechlin. *tit.* 9. *art.* 4. *n.* 24. Tiraqu. *de LL. connub. gloss.* 8. *n.* 32. *seqq.* Quid si (7.) pactum de minuenda potestate maritali initum? Ad bona quod attinet, valere dicendum videtur, veluti *ne vir sit curator uxoris*, quod jure civili esse non potest. Si vero id agitur, *ut auctoritas maritalis cesset*, qualia in Hollandia pacta dotalia concipi, testatur Huberus *ad tit. de Pact. dot. n.* 4. imperandi ac parendi ordinem everti dicendum est: nisi forsan marito cesserit matrimonium in servitutem pœnæ, quæ capitis diminutionem inferre solet. Ego vere monitos a Catone putem viros, ne frænos dent impotenti naturæ, & indomito animali, extemplo enim, simul ac pares esse cœperint, superiores erunt.

TANTUM!

DIS-



DISSERTATIO QUINTA, DE PERJURIO PER GENIUM PRINCIPIS, AD

L. XIII. §. *6. D. de Jurejurando.*

DE perjurio per Genium Principis, anceps & late diffusa est disputatio, quam attigerunt pauci, universim ac certo ordine tractavit nemo. Bonum itaque factum putavi, si in hac nobilissima Juris Romani, publici pariter ac privati parte, pro virili aliquid elaborare conarer. Una enim face non modo pulcherrimum Ulpiani caput, binasque Principum constitutiones sic illustrari; sed & variis, maxime Historiæ Augustæ auctoribus, lucem accendi posse judicabam. Liquebit item ex his, nisi fallor, quam erronee multi, cum Innocentio Cironio, putarint, Romanis fas non fuisse, per Principis Genium, Salutem & Imperium jurare. Evincemus etiam; quam parum accurate Grotius & Pufendorfius, diras in Principem hac formula comprehendi existimarint. Quum revera σεμνὸν μυστήριον, gravissimum Principatus Romani mysterium fuerit; quod fœda adulatio genuit, & Imperatorum fastus evexit. Prima nobis cu-

ra erit, ut indolem perjurii recte eruamus. Deinde Jusjurandum per Genium Principis pressius considerabimus: postremus vero locus pœnam perjurii, satis obscuram, per distincta temporum intervalla, complectetur.

Favete, adeste æquo animo, & rem cognoscite.

CAPUT I.

NATURAM PERJURII EXPONIT.

§. I. *Perjurii vox unde. Pejerare & falsum jurare diversa.* II. *In quibus speciebus perjurium fiat, in quibus non. Hugo Grotius notatus.* III. *Sceleris hujus fœditas & rationibus, & testimoniis demonstrata.* IV. *Cur Romæ id frequens apud mercatores, testes, amantes, immo omnes. l.* 8 *D. de Cond. & dem. illustratur.* V. *Nec tamen abusus jurisjurandi sustulit ejus usum, Reip. necessarium. Paulo Apostolo & Cajo lux.* VI. *Religio & metus sacer jurantibus injectus. Quid sit corporaliter jurare. Manus levandæ antiquitas.* VII. *Stante Republica per Deos, sed maxime per Jovem, post vero per Genium Principis juratum.*

§. I.

Hominis perjuri indolem, ut recte percipiamus, prius nosse oportebit, unde perjurii nomen descendat. Ipsa enim vocis compositio falsum quiddam ac præposterum nos cogitare jubet: nam ut apud Græcos παρα in compositis vitium aliquando notat; sic & ab eo derivata præpositio *per* Latinis, rarius tamen, pravitatem indicat, ut in *perfidus*, *perfuga*, *perversus*: similiter ac *ver* apud Germanos, in *Verschweren*, *Verkehren*, *Vermachen* & ejusmodi aliis. Plautus *jusjurandum malum* appellavit; Horatius *sacramentum perfidum* & *jus pejeratum*. Græcis ἐπίορκον & ἐπιορκία vocatur; ὅρκον διαβαίνειν est jurisjurandi fidem violare, perjurum fieri. In diversa autem abierunt Porticus magistri, quid sit τὸ ἐπιορκεῖν; Cleanthes illum perjurare docebat,

cebat, cui propositum non esset id efficiendi, quod jurato promiserat. At longe aliud sedit Chrysippo, nam Sermone de perjurio, distinxit inter ἐπιορκεῖν & ψευδορκεῖν; qui enim jurat, duo, inquit, præstare debet, primum ut verba animo respondeant, quod ἀληθορκεῖν vocat; alterum, ut factum congruat verbis, quod idem εὐορκεῖν appellat, apud Stobæum serm. 28. Qui in illo peccat ψευδορκεῖν, qui in hoc ἐπιορκεῖν dicitur: satis distincte! quanquam confundi interdum hæc solent, ait Grotius *lib. II. de J. B. & P. c.* 13. §. 13. & *ad Matth. V. ỳ.* 33. Cicero lib. III. de Offic. c. 29. inter falsum jurare & pejerare discrimen ponit, Chrysippum secutus: *Non enim falsum jurare*, inquit, *perjurare est: sed, quod ex animi tui sententia juraveris, sicut verbis concipitur, more nostro, id non facere, perjurium est.* Similem ferme in modum Nigidius Figulus inter *mentiri & mendacium dicere* distinguit, apud Gellium lib. XI. Noct. Att. c. 12. & Polybius lib. XII. Hist. c. 5. Δυο τροπυς φαμεν ειναι ψευδυς. ενα μεν τον κατα αγνοιαν, ετερον τον κατα προαιρεσιν. *Duplex esse mendacii genus dicimus: unum, quod ab ignoratione veri proficiscitur: alterum, quod a certo animi proposito mentiendi.*

§. II.

Describi posset perjurium, quod sit provocatio vindictæ divinæ, sub conditione mendacii aut perfidiæ facta, ubi mentimur, aut fallimus, aut fallendi propositum habemus. Quamdiu inter homines non constat, mentitum aut perfidum esse jurantem, jusjurandum est: ubi vero perfidia detecta perjurium habetur. Utrosque & qui veritatem non loquuntur, & qui promissa non præstant, in crimen hoc incidere manifestum est. Falsi testes, & circa singularem actum jurejurando se adstringentes, quique relaxationem sacramenti, ex causa justa præstiti, a Superiore petunt, huc pertinent omnino. Plaut. in Querulo: *Pejerat sæpe qui tacet. Tantum est enim tacere verum, quantum & falsum dicere.* Qui servatis verbis exspectationem eorum, quibus juratum est, decipiunt, perjuri sunt. Sed & si per falsos Deos suos

 quis

quis pejerat, ut Mahummedanus per Mahometem, in suam injuriam Deus verus id factum interpretatur. *l.* 5. §. 1. *D. de Jurej.* Non enim, Liber Sapientiæ cap. XIV. ℣. ult. ait, *juratorum virtus, sed peccantium pœna perambulat semper injustorum prævaricationem.* Econtrario cùm jusjurandum requirat, ut animo deliberato de re licita & possibili sit susceptum, consequitur eos, qui mentis compotes non sunt, aut animum jurandi non habent, perjuros non esse. Qui enim ex animi sui sententia jurarunt, & scientes fallunt, demum perjuri sunt, *l.* 26. *D. de Jurej.* Cicero Acad. Quæst. *Quam rationem majorum comprobat diligentia, qui primum jurare ex animi sui sententia quemque voluerunt, deinde ita teneri, si sciens falleret.* Plane jurata stipulatio dolo, vi metuve elicita, ob defectum consensus, jure naturali nulla est: nec enim errans, si scivisset, rem ita se non habere, erat juraturus; nec injuste coactus obligatur; quia latro v. gr. jus acceptandi non habuit. Secus est, si hostibus publicis, licet ob vim majorem, aliquid promissum; his enim in statu naturali collocatis, ob defectum judicis, metus exceptio opponi non potest. Repudianda igitur est Viri Summi, Hugonis Grotii doctrina, *lib. II. cap.* 13 §. 15. existimantis, conscientiam ejus, qui metu majoris mali juravit, coram Deo obstringi; licet perjurus in piratam aut latronem ab hominibus non puniatur. *lib. III. c.* 19 §. 5. Velim namque aliquis mihi dicat, quo colore Deo, tanquam testi & vindici tertio, aliquid hic promittatur? Et nonne vinculum accessorium ex valore rei principalis est dijudicandum? Nonne tota jurisjurandi vis cadit, ubi obligatio nulla est? Nonne sic alias rapinæ stabiliuntur, & via ad quævis scelera munitur? Grotium tamen Huberus, Struvius, Carpzovius sequuntur; etiam Schilterus *lib.* 1. *Instit. Jur. Canon. tit.* 5. §. 8. juramentum dolo obtentum tenere, ex 2. *Sam. XXI.* 1. 2. constare putans. Verum Josua & Primores, cognita Gibeonitarum fraude, post triduum jusjurandum irritum prius ratihabuerant, id vero deinde a Saule non

fuerat

fuerat violandum. Egregie Cicero III. de Offic. 29. *Est autem jus etiam bellicum, fidesque jurisjurandi sæpe cum hoste servanda. Quod enim ita juratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est: quod aliter; id si non feceris, nullum est perjurium. Ut si prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si juratus quidem id non feceris: nam pirata non est perduellium numero definitus: sed communis hostis omnium; cum hoc non fides debet esse, nec jusjurandum commune.* Si quis tamen in hujusmodi opinione sit, ut ob reverentiam Dei, jacturam rei promissæ facere, quam juratam fidem destituere malit, hunc culpandum non esse putem: sicut idem Cicero dicto libro, laudavit Pomponium Tribunum, qui terrore coactus juraverat: *Tantum*, inquiens, *temporibus illis jusjurandum valebat.* Ex superioribus porro colligitur, peccati non esse reum, qui promissionem juratam, at naturæ jure, vel divino, aut humano illicitam vel impossibilem adimplere recusat: absurde quippe a Deo postularetur, uti jurantem ejusmodi puniret, si rem injustam & bonis moribus noxiam, talem, quæ nec sine scelere servari, nec sine impietate confirmari potest, intermittat. Et nulli sane jus quæritur ex comminatoriis ejusmodi juramentis, quæ animo non satis deliberato, sed in iræ furore plerumque præstantur. Unde perjuri non erant, qui Benjaminitas raptores cum raptis vivere permisere, Judic. XXI. 7. Et David pœnæ obnoxius fuisset, nisi pepercisset Nabali, quem se occisurum juraverat 1 Sam. XXV. Liquido hoc ostendit Dionysius Halicarnassensis lib. X. *Si consensum aliquem & fidem invicem dedistis, Deos fidejussores facientes, irritum & non sanctum puta, si sit contra cives & patriam, piumque, si illud violaverint. Dii enim in honestis & justis pactionibus solent accipi, non autem in turpibus & injustis.* Incautum denique jusjurandum vinculum iniquitatis esse non debere, Hippolyti exemplo discimus apud Euripidem. Is enim, cum jurasset Phædræ se facturum, quod ipsa peteret: Phædra autem incestam consuetudinem postu-

postularet, se ad hoc facinus non obligari respondit, & utut lingua jurarit, mentem tamen de adulterio & incestu injuratam tenuisse. Alia dabit Grotius *dict. cap. XIII.*

§. III.

Ceterum gravissimum scelus esse Perjurium, nemo forsan expectat, ut prolixe ostendam. Quemadmodum enim jurans ad cœli, terræ, omniumque rerum creatarum tribunal tremendum constitutus, universam naturam contra se ciet, atque beneficiis Dei præsentibus & futuris renunciat, æternis autem cruciatibus se devovet, si sciens fallat: sic non potest non ejusmodi homo, propter ludibrium, sanctissimo Numini esse infensissimus, & violatæ religionis graves dare pœnas. Accedit quod Jusjurandum totius status politici quidam est nervus, & vinculum quasi veritatis postremum; cujus ope assertionis nostræ confirmamus fidem, & non fallendi necessitatem imponimus aliis; hoc vero qui flocci facere non veretur, is nec tollere fœdera, rempublicam evertere, summa imis confundere dubitabit. Certe non tanta est ejus, qui Deos omnes negat, quanta hominis perjuri, impietas: hic enim & esse Deum, & rebus humanis prospicere, & vindicem habere oculum confitetur, jurisjurandi tamen simulatione, dum homines metuit, Deum immortalem irridet. Antiquæ tum Græcorum, apud Demosthenem, Euripidem & Æschinem, tum Romanorum formulæ satis ostendunt, plenum jusjurandum invocationem numinis & imprecationem sui continere. Plutarchus in Quæstionibus Romanis cap. 44. *Omne jusjurandum* ait, *in exsecrationem perjurii desinit.* Cum Jovem Lapidem jurabant, auctore Polybio *lib. III.* Cicerone *lib. VII. Epist.* 1. & Festo in *Lapidem*, hæc erant solennia verba: *Si sciens fallo, tum me Diespiter, Urbe Arceque salva, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.* Gravem quoque pœnam perjuris imminere singulis temporibus crediderunt gentes, vel mediocriter bonæ: adeo ut posteros etiam majorum delicta luere, secundum comminationem Jehovæ, domosque perfi-

perfidorum cum ſtirpe omni vaſtari pro certo haberent. Zacharias Propheta, furti atque perjurii nomine, peccata adverſus utramque tabulam complectitur, cap. V. ỳ. 4. *Hanc exſecrationem profero, dictum Jehovæ exercituum, ut invadat domum furis, & domum jurantis per nomen meum falſo: commoransque in domo ejus conſumat eam, & ligna ejus & lapides ejus.* Heſiodus in ἔργοις verſ. 804. Orcum inferorum Deum conjungit cum Furiis, & natum dicit ab *Eride*, in perjurorum pœnam. Homeri quoque locus ſingularis eſt, Iliad. T. ỳ. 258. cujus verba, quia Heſiodum illuſtrant, ex editione Stephani Bergleri, ſemel apponam:

Teſtis ſit nunc Jupiter primum, Deorum ſummus & optimus,
Terraque & Sol, & Furiæ, quæ ſub terram
Homines puniunt, quicunque perjurium jurarit:

Mox ỳ. 264.

Si vero quid horum perjurium eſt, mihi Dei dolores dent
Multos admodum, quot dant ei, qui in eos peccavit jurando.

Latinorum plura mihi ſunt teſtimonia, ſed illud in hujusmodi elegantiis apprime neceſſarium eſt, ne quid nimis. Unico itaque Tibullo contenti ſimus. *lib. I. Eleg. 9.*

Ah miſer! & ſi quis primo perjuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

§. IV.

Quam monſtroſum autem peccatum ſit perjurium, nimis tamen verum eſt, quod Ulpianus in l. 8. pr. D. de Condit. inſtitut. ſcribit: *Faciles ſunt nonnulli hominum ad jurandum, contemtu religionis; alii perquam timidi, metu divini numinis, usque ad ſuperſtitionem.* Semper enim fuerunt, qui vel fortunæ ſucceſſibus elati, vel mala educatione corrupti, jusjurandum exigui fecerunt; ipſumque adeo Numen Sanctiſſimum ludibrio habuerunt, ſumma ejus benignitate, & pœnarum tarditate abuſi. Lyſandrum Lacedæmoniorum Ducem, referunt Plutarchus & Ælianus, adeo nullam jurisjurandi religionem habuiſſe, ut ſuis auctor fuerit, Viros jurejurando fallendos, ſicut pueros talis. Apud Ro-

manos Laberius jusjurandum nihil aliud esse censuit, quam *emplastrum æris alieni*; Pacuvius *mantile, quo quotidianæ noxæ extergeantur*. Graviter Livius, de corruptis ævi sui moribus, lib. III. c. 20. *Nondum hæc, quæ hoc tenet sæculum, negligentia Deum venerat, nec interpretando sibi quisque jusjurandum & leges aptas faciebant, sed suos potius mores ad ea accommodabant*. Apud Plautum Ballio in Pseud. Actus I. sc. 3. ỷ. 118.

CA. *Quid ais, quantum terra tegit, hominum perjurissime,*
Juravistin? te illam nulli venditurum, nisi mihi?
BA. *Fateor.* CA. *Nempe conceptis verbis.* BA. *Etiam consultis quoque*
CA. *Perjuravisti scelesle.* BA. *At argentum intro condidi.*

Causas impietatis hujus detestandæ Hierocles in aur. carm. Pythagoræ pag. 28. seqq. varias adfert, maximam autem a jurisjurandi frequentia & Dei timore exuto petit. Et sane fatui Deos esse negabant; alii esse, sed res humanas curare non credebant, nec gratia tangi, nec ira commoveri, nec sibi exhibere negotium, nec aliis, ut Epicurus dicebat. Quorsum Ciceronis jocus pertinet ad Trebatium: *Quomodo tibi placebit Jovem Lapidem jurare, quum scias Jovem iratum esse nemini posse*? Plurimi vero Deum si & sit, & irascatur, exiguis hostiis multisque blanditiis ita conciliari sibi posse existimabant, ut pœnæ gratiam faciat, sibi vero liceat sine metu pecuniam extorquere. Mercurio plane, fraudis præsidi, unumquemque mercatorum has preces fudisse, tradit Ovidius *lib. V. Fast.*

Ablue præteriti perjuria temporis, inquit,
Ablue præterita perfida verba fide.
Sive ego te feci testem, falsove citavi
Non audituro numina vana Jovi:
Sive Deum prudens alium, Divamve fefelli,
Abstulerint celeres improba verba Noti
Et pereant veniente die perjuria nobis,
Nec curent superi, si qua locutus ero.

Da

Da modo lucra mihi, da facto gaudia lucro,
Et fac ut emtori verba dedisse juvet.

In testibus hoc vitium detestatur Juvenalis Sat. XIV. ỳ. 218.

Falsus erit testis, vendet perjuria summa
Exigua, & Cereris tangens aramque pedemque.

Omnes accusat Petronius *Satyr. cap.* 82. *Nemo cœlum putat, nemo jusjurandum servat, nemo Jovem pluris facit.* Inprimis vero amatores perjuria sua, aphrodisæa, Venerea & volatica, Jovem ex alto, & Venerem simplicesque Nymphas, velut irrita, ridere credebant; qua de re obvia sunt Ovidii, Horatii & Tibulli loca, quibus accedat Ariadnæ questus apud Catullum:

Tum jam nulla viro juranti femina credit;
Nulla viri speret sermones esse fideles,
Qui dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt,
Sed, simul ac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.

§. V.

Contra singulæ etiam ætates homines tulerunt, ut Ulpianus ait, perquam timidos, metu divini Numinis, usque ad superstitionem. Ut enim de Pelagianis, Samosatenianis, Anabaptistis, Mennonistis, Quakeris & Socini schola nihil dicam, jam olim Plato jusjurandum e judiciis & foro eliminandum esse censuit, atque in iis tantum caussis admittendum, ubi nullam utilitatem ex perjurio jurantes assequuntur. *lib. XII. de LL.* Philo item Judæus περι των δεκα λογων, utilissimum putabat fore, & naturali rationi convenientissimum, omnino a jurejurando abstinere, & sic sermoni assuescere, ut simplex sermo vim juramenti habeat. Eadem Pythagoræ sententia fuit, & Stoicorum, & Patrum Ecclesiæ, de quibus Grotius ad Matth. V. 34. adeatur. Lege Ottonis IV. in Romaniola, de Principum Italorum sententia cautum, non refragante Papa Johanne XIII. Syno-

doque, quæ tum Ravennæ convenerat, ne deinceps controversiæ jurejurando, propter metum perjurii, sed per certamina, disceptarentur. *Longob. tit.* 55. *l.* 34. *lib.* 2. Romani vero mediam viam ingressi, non tam in *bonis*, quam in *necessariis* juramenta habuere. Nec enim judicem, nisi in probationum inopia illud deferre, nec extra judicium, nisi delata conditione præstitum, & ex conventione partium valere jusserunt. Moris hujus initia jam a Numæ temporibus repetit Dionysius Halicarnassensis lib. II. *Si qua lis inter duos esset coorta, super contractu sine testibus inito, Magistratus & Judices plerasque controversias dirimebant ex jurejurando bonæ fidei, quæ sola scilicet instar erat juramenti.* Enimvero apud vetustissimos Romanorum innocua simplicitas vigebat, quod pectore clausum, idem & lingua promtum erat; adeoque bona fides pro summo legum & pœnarum metu civitatem regebat. At postquam pro frugalitate avaritia, pro veritate mendacium incessit, & injuriarum, fraudum atque rixarum plena facta sunt omnia, Deum testem vindicem accedere oportuit, & singulorum conscientia fortioris jurisjurandi metu fuit arctanda. Sensim experiebantur Quirites, cor hominum esse pravum & investigabile, ideoque *diffidentiam* remedium hoc postulare. Sed & mentis *inconstantia*, ad lapsus & mendacia proclivis, injecto Numinis metu cohibenda, & *lites* denique sæpe ita sunt dubiæ, ut tortura hac spirituali, velut delphico gladio, secandæ videantur. Tria sunt remedia sopiendarum litium jure civili recepta; Judicium, Transactio, Jusjurandum. Sed quia judicium longum est, multasque molestias secum adjunctas habet; per transactionem vero non facile homines adducuntur, ut de jure suo decedant; ideo paratissima videbatur esse via per delationem jurisjurandi, vel præstationem delati controversiam finire. Cajus hoc eleganter observat in l. 1. D. de Jurej. *Maximum*, inquiens, *remedium expediendarum litium in usum venit, jurisjurandi religio, qua vel ex pactione ipsorum litigatorum, vel ex auctoritate judicis deciduntur contro-*

troversiæ. Quocum ex asse convenit, quod Gentium Doctor Paulus jam dudum scripserat ad Hebræos cap. VI. §. 16. Ανθρωποι μεν κατα τυ μειζονος ομνυυσι, και πασης αυτοις αντιλογιας περας εις βεβαιωσιν ο ορκος. *Nam homines quidem per eum jurant, qui sit major, atque iisdem omnis controversiæ terminus est jusjurandum, ad confirmationem.*

§ VI.

Tantæ utilitatis consideratio, uti apud alias Gentes, sic quam maxime apud Romanos, usum jurisjurandi promovit. Magistratum, nisi qui jurasset in leges, plus quinque dies gerere non licebat: jurabat Imperator, Senatus, nauta & miles. Judices obstricti religione judicabant: partes juratæ contendebant, seseque provocabant. Nubentes item liberorum procreandorum causa se matrimonium inire jurati asserebant: & pacta denique conventa jurisjurandi religione in Capitolio facta, ut sanctiora essent. Ad rem Cicero III. de Officiis cap. 31. *Nullum vinculum ad stringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt. Id indicant Leges in XII. Tabulis, indicant sacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides: indicant notiones & animadversiones Censorum, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando judicabant.* Ut vero jurantibus religio injiceretur, in ædem sacram deducebantur, quo numen ibi præsens, terrore & metu tacito, mentem improbam a scelere perjurii revocaret. Hinc *religio jurisjurandi* in *l. ult. D. de Lib. caus. l. 21. D. de Dolo.* religio judicum, testium, militum; quia judices jurati judicabant, testes jurati testimonium dicebant, milites sacramento rogabantur. Religio est conscientiæ scrupulus, ex divini Numinis testatione. Vid. Budæus ad *l. 1. D. ad Ædilit. Edict.* Idque est *tactis aris* jurare, de quo ritu tam prolixe alii, ut solus Virgilius nobis sufficiat Æneid. XII. ℣. 201.

Tango aras, mediosque ignes & numina testor.

Singularis ara, quæ judicibus & litigantibus data in comitio, Puteal Libonis dicta, non domus aut tribunal, ut quibusdam

 cru-

eruditis persuasum fuit, sed ara, ad quam Judices sacramentum præstabant, omnimodo sese cum veritate & legum observatione judicium esse dispositurοs, ut ait Justinianus, in famosa *l.* 14. *C. de Judiciis*, ab Erycio Puteano singulari schediasmate illustrata. Pertinet huc egregius Symmachi locus, a Rævardo *lib. V. Var. cap.* 8. & Spanhemio *Diss. VI. de Præstant. & usu num.* observatus, sed qui & hic legi meretur, ex *libro* ejus *X. epist.* 61. ubi aræ hujus a Gratiano destructæ restitutionem his rationibus petit: *Ubi in leges vestras & verba jurabimus? qua religione mens falsa terrebitur, ne in testimoniis mentiatur? Omnia quidem Deo plena sunt, nec ullus perfidis tutus est locus. Sed plurimum valet ad metum delinquendi, etiam præsentia religionis urgeri.* Hinc & jusjurandum *corporaliter* præstitum in *l.* 1. *C. Si advers. vend. l.* 2. *l.* 3. *C. Si minor se major.* vetustissimi interpretes a corpore, quod jurans tangit, a signis & aris, dici volunt. Ego tamen non refragabor, si quis non Alexandri, aut Diocletiani & Maximiani, gentilium Principum, sed Triboniani illud verbum esse contendat: Christiani enim jurantes, Evangelium, vel sacram Scripturam, vel Crucem, vel Sanctorum reliquias tangebant, & ejusmodi jusjurandum potentius esse censebant, renitente Gregorio Nazianzeno epist. 219. Unde eadem loquendi figura utitur D. Gregorius lib. VII. Epist. 13. & σωματικοι ορκοι, σωματικοι λογοι apud Balsamonem aliosque distinguuntur ab iis, quæ fiunt instrumento prælecto aut subscripto; ubi os ceteraque corporis membra ad decus invocandi numinis non componuntur. Vid. Merill. VIII. Obs. c. 40. ubi Cujacium, qui corporaliter jurare, *manu levata* interpretatur, refellit. Nolim tamen quenquam existimare, noviter inventum esse jurantium gestum, digitos dextræ priores, tanquam fidei symbolum, elevandi; nam ex insigni nummo Impp. Diocletiani & Maximiani, apud Illustrem Spanhemium ad Juliani *Orat.* 1. *p.* 60. is non obscure colligi posse videtur. Olim quoque manum integram ad cœlum, velut Numinis divini

vini

vini sedem, sublatam esse, eleganter Innocentius Cironius probavit lib. II. Obs. c. 10. cui adde Genes. XIV. ỳ. 22. ubi jurans Abrahamus dicit: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum*, &. apud. Virgilium lib. XII. Æneid. ỳ. 174.

Sic prior Æneas: sequitur sic deinde Latinus
Suspiciens cœlum, tenditque ad sidera dextram,
Hæc eadem Æneas; Terram, mare, sidera juro.

§. VII.

De Diis pauca addenda sunt, per quos dicta & promissa sua firmarunt tam Græci, quam Romani. Socrates, Zeno aliique Philosophi res quasque, etiam vilissimas, ut anserem, canem, quercum, hircum, brassicam & capparim sibi delegerunt, quo minor esset summos Deos offendendi occasio. In judiciis autem per Deos juratum, qui utrique fere populo fuerunt communes, & publice approbabantur. Hinc apud Demosthenem Atheniensibus non licebat jurare per homines, sed *per Deos:* & Ennius jusjurandum, quasi *Jovis jurandum* dicens, indicabat speciem fuisse cultus divini. Inde etiam per Deastros novosque Deos jurans, Romæ non magis obligabatur *l. 5.* §. 3. *D. de Jurej.* quam qui apud Hebræos idololatriam committebat, *Deut. VI.* ỳ. 13. *Jer. V.* ỳ. 9. Masculi per Herculem, per Castorem feminæ, Milites per Martem, Medici per Apollinem & Æsculapium dejerabant, ut ex solenni illo Hippocratis jurejurando liquet, quod Vir Cl. Johannes Henricus Meibomius doctissimo commentario illustravit. Nonnunquam vero per caput suum *l.* 3. §. 4. *D. de jurej.* per salutem suam *l.* 33. *Eodem.* per superos, cœlum, terras, maria, vel per liberos & parentes jurabant, ne ipsis ad rerum omnium auctorem & parentem statim procurrere necesse esset. Formulas abunde congessit Barnabas Brissonius lib. VIII. de form. Atque hoc improprium jusjurandum erat, quo sanctos etiam viros, in divinis litteris, usos legimus, ut Grotius lib. II. c. 13. §. XI. & Henelius Ot. Uratisl. cap. 2. docuerunt. Verum

Verum stante Republica sanctissimum & solenne jusjurandum plerumque per Jovem Optimum Maximum, Deorum supremum, atque unum rerum omnium Patrem, perinde ac apud Græcos, concipiebatur. Is ὅρκιος idcirco apud Hesychium, & ἐφόρκιος dictus. Pausanias in Eliacis sive lib. V. *Ante Horcii Jovis pedes ænea tabula est, in qua incisi elegi sunt, ad pejerantium terrorem compositi.* Gellius lib. 1. Noct. Att. cap 21. *Jovem Lapidem, quod sanctissimum jusjurandum est habitum, sum paratus jurare, Virgilium hoc nunquam scripsisse.* Apulejus de Deo Socratis: *Nam & jusjurandum Jovis jurandum dicitur, ut ait Ennius. Quid igitur censes? Jurabo per Jovem Lapidem, Romano vetustissimo ritu.* Postquam autem Principes Rempublicam occuparunt, honor divinus, cum omni reliqua potestate, in ipsos translatus est, usque adeo, ut mos invaluerit, per eorum Genios, Salutem, Fortunam, Vitam & Caput jurandi. Vestigia hujus ritus innumera apud scriptores, maxime Historiæ Augustæ; duo in Codice habemus in *l.* 2. *C. de Reb. cred.* & *l.* 41. *C. de Transact.* Unus, sed pulcherrimus locus, in Pandectis superest, ex Ulpiani lib. XXII. ad Edictum, in *l. XIII.* §. 6. *D. de Jurejurando*; cujus verba, tanquam Dissertationis hujus fundum, adscribo. Sunt autem hæc: *Si quis juraverit in re pecuniaria, PER GENIUM PRINCIPIS, dare se non oportere, & pejeraverit; vel dari sibi oportere; vel intra certum tempus juraverit se soluturum nec solvit: Imperator noster cum Patre rescripsit, fustibus eum castigandum dimittere, & ita ei superdici:* ΠΡΟΠΕΤΩΣ ΜΗ ΟΜΝΥΕ, id est, *Temere ne jurato.*

CA-

CAPUT II.

DE JUREJURANDO PER GENIUM PRINCIPIS.

§. I. *Genium cuique suum credidisse Pythagoreos, Stoicos, Græcos, Romanos, Ecclesiæ Patres, & quosdam recentiorum.* II. *Principis Genius ceteris excellentior, sicut Juno Augustarum. Fortuna & genius τυχη dicti; differunt tamen.* III. *Privatorum genii sacri; ex decreto Senatus autem primum per Cæsaris, deinde per Successorum Genium publice juratum.* IV. *Cur Sacramentum hoc sanctissimum, domi militiæque, etiam sub Principibus Christianis.* V. *Mos ex Oriente ad Romanos translatus. Genes. c. 42. illustratur. Grotius & Pufendorfius notantur.* VI. *Principibus divini honores, una cum nominibus Deorum, tributi.* VII. *Christiani non per Genium, sed per Vitam, Caput, Salutem Principum jurarunt, ad tempora usque Caroli Magni, qui prohibuit.*

§. I.

GEniorum apud Veteres infinitus fuit numerus. Cuilibet enim rei suum assignarunt Genium, Regnis, Provinciis, Urbibus, Senatui, Populo, Collegiis, Municipiis, Pagis, Exercitibus, Fontibus, Horreis, Stabulis, nec ullus angulus hac umbra vacare fingebatur. Vide Turnebum *lib. XIII. Adv. c.* 12. Petrum Fabrum *lib.* 1. *Semestr. c.* 9. & Sponium *Miscell. erud. ant. Sect. III. pag.* 101. Inprimis vero singulis hominibus duos Genios sive Dæmonas, alterum bonum, alterum malum agnasci credebant, qui omnium actionum & cogitationum essent testes, & nunc ad bona, nunc ad mala, eos hortarentur. Utriusque exemplum in historiarum monumentis. Bonus Cæsari, quando Rubiconem trajiciebat; malus Bruto apparuit, & Philippis, dixit, me videbis. Censorinus de Die natali cap. III. *Genius est Deus, cujus in tutela, ut quisque natus est,*

vivit. Hic sive, quod ut genamur curat, sive quod una genitur nobiscum; sive etiam quod nos genitos suscipit ac tuetur, certe a genendo Genius appellatur. Hæc opinio quamvis pluribus & recte refellatur a Prudentio lib. 2. contra Symmachum; non hodie tamen aut nudius tertius nata est. Cui enim non dictus Genius Socratis? jam olim a Plutarcho & Apulejo libris singularibus, & nuper a Cl. Viro, Gottfrido Oleario eruditissima dissertatione illustratus, quæ inserta est Historiæ Philosophiæ Thomæ Stanleji p. III. c. 6. pag. 130 Homerus passim Genios forma humana se hominibus miscentes, cumque illis loquentes introducit. Hesiodus lib. I. de Operibus & diebus, & Plato lib. X. de Republica, eos Custodes vitæ vocant, & adjutores eorum, quæ quisque elegisset. Seneca Pædagogos hominum, & de plebe Deos facit, eorumque inventum Stoicis tribuit, Epist. CX. *Memineris Majores nostros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuisse; singulis enim vel Genium, vel Junonem dederunt.* Genium scilicet Viris, Junonem feminis. Non repetam hic, quæ præclare eam in rem observavit Justus Lipsius *lib. I. Physiol. Stoic. differt.* 18. *& seqq.* Memini autem Clementem Alexandrinum Stoicos alicubi Hebraicæ veritatis fures vocare; fortassis & hanc persuasionem & a Pythagoreis, & e sacris voluminibus hauserunt, eamque, tot figmentis deformatam, postea ad Patres Ecclesiæ transmiserunt. Hominum enim plus semel fit mentio, qui angelis ducibus usi fuere. Eusebius lib. IV. Demonstrat. Evangel. c. 7. verba Mosis *Deut. XXXII. ỿ.* 8. 9. ad Genios transtulit, & Hieronymus *Michæ cap. VI. ỿ.* 12. Præ ceteris autem Origines principem Tyri, & principem Persarum, & principem Græcorum, quorum mentio fit *Ezech.* XXVIII. & *Daniel.* X. Homilia XXXV. in Lucam, Gentium Dæmonas interpretatur, cuique etiam hominum geminos adesse angelos, bonum & malum, decernit *lib. 1. in Epist. ad Romanos.* Idem credidit Isidorus Pelusiota lib. II. ep. 85. Augustinus in Psalm. 88. & Bernardus Serm. 12. in Psalm. 91. *In omni loco*, ait, *in omni an-*

angulo reverentiam habe Angelo tuo, neque illo præsente facias, quod me præsente erubesceres. Quæ ipsa fere verba sunt Epicteti Stoici apud Arrianum lib. I. cap. 14. De Cardani Genio nihil addam, de quo ipse multa habet, in libro, quem de vita propria scripsit, etiam Thuanus, & Thuanorum elogiorum compilator Antonius Teissierius. Nec in Johannis Bodini, vel potius amici Bodini, bonum genium inquiram: monitorem hunc ei de rebus faciendis & fugiendis fuisse, pluribus narrat Guido Patinus in *Patinianis pag.* 3. Henricus Morus in Antidoto adversus Atheismum, non minus fidei se huic narrationi habere, ait, quam Livio & Plutarcho, quascunque res olim gestas narrantibus. Adde Scaligerum patrem, de Genio suo disserentem, *Poetices lib. III. cap.* 26. & de Raymundi angelo, Chiflet. *pro archit. jur. c.* 6.

§. II.

Suum autem cuique Genium cum tribueret Romana superstitio, alium tamen alio excellentiorem esse existimarunt. Privatorum Genios nunc Deos, nunc Dæmonas, nunc Lares, nunc angelos, mentes, & divini spiritus particulas appellabant. Principum vero natales a Diis deducebant; ergo & potentior ipsis Genius assignandus erat, felicitatis perpetuæ mystagogus, & Fortunæ observator inviolabilis. Huic omnes Ducum & Magistratuum successus adscribebat adulatorum natio: statuas etiam, aras & templa ei ponebant, cum inscriptione GENIO CÆSARIS: eidem thura dapesque die natali offerebant. *l.* 233. §. 1. *D. de V. S.* Spartianus *in Adriano cap.* 8. Affinis ei erat *Fortuna publica*, quæ, ut Florus ait, Imperium Romanum ad Principes transtulit, quæque inter Imperii insignia, aurea figura, a Galbæ temporibus, in horum cubiculo servabatur, auctore Suetonio *in vita Galbæ cap. IV.* Capitolino *in vita Antonini c.* XII. Spartiano *in Severo cap.* XXIII. In nummis hinc Fortuna cum cornu copiæ & temone conspicitur, addita inscriptione DIS CUSTODIBUS; quia & ipsa inter genios custodes locum obtinebat. Apulejus in loco mox laudando,

fortunas geniosque conjungit. Ammianus lib. XXX. Valentiniani *Fortunam* memorat, *cum tetro habitu*, *mox discessuram*. Græci utrumque τύχην vocant, & Sosipater Charisius Genium τὴν τύχην exponit. Differunt autem primo, quod Fortuna rebus omnibus dominatur; Genius vero singulis hominibus præsidet, auctore Philostrato lib. 2. de vit. Soph. in Herode Attico. Dein Genius apud Adolphum Occonem, in nummis Commodi, Licinii & Maximini, forma adolescentis cernitur, tenentis dextra cornu copiæ, sinistra pateram, cum inscriptionibus: *Genio Populi Romani*; *Genio Augusti*; *Genio Imperatoris*; *Genio Aug. & Cæsarum*; *Genio Cæsaris*. At Fortuna habitu muliebri, tenens cornu Amaltheæ, & temonem navis, effingitur. Vide Plutarchum de Fortuna Roman. Galenum in Suasoria, & Frene ad Zonaræ XIV. Ann. n. 4. Apud Gruterum Opere æterno, crebra Geniorum Impp. fit mentio: pag. 9. n. 6. I. O. M. ET GENIO IMP. AVG. pag. 106. n. 6. LARIBVS AVG. ET GENIIS CÆSARVM. Rursus pag. 1085. n. 6.

GENIO. AC. MAIESTATI
IMP. ANTONINI. PII. FELICIS. AVG.
M. AVRELIVS. AVRELIANVS. DEVOTISS.
NVMINI. EIVS

Quamvis ergo omnibus viris suus Genius, Genio Principis tamen, velut Jovis particulæ augustiori, divini quid magis inesse credebatur. Sic omnium mulierum Genius erat Juno, Plin. l. II. Hist. nat. c. 7. *Singuli quoque ex semetipsis totidem Deos faciunt*, *Junones Geniosque adoptando sibi*. Augustæ vero Imperatorum, vel horum sorores & filiæ, per excellentiam *Junones* dictæ. In lapide apud Gruterum pag. 24. n. 4. IVNONIBVS AVG. SACR. Tristanus tom. I. pag. 243. numisma exhibet, cum hoc titulo: SABINÆ POPPÆÆ AVGVSTÆ IVNONI. In alio apud Spanhemium Dissert. X. de Præstantia & usu numism. pag. 273. Liviæ caput expressum, cum hac epigraphe. . . . .

HPAN

ΗΡΑΝ ΛΙΒΙΑΝ, *Liviam Junonem.* Idque Ovidius confirmat lib. III. de Ponto Eleg. 1.

Cum tibi contigerit vultum Junonis adire,
Fac sis personæ, quam tueare, memor.

§. III.

Jam vero si privati Genios suos, velut Naturæ Deos, habuerunt sanctos; floribus & mero eos coluere, per suos etiam, & dominorum, & amicorum Genios jurarunt, mirandum sane non est, Principum Geniis tantos honores fuisse attributos. Multa hujus generis coacervare liceat, si lexica & virorum eruditorum observationes, maxime Lambini ad Horatium, Brouckhusii ad Tibullum, & variorum ad Petronium notas transcribere placeret. Apud Gruterum in antiquo lapide pag. 108. n. 1. GENIVS SANCTVS dicitur. Horat. lib. II. Epist. 1. *Silvanum lacte piabant, Floribus & vino Genium memorem brevis ævi.* Seneca Epist. XII. *Jurat per Genium suum*, (alii *meum*) *se omnia facere.* Apulejus lib. VIII. Metam. *Per fortunas vestrosque Genios, sic ad meæ senectutis spatia validi lætique veniatis, decepto seni subsistite.* Lygdamus servus apud Propertium lib. IV. Eleg. 8.

Exuitur, Geniumque meum prostratus adorat.

Juvenalis lib. II. Sat. 98. de molli & pathico domino, qui novo more feminam se exhibebat:

Et per Junonem domini jurante ministro.

Ante Julii Cæsaris autem tempora, forte nec publice nec privatim, per alicujus Genium jusjurandum est præstitum. Dio Cassius, inter alios honores, a Senatu ei decretos, & hunc memorat, *ut quotannis vota pro salute ejus publice fierent, utque* τὴν τύχην ὀμνύναι *per Genium ejus jusjurandum conciperetur.* Lib. XLIV. Eo occiso, populus furibundus, parricidas requirens, Senatores accusat, quod passi essent, cum virum interfici, *per cujus salutem & Fortunam jurassent.* lib. XLVII. Idem honor mansit Augusto: nam & Reges, Romanorum amici atque socii, ædem Jovis Olympii Athenis *Genio* ejus dedicare voluerunt, Sueton. *in vita ejus cap.* LXXX.

LXXX. & Rubrio crimini datum, violatum perjurio nomen Augusti, apud Tacitum I. *Annal.* 73. Horatius *lib. II. Epist.* 1. ad Augustum:

> *Præsenti tibi maturos largimur honores,*
> *Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.*

Tiberius vero, ut se popularem populo præberet, neque præter consuetudinem quicquam fieri natali suo, *neque per Genium suum jurare cuiquam permisit, neque si quis eum jurasset, ac perjurii reus ageretur, punivit.* scribit Dio Cassius *lib.* LVII. At post Sejani cædem Senatus Romanus decrevit, ut ne fierent deinceps juramenta, nisi ea Imperatoris nomine conciperentur, auctore Xiphilino: *μητε τους ορκους επ' αλλου τινος, πλην του Αυτοκρατορος ποιεισθαι.* Sed quod de Tiberio dicebamus, idem de Nerone memoriæ prodidit Tacitus *l.* XIII. *princ.* Contra, Cajum Caligulam multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla aut ad bestias damnasse, *quod nunquam per Genium suum dejerassent*, auctor est Suetonius *in vita ejus cap.* XXVII. Apulejus tempore Antonini Pii, ac fratrum M. Antonini Philosophi & Veri clarus, lib. IX. Metam. *Milites ibi, nec uspiam illum delitescere, adjurantes* Genium Principis, *contendebant.* Sub iisdem Principibus, quorum in lege nostra meminit Ulpianus, florens Tertullianus ad Scapulam c. 11. *Sed iidem ipsi, qui per* Genios *eorum in pridie usque juraverant, qui pro salute eorum hostias & fecerant & voverant, hostes eorum sunt reperti.* Claudianus Paneg. in IV. Consf. Honorii:

> - - - - - *juratur Honorius absens.*

§. IV.

Non equidem adeo hebetes erant Romani, quin fictum hunc Deum sentirent; at quia Senatus decreto semel ita vivo Cæsare cautum erat, ipsi quoque magnam partem Stoicam Philosophiam sequebantur, & genius denique Jovis minister esse ferebatur, ideo per ipsum Jovem, cujus particula erat mens Augusti, perque eum, a quo Salus & Fortuna Cæsarum pendebat, sese dejerare existimabant. *Deus intus,*

intus, Genius vester intus est. Huic Deo & vos tale jusjurandum dare oportebat, quale milites Cæsari, inquit Arrianus lib. I. cap. 14 Marcus Genium cujusvis *particulam a Jove avulsam* vocat lib. III. §. 3. Et ipse Ulpianus noster in l. 33. D. de Jurejurando: *Qui per salutem suam jurat, per Deum jurare videtur, respectu enim divini numinis ita jurat.* Sed optimus locus est Plinii in Panegyr. c. 52. *Simili reverentia*, inquit, *Cæsar, non apud Genium tuum bonitati tuæ gratias agi, sed apud numen Jovis Optimi Maximi pateris. Illi debere nos quicquid debeamus, illius, quod bene facias muneris esse, qui te dedit.* Sic igitur accedente adulatione, cum in privatis, tum in publicis actibus, hoc sacramenti genus solenne & sanctissimum evasit: & prorsus erronee Innocentius Cironius in paratitlis *ad lib. V. Decretalium tit.* 24. nefas fuisse contendit, per Genium Principis jurare, propter divinitatem, quæ ei inesse crederetur. Tantum enim ab eo abest, ut de Claudio scribat Suetonius *cap. XI. eum jusjurandum neque sanctius, neque crebrius instituisse, quam per Augustum.* Inde fideicommissis vinculum juris accessit, *quod per salutem Augusti rogatus quis diceretur*, inquit Theophilus in §. 1. *Inst. de Fideicomm. her.* nam per salutem Principis rogare, est velut cum jurisjurandi religione rogare, ut ait Papinianus, in *l.* 77. § 23. *D. de legat. lib.* 2. Arcadius Imp. suo ævo duas jurisjurandi species memorat, quibus pactiones confirmarentur; primam, si quis promissa sua invocato nomine Dei Omnipotentis solidaverit; deinde si Nomen Cæsaris pactis inseruerit, & Salutem Principum initarum pactionum juraverit esse confirmationem in *l.* 41. *C. de Transact.* Verum hic Princeps Christianus erat, igitur primo loco perjurium per Dei nomen, post per Principis nomen commissum plecti jubet. Similiter Vegetius in Epitome rei militaris, ad Valentinianum II. Augustum scripta lib. II. cap. 5. in locum formulæ, *per Genium, per Fortunam* Principis, aliam ait, a Christianis Cæsaribus receptam esse: *Jurant milites per Deum & per Christum, & per*

Spi-

Spiritum Sanctum, & per Majestatem Imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda est & colenda. Nam Imperatori, cum Augusti nomen accepit, tanquam præsenti & corporali Deo, fidelis præstanda est devotio. Sub Gentilibus autem Principibus major in Principem, quam in omnes Deos religio fuit. De jurejurando militari sub Vespasiano confer Tacitum *IV. Hist. cap.* 31. Maximus Imperator στρατιωτικον ορκον, της Ρωμαιων αρχης σεμνον μυστηριον vocat, apud Herodianum *lib. VIII. c.* 19. nam stipendium capientes jurabant, Cæsaris salutem omnibus rebus anteferre, auctore Arriano dicto lib. 1. c. 14. Generaliter Tertullianus in Apologetico cap. XXVIII. *Majore*, inquit, *formidine & callidiore timiditate Cæsarem observatis, quam ipsum de Olympo Jovem. Citius denique apud vos per omnes Deos, quam per unum Genium Cæsaris pejeratur.* Quinimo sub Christianis, & Arcadii quidem supra laudati temporibus, eadem fuit adulatio, quam ut impiam iis exprobrat Zosimus gentilis *lib. V. Hist. cap.* 51. Narrat enim ibi de Jovio P. P. Italiæ, eum, ut suspicionem omnem elevaret, per salutem Principis jurasse, se nunquam cum Alaricho pacem facturum, eique fini, cum aliis militum Ducibus, Honorii caput tetigisse: id vero jusjurandum sanctius ab his habitum, quam quod per Deum præstaretur. *Quippe si Deo præstitum fuisset jusjurandum, fortasse negligi posse, permittendo benignitati divinæ facinoris impii condonationem: sed quando per caput Imperatoris jurassent, non jam eis fas esse, contra tam grave jusjurandum delinquere. Usque adeo cauta mens illorum erat, qui Dei cura destituti, rempublicam id temporis administrabant.* Adde Sozomenum Hist. Eccl. lib. IX. c. 7.

§. V.

Johannes Seldenus in notis ad Marmora Oxoniensia, ubi Smyrnæorum Decreti, & Fœderis cum Magnesiis icti verba explicat illa, και την του βασιλεως Σελευκου τυχην, pag. 43. erudite observavit, morem istum jurandi, primum in Oriente natum, inde ad Romanos dimanasse. Vetustissimum exem-

exemplum est Geneseos cap. XLII. ℣. 15. ubi Josephus per Salutem, seu per vitam Pharaonis jurat; *Sic vivat Pharao.* Cujus sensum feliciter ita expresserunt eruditiores interpretes: *Ut verum est vivere Pharaonem, sic vere hoc vestri sumam experimentum.* Vel, *ut vere salutem Pharaoni precor, ita vere &c.* Simili formula usus Urias Chettæus jurans Davidi II. Samuelis XI. ℣. 12. *Ut vivis, & ut vivit anima tua, non sum facturus rem hanc.* Et ipse David ad Jonathanem I. Sam. XX. ℣. 3. *Certe ut vivit Jehova, & vivit anima tua.* Quanquam autem Josephi pietas in Deum unum sic salva sit, Ægyptii tamen, quos inter degebat, pariter ac Chaldæi, Afri, Medi ac Scythæ tantæ levitatis fuerunt, ut per salutem, solia ac sceptra Regum suorum, tanquam Numinum terrestrium, jurarent. Nebucadnezar ipse per thronum & regnum suum sacramentum præstat, Judith I. ℣. 12. Afri per Reges & viros excellentes jurarunt, sicut & Æthiopes, Diodorus lib. IV. c. 1. Scythæ per regium solium: Herodotus lib IV. c. 68. *Est Scythis mos plerumque jurandi per regium solium, cum maximum volunt interponere juramentum.* In Armenia hujusmodi jusjurandum ὅρκος βασιλικὸς dictum, auctore Strabone l. XII p. 557. De sceptro Festus: *Feretrius Jupiter dictus a ferendo, quod pacem ferre putaretur, ex cujus templo sumebant sceptrum, per quod jurarent.* Sic apud Virgilium Latinus *per sceptrum* jurat lib. XII. Æn. 206. usitato more antiquo, cujus Homerus & Aristoteles meminerunt. Atque sic ex hac origine apparet, quam parum accurate Hugo Grotius *lib. II. de J. B. & P. c.* 13. §. XI. eumque secutus Pufendorfius *lib. IV. de J. N. & G. c.* 2. §. 3. jusjurandum per Genium Principis ita explicarint, ac si jurans in Principe puniri deposcat, eumque diris devoveat, si sciens fallat. Quo jure enim subjectus Domini sui innocentis caput & salutem oppignorabit? An non consensisse Principem in mala prius oportebit? Et nonne saniores ethnici, tanquam vanos risissent deos, qui actionem iniquissimam parata executione confirmarint? Amor ergo

& adulatio formulam hanc invexit, Imperatorum astutia firmavit. Idem enim notat, quam si jurantes dixissent: Quam vere vita Augusti mihi cara est, tam vera est mea affirmatio. Se, patrem, matrem, liberosque potius dejerabant, quam ut Principi publice mala imprecarentur. *Neque me liberosque meos cariores habebo, quam Cajum & Sorores ejus*, formula erat a Caligula præscripta apud Suetonium c. 15. Ad quam etiam respicit Tertullianns lib. II. ad Nationes c. 9. *Atqui Romanis magis detestandus, qui pro salute Principum, & domus eorum, adversus liberos & conjuges, & omne pignus suum dejerant.* Magis ergo est, ut dicamus, eos summum Jovem gravissimo hoc jurejurando, pro Cæsarum salute, magis invocasse, quam in eorum capita malum provocasse. Martialis VII. epigr. 59.

Tarpejæ venerande rector aulæ,
Quem salvo duce credimus tonantem;
Cum votis sibi quisque te fatiget,
Et poscat dare, quæ Dei potestis:
Nil pro me mibi Juppiter petenti,
Ne succensueris, velut superbo.
Te pro Cæsare debeo rogare:
Pro me debeo Cæsarem rogare.

§. VI.

Cum his si conferre placet, quot artibus Imperatores Romani Majestatem suam augustiorem reddere tentarint, quantoque adulandi studio plebs, populus & Senatus effigie Numinum eos per Flamines & Sacerdotes coli jusserint, tum omnia plana videbuntur. Cæsari natales hujus jurisjurandi deberi, vidimus supra: huic vero simul Jovis Julii cognomentum Senatus imposuit palam, templumque ei Clementiæ dedicari jussit, sacerdotioque ejus Antonium quasi flaminem dialem aliquem præfecit; auctore Dione *lib.* XLIV. Certe divinos eum honores affectasse, dum inter homines ageret, tanquam aliquid supra mortale fastigium, notat Suetonius *cap.* LXXVI. Ab eodem origo colendi

lendi Cæsares in signis militaribus cœpit, ut quemadmodum ante per Aquilas & simulacra Deorum, exinde per vultus Cæsarum sacros, sacramentum militare præstaretur. Eleganter Manilius:

- - - - Venerisque ab origine proles
Julia descendit cœlo, cœlumque replevit,
Quod regit: Augustus socio per signa Tonante
Cernit & in cœtu Divum, magnumque Quirinum.

Augustus, inquit, Divum Julium Patrem videt intra & extra Urbem religiose coli. Intra Urbem cum solo Romulo; extra Urbem & in castris, ejusdem Julii & Jovis Tonantis imagines per signa cohortium. Vegetius de prima cohorte legionis, quæ milliaria dicebatur, lib. II. cap. 6. *Hæc imagines Imperatorum, hoc est divina & præsentia signa, veneratur.* Tertullianus item in Apologetico: *Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa jurat, omnibus Diis præponit, omnes illi imaginum suggestus insignes monilia crucium sunt.* Eadem Augusti mox fuit conditio. Quanquam enim, ut Tacitus animadvertit, Deûm honores Principi *publice* non ante haberentur, quam agere inter homines desierit, & per apotheosin inter Divos esset collocatus; Augustus tamen, cum pacem Italiæ provinciis intulisset, *oppidatim inter Deos tutelares consecratus est*, teste Appiano *lib. V. de Bell. civ. pag.* 746. Post, victo Antonio, cum Romanum orbem occupasset, totus orbis cœlestes ei honores decrevit, templa, fana, lucos, & porticus, ut opera nulla pulcriora viderentur, ait Philo Legat. ad Cajum. Vivus & audiens Deus appellatus est a Manilio lib. I.

Nunc mihi tu Cæsar, patriæ princepsque paterque,
Qui regis augustis parentem legibus orbem,
Concessumque Patri mundum Deus ipse mereris.

Ovidius lib. II. Tristium ad eundem:

Per mare, per terras, per tertia numina juro,
Per te præsentem conspicuumque Deum.

Atque ita ceteri successores passim, nunc Dii appellati,

DEO ET DOMINO NATO AURELIANO. DEO ET DOMINO CARO in nummis apud Spanhemium *Diss. XII. de Præst. num.* Nunc Deorum nominibus honorati ab aliis, vel ipsi, ut iis insignirentur, affectarunt. Apud Gruterum JUPITER AUGUSTUS in 10. pag. 17. APOLLO AUGUSTUS 7. 8. 9. p. 36. HERCULES AUGUSTUS 3. pag. 46. MERCURIUS AUGUSTUS 10. pag. 53. Hadrianus *Olympii* nomine cultus a Græcis, teste Spartiano: Commodus *Hercules Romanus* dictus, auctore Lampridio: Diocletianus JOVIUS vocatur in nummis. Caligula, ζεὺς ἐπιφανὴς νέος, & ζεὺς Λατιάριος dici voluit, Zonara & Dione testibus. Trajanus & Adrianus cognomine OPTIMI MAXIMI, quod Jovi Capitolino proprium, superbiunt in saxis literatis apud Gruterum pag. 247. n. 5. 249. n. 2. Quid multa? Ipse Papinianus, homo prudentissimus, Severum & Antoninum, *Optimos Maximosque Principes* vocare non erubuit, in *l.* 78. §. 1. *D. de Legat. lib.* 2. *l.* 22. *D. de Accusat.* Hi autem sunt, quos Ulpianus in capite, quod explicamus, intelligit, quando ait: *Imperator noster cum Patre rescripsit.* Quoties enim apud Ulpianum, Paulum & Modestinum legimus *Imperator noster*, toties Antoninum Caracallam, Severi Augusti filium, exaudiendum esse, sexcentis exemplis ostendi potest. Sic quod in l. 6. §. 6. D. de Excusat. ex Ulpiano Modestinus refert, *Imperator noster cum Patre rescripsit*: idem in l. 11. §. 3. D. de Muner. his verbis extulit: *D. Magnus Antoninus cum Patre rescripsit.*

§. VII.

Hæc ἀποθέωσις Imperatorum & viventium & demortuorum movit quam maxime Christianos primitivæ Ecclesiæ, ut per Genium & Fortunam Principis jurare nefas esse existimarent; quia isti voci inerat falsi numinis sensus, & Genius pro dæmone sumebatur; per Salutem Principum autem jurare non verebantur. Vulgatus ea de re, sed insignis est locus Tertulliani in Apologetico cap. XXXII. *Sed*

&

& juramus, inquit, *sicut non per Genios Cæsarum, ita per Salutem eorum, quæ est augustior omnibus Geniis. Nescitis Genios dæmones dici, & inde diminutiva voce dæmonia? Nos judicium Dei suspicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. Id in eis scimus esse, quod Deus voluit; ideoque & salvum volumus esse, quod Deus voluit, & pro magno id juramento habemus.* Scilicet, ut Josephi pietas reprehendi non potest, quod per vitam Pharaonis dejeravit, sic & votis omnibus Christiani salvum & incolumem Principem suum optabant, quamvis Gentilem. *Salus Augusta* pro maxima Dea colebatur a Romanis, eique Flaminicæ dabantur; sed & *Salutis* vox pro vita usurpatur sæpius apud Nepotem aliosque. Philotas Craterum & Cœnum *per Alexandri salutem jurare volebat*, apud Curt. lib. VI. c. XI. Plinius lib. X. epist. 17. ad Trajanum: *Flavius Archippus, per Salutem Æternitatemque tuam petit a me.* Et singulis annis, ut nummorum inscriptiones ostendunt, S.P.Q.R. VOTA PRO SALUTE CÆSARIS AUGUSTI suscipiebat. Vide Andream Schottum lib. V. Obs. Philos. c. 31. Deinde affirmationem illam, non tam ut jusjurandum, quam ut obtestationem religiosam considerabat Basilius in Psalmum 14. qua hominum diffidentia tolleretur. *Sancti non tam per creaturas jurabant, quam per auctorem creaturarum, nec in creaturis aliud, quam creatorem ipsarum venerabantur*, ait Gratianus *Caus.* 22. *qu.* 1. *can.* 16. §. 2. Implicite igitur continebatur Deus, qui Principis salutem subjectis sacram & inviolabilem esse voluit, atque violantibus illorum reverentiam graves minatur pœnas. Breviter; Princeps non fidei testis, sed perfidiæ vindex esse videbatur. Testium magna nubes est, Athanas. in pop. Alexandr. Prudent. περὶ στεφ. Sozom. lib. IV. cap. 7. Codin. in orig. Constantinop. p. 200. Gesta Regum Francorum c. 13. etiam his antiquior Marcellinus Tribunus & Notarius, in invitatione ad Collationem Carthagine habitam, anno Domini 411. cap. 5. *Per admirabile mysterium Trinitatis, per Incarnationis dominicæ*

facramentum, *& per falutem Principum*, Honorii fcilicet & Theodofii, *promittit*, fe fecundum allegationes partium judicaturum. Græci item interpretes notant, hoc ipfum effe jusjurandum, ab Epifcopis præftitum, cujus in Concilio Chalcedonenfi mentio fit Nec aliud effe *per Imperatoris caput* in alio can. ejusdem Synodi, & apud Schylitz. pag. 601. Arcadius denique pactiones, fuo tempore, jurejurando *per Salutem Principum* confirmatas refert in *l.* 8. *C. Th. de Pactis & transact.* ubi Doctiffimus interpres Jacobus Gothofredus in commentario, ex Tertulliani libro 1. ad Nationes c. 17. obfervat, inter cetera obftinationis Chriftianæ crimina, haud poftremum fuiffe, quod per Salutem, non per Genium Principis juramenta concipere vellent. Hinc folennis perfecutorum formula: *Tantum jura per Genium Cæfaris*, in agone Polycarpi apud Eufebium lib. IV. Hift. Eccl. c. 15. Eoque Trajani imago pertinet, quam Plinius cum fimulacris numinum Chriftianis propofuit, *lib. X. epift.* 97. Ceterum ritus ille jurandi per Salutem Principis, quia ab Ethnicis acceptus, & plus æquo a Chriftianis ufurpabatur, a Carolo Magno fublatus eft: primum A. 789. in Capit. de diverf. rebus, c. 10. *Conjurationes per Reges vel eorum filios vetitæ:* dein A. 803. in *III. Capitular. cap.* 22. *Ut nullus præfumat per vitam Regis & filiorum ejus jurare.* quod caput in libro tertio Legis Langobardorum tit. 24. repetitum eft. Apud Hifpanos vero jurejurando per vitam Regis & Reginæ nihil fanctius effe, refert Nicolaus Henelius Otior. c 2.

CA-

CAPUT III.

DE POENA PERJURII PER GENIUM PRINCIPIS.

§. I. *Sub libera Rep. perjurium nulla lege notatum, sed ad Censorum, non ad Pontificum notionem pertinuit.* II. *Imperatores Deorum injurias diis curæ esse voluerunt. Quibus & quo modo.* III. *Qui per Genium Principis pejerasset, fustibus cæsus. Cur tam varie conjicitur.* IV. *Vera ratio differentiæ indicatur.* V. *De præconis elogio inter fustium ictus dicentis: Petulanter ne jurato.* VI. *Cur id Græce in foro Romano?* VII. *Non omne perjurium per Deum Romæ impunitum.* VIII. *Non necessarium, aut cum crimine falsi conjunctum.* IX. *Perjuria inconsulta & volatica ad Deum vindicem missa. L. 2. C. ad leg. Jul. Maj. & l. 2. C. de Reb. cred. explicatæ.* X. *Tempora distinguuntur.* XI, *Varia pœnarum genera perjuris apud alias gentes dictata: Quæ hodie obtineat strictim ostensum.*

§. I.

Quod in universum scribit Livius lib. I Histor. cap. 28. *Nulli gentium mitiores placuisse pœnas, quam Romanis*, ejus rei testimonium singulare hoc caput dabit. Maximum enim crimen esse Perjurium, non minus agnoverunt Romani, quam ceteræ gentes, vix tamen leniorem pœnam alibi statutam legas. Quum prælio Cannensi Hannibal decem captivos Romam dimitteret, postquam jurejurando promiserant, in castra Punica se redituros, duo autem commenticio consilio eadem die in castra regressi, non reverterentur, hæc eorum fraudulenta calliditas tam turpis existimata est, ut contemti vulgo ac velut intestabiles, sannis sibilisque discerpti, haud aliam autem senserint pœnam, quam quod *Censores eos omnium notarum & damnis & igno-*

ignominiis affecerunt, quoniam quod facturos dejeraverant non fecissent. scribit Gellius lib. VII. Noct. Att. c. 18. Duplex Censorum erat nota: ob causas leviores, ut si paulo indecentius oscitassent, Senatores Senatu movebantur; Equitibus publicus adimebatur equus, si esset macilentus; plebeji in Ceritum tabulas referebantur. Graviorum autem scelerum reis notam quandam infamem & ignominiosam adscribebant, auctore Livio *lib.* 39. *cap.* 42. Prior ignominia levis tantum erat, facile eluenda, qui publica judicia aut testimonia pro se haberet; alii namque Censores sæpe motos Senatu rursus probabant, ut ad honores iis aditus, & in Curiam reditus esset. Vide Ciceronem *pro Cluentio* & Livium *lib. XL. cap.* 51. Altera nota gravior, nec tamen extrema infamia fuit. Hoc enim tenendum in sceleribus grandioribus Censuram non intervenisse, quia Legibus & judiciis servabantur, ut probabunt exempla Censoriarum animadversionum apud Valerium Max. lib. II. cap. 4. Quum igitur, præter Gellium, Cicero *notiones & animadversiones Censorum de jurejurando diligentes* memorat lib. III. de Off. cap. 31. certissimum argumentum est, nullam tum fuisse pœnam adversus perjurium constitutam. Ipsa Lex, quam idem Tullius Libro II de Legibus, ex moribus ævi sui format: PERJURII POENA DIVINA EXITIUM, HUMANA DEDECUS ESTO, hoc ipsum ostendit. Dedecus enim eam significat infamiæ notam, quæ est in re, & honestorum hominum opinione, non illam, quæ legibus aut Edicto irrogatur, hæc enim in usu juris absolute infamia vocatur. Vide *l.* 2. *D. de Obseq. par.* Censor igitur, & solus quidem, stante republica perjurii cognitor fuit atque judex. Neque fidem habuerim Jacobo Gothofredo, qui in notis ad Tertullianum pag. 107. ad figmenta mera, legem istam de Censoria nota refert: Cicero enim non modo in libris de Officiis, Censoribus hanc provinciam dedit, sed & solius divinæ pœnæ meminit pro Roscio Comœdo cap. 16. *Quæ pœna a Diis immortalibus perjuro,*

ro, *hæc eadem mendaci constituta est*. Quod item Rævardus *lib. II. Var. cap.* 3. Dousa *ad Horat. c.* 6. Hansenius *de jurej. c.* 2 aliique per Jovem pejerantes Pontificibus pœnas dedisse volunt, id quidem ex Plauti verbis in Rudente Act. V. Sc. 3. *Tun' meo Pontifex perjurio es?* non satis probatur; longeque commodius ea verba ad criminis expiationem, quam ad ultionem & jurisdictionem referri possunt: expiationes enim ex Pontificum decreto factas, ex Livio docet Jacobus Gutherius *lib. II. de Vet. jur. pontif. cap.* 2.

§. II.

Subacta Republica Principes reliqua Censorum munera privatis exercenda dedere, ipsi vero Præfecturam morum sibi vindicarunt, ut de Cæsare notavit Suetonius cap. 76. de Claudio Tacitus XII. Ann. 4. de Vespasiano lapides Gruteriani pag. 89. n. 10. & 176. n. 1. testantur. Tum vero, sublata illa severitate, discrimen servatum; utrum quis per Jovem ceterosve Deos, an per Genium Principis pejerasset. Perjurii per Deos nullum crimen proditum, nulla accusatio, nulla pœna; sed callido invento, ne suam tantum injuriam ulcisci viderentur Principes, Diis vindictam reliquere, certo eam exacturis & tarditatem supplicii gravitate pensaturis. Tiberium Consulibus rescripsisse ait Tacitus lib. I. Annal. cap. 63. *Jusjurandum perinde æstimandum, quam si Jovem fefellisset. Deorum injurias Diis curæ*. Horatius lib. II. Ode 8. *Ulla si juris tibi pejerati pœna*. Juvenalis Sat. XIII. ℣. 174. *Nullane perjuri pœna?* Diserte Alexander Imperator Tiberii sententiam modo laudatam suam facit, totamque rem Dei judicio relinquit in l. 2. C de Rebus cred. *Jurisjurandi*, ait, *contemta religio satis Deum ultorem habet*. Consulebatur Imperator a Felice, forsan illo, quem prætorianis cohortibus postea præposuit Gordianus tertius, an nulla esset perjurii pœna humana, & si nulla esset, quamobrem hoc placeret? Ad hoc apposite respondet Alexander, nullam esse constitutam; nec mirum id videri

debere, quia contemtus iste ultorem habeat Deum, quantum est *satis*; hanc unam sufficere, quia gravior alia dictari non possit. Idem loquendi genus usurpat, quod cum dicitur, *satis* pœnæ subire eum, qui non defenditur, quia mittitur adversarius in possessionem bonorum: hoc enim dici intelligimus, ita hanc esse pœnam, ut non alia adjiciatur, *l.* 19. *D. de In jus voc.* Quem vero Deum ultorem habebit? Nobis equidem facilis est responsio, qui per Dei gratiam, ex tertio præcepto novimus: *Ne usurpes nomen Domini Dei tui temere: neque enim Dominus dimittet eum impunitum, qui nomen ejus vane usurpaverit.* Verum Alexander religione paganus erat, nec unius, sed plurimorum Deorum cultor, quippe qui præter illos, quos vulgo Theologia in censum retulerat, Christo etiam, & Abrahæ, & Orpheo, & Sanctioribus animabus in larario suo rem divinam faciebat, ut Ælius Lampridius habet. Igitur ad Jovem respicit, pariter ac Tiberius apud Tacitum nominatim, a quo hanc sententiam est mutuatus. Jovem vero trisulco fulmine pejerantes tangere solitum, Græci & Romani, naturæ tacita lege, cordibus hominum divinitus inscripta, intellexerunt. Ita Homerus *Iliad.* Γ. ✝. 279. Virgilius *XII. Æneid.* ✝. 200. quibus adde Aristophanem & Lucianum apud Turnebum *lib.* XXIII. *Adversf. c.* 9. Vulgaris insuper persuasio erat, eos, qui pejerassent, insigni aliqua nota in corpore deturpari, eorumque linguas in summitate pustulam producere, vel unum dentem nigrum fieri, aut unguem turpiorem reddi, aut oculorum lumina tolli, teste Theocrito *Idyll.* IX. Horatio *dict. lib. II. Od.* 8. & Juvenale *Sat. III.* Quorsum etiam illud Nasonis pertinet:

Esse Deos credamne? fidem jurata fefellit,
Et facies illi, quæ fuit ante manet,
Quam longos habuit nondum perjura, capillos,
Tam longos, postquam Numina læsit, habet.

Mi-

Mirabilia quoque de Indiæ, Siciliæ & Sardiniæ fluminibus memorant Philostratus *lib. I. cap.* 6. Macrobius *lib. V. Sat. c.* 19. & Solinus *cap.* 10. quæ perjuris & infidis palam adversantur, ita ut oculos manusque eorum pustulis inquinent, cœcos, reddant, quin & extinguant confestim. Vide Jacobi Lydii Dissertat. *de Jurejurando in fine.*

§. III.

Hæc autem miracula dum non expectabant Imperatores Romani, mox stabiliendæ & tuendæ Majestatis gratia, per Genium suum pejerantes extra ordinem punivisse videntur, donec Severus & Antoninus in lege nostra rescripserunt, fustibus castigatos eos dimittendos esse. Militaris hæc pœna videri posset, quia Polybius *lib. VI.* tradit, qui falsum dixissent testimonium hoc supplicii genere affectos, & aliquando ad mortem cædi solitos, id vero hic prohiberi, dum *dimittere* vivos & superstites castigatos jubent. Verum longe diversa fuit ξυλοκοπία illa militaris, ab ictibus fustium, inter pœnas civiles dudum tum receptis, quemadmodum ex Lipsii *Dial. V. de Re mil. cap.* 18. cuivis apparebit. *Admonitio fustium* vocatur in *l.* 7. *D. de Pœnis.* quod satis pœnæ lenitatem indicat: flagella erant atrociora; unde homines liberi, & hi quidem tenuiores, fustibus, servi vero flagellis rumpebantur, ut docuit Brissonius *lib. III. Antiq. cap.* 9. At absurdum est, dicat aliquis, fustibus coerceri petulantiam ejus, qui per Principem jurasset, injuriam vero, eodem genere Deo factam, non coerceri. Invertendam potius videri pœnam, quia jusjurandum est affirmatio religiosa; tum vero contemnitur religio, quando per Deum pejeratum est, cum pejeratur per Principem, non violatur religio, sed Princeps. Immo qui per Genium Principis jurat, per ipsum Deum, cujus pars erat Genius, jurasse videtur. Speciem hæc, fateor, habent, sed præter auctores supra laudatos rotunde hanc differentiam tradit Tertullianus lib. I. ad Nationes cap. 10. *Imo jam per Deos*

dejerandi periculum evanuit, potiore habita religione per Cæsarem dejerandi, quod & ipsum ad obfuscationem pertinet Deorum vestrorum: facilius enim per Cæsarem pejerantes punirentur, quam per ipsum Jovem. Hunc more suo imitatur Minucius Felix in libello, qui Octavius inscribitur pag. 283. edit. Ouzel. *Sic eorum numen vocant, ad imagines supplicant, Genium, id est dæmonem implorant, & est eis tutius per Jovis genium pejerare, quam Principis.* Nec deerant colores, quibus discrimen stabiliretur. Nam si inter homines hoc jus valet, ut permittatur privatis, qui injuriam passi, eam æstimare; quanto justius est, in injuria Deo illata hanc æstimationem illi relinqui, qui solus ad eam noscendam est sapientissimus, & ad expendendam æquissimus, & ad vindicandam potentissimus: ut in re non absimili Grotius ait lib II. de jure belli c. 20. §. 20. *Dii perjuriorum vindices* dicti apud Justinum lib. XIV. c. 4. & Tertullian. ad nat. lib. I. c. 10. Adhæc ultio Diis relicta, quia non satis digne ac merito ab hominibus videbatur puniri posse tam immane crimen, in Majestatem divinam commissum. *Pœna perjurii (si qua omnino est pœna) contra eum, qui jusjurandum exigit, convertenda*, inquit Justinianus Nov. 51. Hugo Grotius ad Matth. c. 23. ℣. 16. cum jurejurando per Genium Principis comparavit juramentum κορβᾶν, quod Hebræorum magistri supra sacramentum per Templum & altare æstimabant; per hæc enim si quis inconsulto calore pejerasset, gratiam facile faciebant, illius non item; quia ad quæstum, & ditandum gazophylacium pertinebat. Eleganter etiam Petrus Perennonius lib. II. Variar. cap. 8. huc Senecæ locum retulit, qui est de ingratis, lib. III. de Beneficiis cap. 6. *Hoc frequentissimum crimen nusquam punitur, ubique improbatur. Neque absolvimus illud: sed cum difficilis esset incertæ rei æstimatio, tantum odio damnavimus, & inter ea reliquimus, quæ ad vindices Deos mittimus.*

§. IV.

§. IV.

Econtrario Principes Majeſtatem ſuam recentem, in civitate libertatis amante, acriter vindicandam cenſebant; quamobrem ſtatuis eorum major, quam Jovis Olympii, religio & reverentia fuit exhibenda, auctore Philoſtrato de vita Apollonii *lib.* 1. *c.* 15. ſed qui legibus obmurmuraſſet, qui licentius eſſet jocatus, qui ſtatuas violaſſet, aut Principis imaginem loco minus honeſto admoviſſet, minutæ Majeſtatis erat reus, ut præter Senecam, Suetonius vita Tiberii c. 58. teſtatur. Locupletabant fiſcum non tam Voconiæ & Juliæ leges, quam Majeſtatis, *ſingulare & unicum crimen eorum, qui crimine vacarent*, ait Plinius Paneg. cap. 42. Tacitus *omnium accuſationum complementum* vocat, III. Annal. 38. Specie ergo læſæ Majeſtatis perjurium per Genium Principis fuit vindicatum, ut tamen perjuri *fuſtibus caſtigandi dimitterentur*, ſeu ordinaria pœna, qua humiliores beſtiis objecti, vel vivi exuſti, honeſtiores capite puniti, non obtineret; quia magis veneratio Principi debita, quam Majeſtas læſa videbatur, *l.* 2. *C. ad Legem Jul. Maj.* Quotquot Cæſarum clementes erant & juſti, ſatis ſciebant, nihil magis bonum Principem decere, quam placide ferre maledicentes, nec facile admittere quæſtionem Majeſtatis: *Longe ſit in ſuis Princeps, quam in alienis, exorabilior injuriis. Nam quemadmodum non eſt magni animi, qui de alieno liberalis eſt; ſed ille, qui quod alteri donat, ſibi detrahit; ita clementem vocabo, non in alieno dolore facilem, ſed eum, qui cum ſuis ſtimulis agitatur, non proſilit; qui intelligit, magni animi eſſe, injurias in ſumma potentia pati, nec quicquam eſſe glorioſius Principe impune læſo*, Senecæ monitum erat, lib. primo de clementia c. 20. Sed & innumera clementiæ ejusmodi Principalis exempla proſtant apud Tacitum, Suetonium ceteroſque Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores; ex quibus liquet, quod in ſe, vel in eos qui potiore loco erant, jactata verba, convitia & maledicta generoſo contemtu ſpreverint,

verint, nec ad cognitionem trahere voluerint. Maxime vero eminet Theodosii, Arcadii & Honorii indulgentiæ plenissima sententia, qua gratiam maledicti illis pollicentur, qui aut levitate, aut infamia, aut injuria convitium Principi, vel temporibus ejus, seu sæculo, fecerint in *l. un. C. Si quis Imp. maledix.* Verumenimvero quia Principes existimabant, interpretationem hujus jurisjurandi ex auspicio regio repeti oportere, providendum esse censuere, ne quid fastigio Principali indignum in mores abiret, & indies pejerando Principis Genius & majestas magis magisque vilipenderetur. *Quodnam erit tutum, si in nostra peccatur effigie?* ajebat Theodoricus Rex apud Cassiodorum *lib. VII. Var.* idem de Genio dici posset. Videatur Boecler. de auspicio regio c. IV. pag. 199.

§. V.

Sequitur præconis elogium videamus, quod interea, dum fustibus cæditur perjurus, Severus & Antoninus superdici jubent: *& ita ei superdici*, προπετως μη ομνυε, id est, petulanter vel perperam ne jurato. Enimvero cum finis pœnarum sit delinquentis emendatio, & territio aliorum, apud Romanos causa supplicii interdum tabulæ inscribebatur, nonnunquam vero præconis voce palam, ut ab omnibus audiri posset, prædicabatur, ad circumstantium emendationem. Ex hoc more imposita fuit inscriptio cruci Jesu Christi Servatoris nostri, quam nomine juris Romani τιτλον appellat Johannes *cap. XIX.* ỷ. 10. αιτιαν Matthæus *cap. XXVII.* ỷ. 27. Verum hic titulus albo seu tabulæ gypsatæ erat inscriptus, επιγραφη της αιτιας, ait Marcus *cap. XV.* ỷ. 26. alias *elogium* vel *titulus* vocabatur apud Suetonium & Tertullianum. Nobis vero hic sermo est de superdicto, quod præco ore pronunciabat. Usus ejus non solis Romanis proprius; nam & apud Hebræos lapidandus prodibat, antecedente præcone, qui hujusmodi verba alta voce exclamabat: Vir iste, N. N. filius N. N. exit lapidandus ob delictum hoc vel illud,

illud, suntque ejus facti testes, ille vel ille, qui noverit aliquid ad ejus innocentiam probandam, veniat & loquatur pro eo, ut est in Sanhedrin *cap. VI.* §. 1. Plato venditorem adulterinæ mercis fustibus jubet cædi, præcone dicente causam, propter quam id pati meruit *Lib. XI. de Legibus.* Romanorum morem eleganter discimus ex *l.* 16. *C. Ex quib. caus. inf.* ubi Gordianus *Fustibus cæsum*, inquit, *cui per præconem ita dictum est*, ἐσυκοφάντησας, i. e. calumniatus es, *ut calumniatorem videri notatum, manifestum est.* Similia id genus exempla plena manu conduxerunt Cujacius *lib. VIII Obs.* 7. & *lib. XIII. Obs.* 3. Brissonius *de formulis lib. V.* Faber *lib. II. Semestr. cap.* 6. Heraldus *ad Apolog. Tertull. c.* 2. Ræverdus *lib. V. Var. cap.* 7. Fornerius *lib.* 1. *rer. quot. cap.* 13. & qui illorum scrinia suppresso nomine, magnam partem, compilavit, Janus Langlæus *lib. XI. Semestr. c.* 1. nec non Gothofredus pater ad nostram *l.* 13. §. *fin. de Jurej.* ubi & Duareno aliquid affingit, quod nunquam ipsi in mentem venisse patet ex Diatriba *de in lit. jur.* §. 54. *pag. operum* 226. Hoc addo, Alciatum, legem nostram non satis intellexisse videri, quando *lib. IV. Dispunct. c.* 2. proverbii loco Græca illa usurpata existimat, & a præcone reum admonendi gratia tantum prolata. Inprimis vero huc pertinet, quod idem Septimius Severus, cum adhuc legatus esset Proconsulis Africæ, eumque præcedentibus fascibus, ut antiquum contubernalem, Leptitanus quidam plebejus amplecteretur, fustibus eum cædi jussit, sub elogio præconis: *Legatum P. R. homo plebejus temere complecti noli*, auctore Spartiano *in ejus vita cap.* 2.

§. VI.

Quid autem causæ est, dicat aliquis, cur sermone peregrino, προπετῶς μὴ ὄμνυε, elogium superdici voluerit Imperator? nam Græco uti sermone haud quaquam in judiciis Romæ receptum, nec provinciarum Præsides nisi Latine decreta sua interposuerunt. Vide Suetonium *in vita Ti-*

Tiberii cap. 71. in Claudio *cap. XVI* Val. Maximus *lib. II. cap.* 2. Sed meminerimus, Romam hoc tempore fere Græcam fuisse, pueros Græce nugatos, adultiores Græce prius, quam Latine declamasse. Ex Spartiano item liquet, Severum Athenas propter litteras Græcas petiisse, & Antoninum filium Euripidis amantissimum fuisse, tradit Dio. Quin ipsos etiam Imperatores rescripta sua, lingua Græca concepisse argumento est *l.* 9. *D. de L. Rhodia de jactu*; ubi libello Græco Eudæmonis Nicomediensis Imperator Antoninus Græce rescribit. Quid obstat igitur, quominus & hoc rescriptum ad Græcos directum, vel Græcum adagium, amore linguæ omnibus tum notæ, præconi injunctum credamus? Iidem quippe Impp. in l. 6. §. fin. D. de Officio Proc. *Vetus*, ajunt, *proverbium est*: ὅτι πάντα, ὅτι πάντοτε, ὅτι παρὰ πάντων. Ceterum mos ille proclamandi in pœnis irrogandis necdum penitus obsolevit. Gonzalez enim Tellez *ad lib. V. Decretal. tit.* 26. *cap.* 1. observavit, in Hispania a præconibus præeuntibus delictumque manifestantibus ad finem adjici: *Quiental hace, que tal pagne.* Ad eundem modum Vasconiæ quibusdam regionibus, dum publice traducuntur fures, & cæduntur, præire præconem clamitantem: *Talia patietur, eadem qui fecerit, imo graviora*, testis est Cujacius *Lib. VIII. Obs. c.* 7. Nec tituli scripti usum prorsus cessare, consuetudo Galliæ & Frisiæ apud Mornacium ad *h. l.* & Huberum, *Prælect. D. de Cess. bon.* §. 3. docebit.

§. VII.

Hæc quidem ad illustrationem legis nostræ hactenus: & necdum tamen res nostræ securæ sunt. Quod enim cum Cujacio, Donello, Fabro, aliisque Viris Clarissimis distinximus I. inter pœnam, quæ tempore Reip. fuit, & quæ sub Principibus obtinuit; tum. II. inter perjurium per Deum, & per principem commissum, rem omnem exhaurire non videtur. Quid enim si per aliud quid juratum?

Plu-

Plures namque erant modi jurandi, præter duos illos, etiam Jure Romano approbati *l.* 3. §. *ult. & seqq. D. de Jurej.* Sed hos forte omnes, vel ad obtestationes extrajudiciales, vel ad implicitum jusjurandum per Deum referri posse, aliquis dixerit, præeunte Ulpiano in *l.* 33. *D. de Jurejurando.* Major difficultas, quod non omne perjurium, quo numinis violata religio, impunitum dimitti videtur ex *l.* 22. *D. de Dolo malo*, ubi Paulus sine distinctione ait: *Nam sufficit perjurii pœna.* Insuper Modestinus libro singulari de pœnis, in *l. ult. D. Stellionatus*, exilii ad tempus meminit: Arcadius infamia perjuros notat, in *l.* 41. *C. de Transact.* Zeno dignitate exuendos sancit, in *l.* 18. *C. de Dignit.* & Justinianus denique in *l.* 2. *C. de Indicta viduitate toll.* legum, *quæ perjuria puniunt*, mentionem facit. Quæ tot loca ad perjurium per Principem nullo colore restringi possunt, cum generaliter loquantur. Vix dici potest, quam variæ extent opiniones eorum, qui hac de re scripserunt. Illud equidem certum est, quod perjurus, licet frivola sua provocatione directe in Deum peccet, in civitate tamen secundum prudentiam legislatoriam, puniri possit & debeat: ne si scelus illud quilibet impune ferat, omnis fides, & maximum expediendarum litium remedium e foro hominum tollatur. Vir maximus, Jacobus Gothofredus, in notis ad Tertulliani libros ad Nationes pag. 107. Jurisprudentiam Romanam a nævo liberare conatus est, quo hactenus ob neglectam perjurii divini pœnam laboravit; ideoque Tertulliani & Minucii Felicis loca, superius a nobis allata, indicia sæculi appellat, ad Principum adulationem conversi. Rem omnem autem una distinctione absolvi posse censet, inter juramenta volatica, seu quotidianæ incursationis, & seria, in contractibus & re pecuniaria præstita: Illa tam crebra fuisse & occulta, ut non nisi Deum vindicem habere potuerint, *l.* 2. *C. de Reb. cred.* hæc vero a magistratu civili punita esse *l.* 11. *D. de Dol. malo.* Verum idem

Gothofredus alibi ad *l.* 8. *C. Th. de Pactis & transact.* aliam conciliandi viam ingressus est; per calorem admisso perjurio, pœnam, ait, non imponi; at judiciali, seu in judicio admisso, imponi omnino; *d. l.* 22. ut & si in instrumento falsum jusjurandum admissum fuerit. *l. ult. D. Stellion.* & in specie *l.* 4. *C. si minor se major.* Nullam vero legem occurrere, de pœna perjurii, admissi adversus jusjurandum; quod de re aliqua præstanda vel facienda, pacto vel religione comprehensum fuerat; etsi hoc casu jurisjurandi religionem observandam, Alexander Imperator inculcarit, etiam minori quinque & viginti annis *l.* 1. *C. si advers. vend.* Hæc ille.

§. VIII.

Verumenimvero si præter allatas antea a nobis distinctiones binas, alias adhuc quatuor adsciscamus, iis demum expositis, facillimum erit jura concordare, quæ prima fronte pugnare videntur. Intererit ergo III. an litis decisorium voluntarium præstitum fuerit extra judicium; an vero judiciale, aut necessarium. Illius, si pejeratum per Deum, nulla est pœna, nisi divina: quia de eo nec inquiri convenit §. 4. *Inst. de Except. l.* 5. §. 2. *D. de Jurej.* nec est dolus, quo nemo decipitur: non decipiuntur autem, qui sciunt & consentiunt; multo minus qui jusjurandum ab alio exigunt; hoc enim servandum est, quia transactum videtur *l.* 21. *D. de Dolo malo.* maxime vero propter conventionem conditionalem, qua deferens promittit, se ab ulteriore persecutione destituturum, si modo reus juraverit, rem suam esse, quæ petitur, vel se nihil debere; unde plus uno loco *conditio jurandi* deferri, referri, suscipi dicitur in *l.* 3. *l.* 26. §. *ult. l.* 34. §. 7. *D. de Jurej.* At si quis in judicio, adversario vel judice deferente pejeraverit, *& absolutus sit*, Labeo actionem de dolo in eum dandam; Pomponius & Marcellus, stari religioni debere; Paulus perjurii pœnam sufficere censebat *d. l.* 21. & 22. *D. de Dolo malo.* Quanquam non

non facile liquere possit de perjurio; nam etsi qui juravit, testibus postea aut instrumentis convincatur, esse potest, ut testes corrupti, instrumenta conficta sint, evidens autem calumnia detegi debet arg. *l.* 65. §. 1. *D. de condict. indeb.* Vide Hilliger. ad Donell. *lib.* 24. *cap.* 17. Deinde IV. discrimen constituendum puto, inter perjurium merum, & id quod cum alio crimine est conjunctum. Qui falsum testimonium dixisse convictus erat, ex L.L. XII. Tabularum e saxo Tarpejo dejiciebatur, auctore Cæcilio apud Gellium *lib. XX. Noct. Att. c.* 1. Quæ pœna, utpote durior, deinde in exilium conversa fuit, aut relegationem in insulam, quam perpetua infamia, aliæque pœnæ a judicis arbitrio pendentes, interdum & capitales, comitantur, *l.* 1. *D. Ad Legem Corn. de Sicar. l.* 16. *D. de Testibus.* Paul. *l. V. Sent. tit.* 15. Sic debitor si instrumento juraverit, sua esse pignora, quæ sciebat esse aliena, ad tempus exulare jubetur in *l. ult. D. de Stellionatu:* non quia pejeraverat, sed quia in stellionatum incidit, cujus pœna, licet absit perjurium, locum haberet. *l.* 3. §. 2. *D. l.* 2. *C. Eodem.*

§. IX.

Præterea V. multum refert, num quis consulto juraverit, an calore iracundiæ, errore, temeritate, vel alio effervescente mentis motu. Sæpe enim evenit, ut quis in rixa iratus juret, se aliquid facturum, in quo tamen nemini præjudicium fit, si pejeret, aut promissa, si serventur, scelere sunt adimplenda. In priore specie, ubi de dirimenda controversia, vel contractu firmando quæritur, fide opus est, ne alter lædatur, & perfido *sufficit pejurii pœna.* Signanter Ulpianus noster *rei pecuniariæ* meminit, & explicat, *dare se non oportere*, vel *dari sibi oportere*, vel *intra certum tempus juraverit, se soluturum, nec tamen solverit*, tum enim fustibus castigandus erat, qui per Genium Principis pejerasset; alia vero, & leniore pœna, si per Deum. Neutra harum autem obtinebit, si quis in malis promissis mutat de-

cretum, & leve votum rescindit. Eleganter & pie hanc in rem Alexander Faustiniano rescribit: *Alienam sectæ meæ sollicitudinem concepisti, quasi crimen Majestatis sustineres, si servo tuo iratus esse non perseveres, quod semper te facturum INCONSULTE juraveris*, in *l.* 2. *C. Ad Legem Juliam Maj.* Eodem pertinet ejusdem *l.* 2. *C. de Rebus creditis*, quam integram adscribo, ut lucem afferat & fœneretur: *Jurisjurandi contemta religio satis Deum ultorem habet. Periculum autem corporis* (id est fustium ictus) *vel Majestatis crimen, secundum constituta Divorum parentum meorum* (Severi & Antonini in nostra l. 13. §. fin. D. de Jurej.) *etsi per Principis venerationem QUODAM CALORE fuerit pejeratum, inferri non placet.* Nil clarius, si bina hæc rescripta conjungantur: quod in priore *inconsultum* jusjurandum vocat, in posteriore per *calorem quendam* expressit; calor vero est inconsultus quilibet animi motus, ut ex legibus docuit Cujacius *lib. II. Obs. cap.* 19. & patet ex Quintil. II. cap. 15. *Juvenili calore Pollus inconsideratior.* Nec Samueli Petito accedo, ad Jus Atticum lib. IV. tit. 6. existimanti, hac *l.* 2. Severi & Antonini rescripto esse derogatum. Quasi vero hi adeo rigidi fuerint, ut calorem juvenilem (sic enim Græcam eorum formulam explicat, προπετῶς μὴ ὀμνύειν, *cum calore ne jurato*) & lubricum linguæ inconsultum, & extrajudiciale quidem, fustibus plecti voluissent. Quinimo particula *etsi* in *hac l.* 2. contrarium potius nos credere jubet, quæ sui natura ampliativa est: nec fidiculis quidem calorem illum ex *d. l.* 13. §. *fin.* extorserit Petitus: in re enim pecuniaria juratum dicitur diserte. Et nonne sic omnis perjurii pœna fuisset sublata, cujus tamen Paulus, Alexandri consiliarius, mentionem fecit *l.* 22. *D. de Dolo malo.* Plane si Felicis consultatio superesset, quæstionem hic de eo, qui in rixa, calore iracundiæ motus, per Genium Principis pejeraverat, Alexandro propositam fuisse, certo nosceremus.

§. X.

§. X.

Denique VI. tempora probe sunt discernenda. Ætate Jurisconsultorum per Deum pejerans infamia nuspiam legitur notatus. Certe nihil de eo expressum est edicto de infamibus, quod exstat in *l. 1. D. de his qui not. inf.* nec alia ulla lex ejus tituli hujusmodi quid prodit. Arcadius vero & Honorius infamiam primi irrogant, nec cuivis pejeranti, sed ei, qui adversus pacta & transactiones jurejurando confirmatas veniat. in *l. 41. C. de Transact.* Jam antea Alexander Imp. contractus jurisjurandi religione firmatos, etiam minori servandos inculcarat, in *l. 1. C. Si adv. vendit.* nulla vero constituta pœna, si quis hac parte pejerasset. Arcadius vero perjurio hujusmodi, a majore 25. annis commisso, quatuor varias & atroces imposuit pœnas, adeo ut post Alciatum, Molinæus, Menochius & Wissenbachius hanc constitutionem, tanquam ab Arcadii tutore Rufino, turpi legum cauponatore, expressam, & iniquiorem, moribus receptam vel recipiendam non fuisse existimarint, quibus Gothofredus filius *ad d. l. 8. C. Th. de Pactis*, & Brunnem. ad *dict. l. 41. n. 13.* contradicunt. Ast quotquot pro legis hujus usu pugnant, tot limitationibus eam restringunt, ut regula prope absorbeatur. Bene monuit Beyerus ad *tit. de transact* §. 8. Pactum, licet juratum, jure Romano, non produxisse actionem, sed exceptionem tantum; quod si quis ergo nudo pacto transigens, aliquid se daturum præstito jurejurando promitteret, quia nulla ad promissum exigendum actio prodita erat, aliis pœnis, ut infamia, opus fuisse, quæ hodie, ob diversam juris rationem, cessat. Post Arcadium Zeno quoque aliquid immutavit, dignitate perjuros exui jubens, in *l. 18. C. de Dignitat.* Non quemlibet autem coercet novella hæc constitutio, sed illustres viros, neque hos passim & quacunque in causa pejeraverint, sed tunc solum, cum criminali judicio conventi, cautioni juratæ non steterunt. Atque ad

varias hasce pœnas, ante tempora sua dictatas, Justinianus digitum intendit in *l. 2. de Indicta viduit.* Ipse etiam pœnas quasdam in eos statuit, qui se nihil cuiquam judici dedisse vel promisisse jurarant, *Nov.* 124. quæ pœna tamen non tam perjurii erat, quam corruptelæ. Denique ex *Nov.* 117. Tribunus militum vel chartularius militia exauctoratur, si mulieri de marito suo inquirenti falso juraverit, eum decessisse.

§. XI.

Coronidis loco varias variarum gentium pœnas adjicere lubet, quibus perjurii crimen coercere placuit. Ab Ægyptiis ordiemur, quia primi hominum Deorum notitiam percepisse olim credebantur, auctore Luciano de Dea Syria. Hi perjuros capite mulctarunt, ut qui duas humanæ societatis res sanctissimas violarint, pietatem in Deos, & inter homines fidem, ait Diodorus Siculus *lib. II.* Testatur etiam Rabbi Abenesdra in Decalogum, suo adhuc ævo capite plectendum fuisse, qui apud Ægyptios per caput Regis pejeraverat, nec tanto auro, quantum ipse pendebat, redimendum. Scythæ si quem hominem per vaticinos convicerint, pejerasse per Regis solium, sine mora caput excidunt, ejusque facultates inter se partiuntur, scribit Herodotus *lib. IV. pag.* 108. Athenis qui per Apollinem ποκον, vatem non mendacem, pejeraverat mutilatus, ex lege Solonis, cujus meminit Lysias *Orat. VIII. pag. m.* 128. Apud Græcos recentiores, qui ex sententia judicis, vel adversario postulante, jusjurandum in Ecclesia præstiterat, tactis Sacrosanctis Evangeliis, ei perjurii postea convicto, ex Novella Leonis & Constantini, lingua abscissa, ut tradit Harmenopulus in *Proch. lib. 1. tit. 7.* & Attaliates *Synopf. tit.* 18. utraque etiam manus aliquando amputata, quo sic, qua corporis parte peccasset, eadem & puniretur, Procop. *de Bello Goth. lib. I.* Similiter apud Francos, cum perjuria invaluissent ex consuetudine jurandi, & multitudine

dine conjuratorum, Carolus M. anno 779. cavit: *De eo qui perjurium fecerit, nullam redemtionem det, nisi manum perdat*, in Capitularibus *cap.* 10. apud Baluzium *Tom.* 1. *pag.* 197. 860. *&* 1220. quod & repetitum est Lege Langobard. *tit.* 58. *lib.* 2. & Frisionum *tit.* 10. Mahumedanis vero ridiculam & leviculam perjurii expiationem exprobrat Joannes Cantacuzenus *Orat.* 2. κατα τȣ Μωαμεθ, §. 7. licet in Alcorano gravior etiam, quoad Deum pœna proponatur, Vid. Selden. de Synedr. Vet. Ebr. *lib. II. cap.* XI. §. 5. Inter judicii Westphalici causas Vehmfrogicas perjurium relatum fuisse ex Henrico de Hervordia, Ænea Sylvio, aliisque monumentis Meibomius Rer. Germ. tom. III. *Tract. de Irmensula cap. XII.* & Datte de Pace publ. *lib. IV. c.* 3. *n.* 45 docuerunt. Nam & Saxonum lege antiqua *lib.* 2. *c.* 8. qui sciens pejerasset capite punitus, qui nesciens, manum redimere debuit. Regio Hispanorum jure quinta pars dentium testi falsum asserenti olim ademta *l. fin. tit.* 16. *partit.* 3. Ungarorum legibus de perjurio convictus omnia bona amittit, & disparibus vestibus indutus, zona cannabia succinctus, discalceatus pedibus & nudato capite semper incedere cogitur, juxta *tit.* 30. *jur. consuet. Hung.* apud Stephanum Werbeuzum. At secundum Stephani I. *lib.* 11. *decretor. c.* 15. perjurio addictus, perditam manum luit, aut quinquaginta juvencis eam redimere tenetur. Opes enim Ungarorum olim in juvencis constitutæ. Jure Canonico perjurus homicida pejor habetur, & infamiam incurrit, & a testimonio arcetur, *cap. constituimus* 9. *qu.* 5. *c. infames qu.* 1. *caus.* 22. *qu.* 4. *can.* 7. Cui adstipulatur Constitutio Carolina *art.* 107. & Jus Lubecense *lib. IV. tit.* 14. Item Speculi Saxonici Glossator *lib.* 3. *art.* 83. *n.* 4. Ex eadem Nemesi Carolina, qui pecuniæ nomine vel lucri consequendi gratia, in judicio perjurium commisit, vel urphedam, de non redeundo, aut carceris injuria non ulciscenda, ruperit, amputatione duorum digitorum punitur, *dict.*

dict. art. 107. & 108. Quæ pœna & Indis usitata fuit, auctore Strabone *lib. XV.* Apud Belgas frequentior est arbitraria coercitio. Vide Groenew. *ad l.* 2. *C. de Reb cred. n.* 6. & Matthæ. *de crimin. lib.* 47. *tit. ult. c.* 1. Praxi tamen Germaniæ invaluit, ut articuli digitorum priores, quibus in cœlum elevatis juratum fuit, abscindantur. Vide pluribus Carpzov. *Prax. crim. qu.* 46. & 47. *n.* 11. *seqq.* Lyncker. *dec.* 179. De mulieribus Richter *dec.* 93. *n.* 28.

F I N I S.



DIS-



DISSERTATIO SEXTA,

DE

PRÆSTATIONE CASUUM

SOLITORUM, INSOLITORUM, ET INSOLENTISSIMORUM.

AD

L. LXXVIII. §. *f. D. de Contrah. emt.* & *L.* XV. §. 2. *D. Locati.*



Ateria hujus dissertationis non eget commendatione, ipsa enim se ostendit; quia & rerum varietate pulchra, & usu quotidiana est. Metus autem, ne Juris studiosis nebulas offundant, duo Pandectarum capita, de quorum intellectu, primi nominis viri, Claudius Salmasius, & Desiderius Heraldus odiose inter se contenderunt. Meum forsan non erit, tantas componere lites; symbolam tamen conferam, & quid aliis visum fuerit, quid ipse sentiam tecum, Lector Benevole communicabo. Prius autem quam rem ipsam aggrediar, Jurisconsultorum verba præmittenda erunt. Alterum caput in *l. 78. §. f. D. de contrahenda emtione*, Labeonis est, ex lib. IV. Posteriorum: *Frumenta, quæ in herbis erant, cum vendidisses, dixisti, te, si quid vi aut tempestate factum esset, præ-*

præstaturum: ea frumenta nives corruperunt : Si immoderatæ fuerunt , & contra consuetudinem tempestatis, agi tecum ex emto poterit. Altera l. 15. §. 2. D. Locati ex Ulpiani lib. XXXII. ad Edictum petita est, & ita sese habet: *Si vis tempestatis calamitosæ contigerit, an locator conductori aliquid præstare debeat? videamus. Servius omnem vim, cui resisti non potest, dominum colono præstare debere ait: ut puta fluminum, graculorum, sturnorum, & si quid simile acciderit, aut si incursus hostium fiat. Si qua tamen vitia ex ipsa re oriantur, hæc damno coloni esse: veluti si vinum coacuerit, si raucis, aut herbis segetes corruptæ sint. Sed & si labes facta sit, omnemque fructum tulerit, damnum coloni non esse; ne supra damnum seminis amissi, mercedes agri præstare cogatur. Sed & si uredo fructum oleæ corruperit, aut solis fervore non assueto id acciderit, damnum domini futurum. Si vero nihil extra consuetudinem acciderit, damnum coloni esse. Idemque dicendum, si exercitus præteriens per lasciviam aliquid abstulit. Sed & si ager terræ motu ita corruerit, ut nusquam sit, damno domini esse: oportere enim agrum præstari conductori, ut frui possit.* Ecce! uterque locus plenus est æquitatis, ac rerum naturalium tanta abundat copia,

Labori faber ut desit, non fabro labor!

CAPUT I.

NATURAM CASUS, EJUSQUE DIVISIONEM EXPONIT.

§. I. *Providentia divina reguntur omnia, etiam adversa.* II. *Ethnicorum vulgus fortuita Deæ Fortunæ adscripsit, quæ denudatur.* III. *Fatum Stoicorum fatuum, velo providentiæ amictum.* IV. *Vis alia divina, alia naturalis Jurisconsultis. Tempestates divinæ.* V. *Quid sit casus, exponitur: aliquando culpam notat.* VI. *Ejus exempla innumera: quid labes & vis calamitosæ tempestatis.* VII. *Incendium non promiscue ad casus refertur.* VIII. *Furtum & factum* *Prin-*

Principis an casus fortuiti, & quando. IX. *Quæ ex re ipsa veniunt vitia ad casus non referenda.* X. *Nec opera providæ & solertis naturæ.* XI. *Quid sit casus solitus.* XII. *Quid insolitus.* XIII. *Quid insolentissimus exemplis declaratur.* XIV. *Distinguendas esse regiones,* XV. *Civitates terrestres item a maritimis, magnas a parvis. Cur Romæ lapsus tectorum assidui.* XVI. *Fontes errorum & dubia removentur. Salmasii & Heraldi inanes concertationes ad l. 78. §. 3. de Contr. emt. explosæ.*

§. I.

DEi providentia regi hoc universum, & omnia quæ in eo vere subsistunt, non ratio tantum, & verbum revelatum, sed & ipse quodammodo sensus evincit. Minus quippe gloriosum foret Summo Opifici, tot præclara opera edidisse, quæ ejus potentiam & sapientiam ostenderent, nisi & curam haberet eorum, quæ produxit, eaque, etiam minima, pro infinita bonitate & scientia sua, ad fines certos moderaretur. Ipsum os Sapientiæ Christus nos edocuit, capillos omnes capitis nostri esse numeratos, nec passerculum quidem sine Patris voluntate in terram cadere. Paulus in Deo nos vivere, moveri & esse, ait, ejusque potente nutu sustineri omnia. Quin imo singuli anni, menses & dies, tum imperiorum ortus & occasus, miracula item & somnia, prædictiones quoque futurorum arcanam illam & vigilem curam lucidissime ostendunt. Quocunque oculos animumque convertas, animata & inanimata clamant & loquuntur, quiddam supra nos esse, quod hæc tam multa, tam mira crearit & creata conservet. Nec læta tantum & bona, sed tristia quoque & mala, quæ certis personis damni aliquid inferunt, in pœnam vel ad emendationem, a Dei gubernatione proficisci, certum est. Quod enim iste in latrones incidit, ille naufragium facit, hujus ædes vento dejiciuntur, illius fulmine percutuntur, unius Dei opus est. Is gratiam suam testatur, & favorem paternum, quoties rore & pluvia terram irrigat; iram vero præ-

 sentem

ſentem & vindictam, quando cœlum, ferri inſtar, obdurat, vel pluvia intempeſtiva fruges corrumpit. Lucem & tenebras, pacem & bellum, quicquid denique boni malive præter ſpem in civitate accidit, unus unus efficit Jehova, *Amoſ. III. 6. Jeſ. XLV. 7.* Sed quoniam mentis humanæ tarditas rationem, ordinem & finem in Dei conſilio mirabili latentem apprehendere nequit, fortuita nobis videntur, quæ ex certa Dei voluntate promanant, atque oculatiſſimæ ejus providentiæ ſunt adſcribenda: quo ſenſu apud Eccleſiaſten ſæpius vox *eventus* reperitur. Vide B. Calvini Inſtit. Chr. Rel. *l.* 1. *c.* 16. §. 9.

§. II.

Gentiles vero religionis lumine deſtituti, cum ſummum aliquod, quo res humanæ aguntur, eſſe ſcirent, ecquid tamen illud eſſet, an in Deo, an extra Deum poſitum, ignorarent, adhæc optime deliberata peſſimum aliquando exitum ſortiri, bonos ubique jacere, pravos ad honores evehi obſervarent, in varias iverunt ſententias, quas breviter recenſet Arrianus *lib. I. ad Epict. c.* 12. Multi eam in opinionem adducti ſunt, temerario aut cœco *Fortunæ* impetu volvi & rotari pleraſque res humanas. Hinc vetus illa ſententia, cujus ipſe Theophraſtus, longo rerum uſu edoctus vir, auctor habetur: Τυχη τα θνητων πραγματα, ουκ ευβουλια. Quin toto mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omniumque vocibus *Fortuna* invocabatur. Proſperam laudabat, adverſam arguebat vulgus, & cum convitiis iniquam colebat. Huic omnia expenſa, omnia accepta ferebantur: a pleriſque vero & cœca exiſtimata, vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorumque fautrix. *Adeo obnoxii ſumus ſorti, ut Sors ipſa pro Deo ſit, qua Deus probatur incertus!* exclamat Plin. *l.* 11. *H. N. c.* 7. Sanioribus item Philoſophis, pariter ac Plinio, abſurdum videbatur, Fortunam eſſe Deam, cum potius velamentum eſſet ignorantiæ gubernationis divinæ. Cicero V. Tuſc. *Vexatur Theophraſtus & libris & ſcholis omnium Philoſophorum, quod in Calliſthene ſuo laudarit illam*

illam sententiam : Vitam regit Fortuna, non sapientia. Ancus tamen Marcius ei, velut Deæ potentissimæ, templum posuit Romæ, Servius Tullius plura exstruxit : & indolem ejus explicat Tullius in Topicis cap. XVII. *Latent, quæ subjecta sunt Fortunæ, cum enim nihil sine causa fiat, hoc ipsum est Fortunæ eventus; obscura, quod latenter efficitur.* Nec Rhetores tantum & Poetæ, sed & Jurisconsulti usurparunt, ut vocem mediam. Tryphoninus thesaurum *fortunæ donum* dici ait, *l.* 63. *D. de A. R. D* id est, munus divinum *l.* 1. *C. de Thesaur.* θεῖα δῶρα *Nov. Leon.* 61. Contra Ulpianus *fortunam & casus tristiores* conjunxit l. 3. §. 1. D de Muner. *Miserrima naufragiorum fortuna* est apud eundem in *l.* 3 §. *f. de Incend. ruin. naufrag.* Accurate vero casus a Fortuna distinguitur, ut effectus a causa. Cicero IV Tusc. 17. *Quemcunque casum fortuna invexit.* Quintil. XXVII. Inst. c. 1. *Casum tam indignæ fortunæ miserantis.* Vide Celeberrimum Burmannum ad Quintilian. *decl.* 4. eique junge Gutherium de jure manium *lib.* 1. *c.* 3.

§. III.

Non equidem inficior, Platonicos pariter ac Stoicos providentiam Deo asseruisse, & hos quidem tam crebro, ut ludus fuerint Epicureis, qui eam *anum fatidicam Stoicorum* appellarunt : nec minus Aristoteles Deum in orbe idem esse agnovit, quod in navi gubernator, in curru auriga. Sed tamen quia eam de Diis opinionem habebant, eos non posse non prodesse generi humano, etiam indignos juvare, nunquam irasci, ideo culpam omnium malorum in materiam conjecerunt, & *Fatum* commenti sunt fatuum sive συντάξιν & connexam rerum seriem, per quam mundus administretur. Sæpe fatum cum fortuna confunditur, etiam apud Orientales, Gad & Fortunam & ipsum Jovem notat; sive τὴν ἀγαθὴν τύχην: cum proprie fortuna respectu hominum, fatum intuitu Dei dicatur Hujus vinculis ipse Deus Stoicorum irretitus est, ut nassæ pisces, ab omni ævo materiæ immersus : cum tamen ille liberrimus rerum omnium re-

 ctor

ctor transcendat, cum libuit, & rumpat implexa illa agmina & volumina fati. Occupatus in eo fuit Lipsius, ut asperum de fato sermonem benigna interpretatione juvaret, ipse nec sibi constans, nec satis fidens. Chrysippus item apud Gellium *lib. VI. cap.* 1. omnia fato fieri explicare conatus est: sed Cicero judicavit, eum non satis se expedivisse. *Anile & plenum superstitionis fati nomen ipsum* vocat *II. de Divin.* adimit certe fatum homini libertatem, omnipotentiam Deo. Jurisconsulti vero, quemadmodum a Stoicis imbuti, inopinatos quosvis casus, quasi rerum serie & ordine inviolabili contingentes, Fato adscripserunt, velo providentiæ divinæ amicto. Hinc *fatalia damna* vocat Ulpianus, quæ imprudentibus accidunt *l.* 52. §. 3. *Pro soc.* id est inscius, non opinantibus, non providentibus, vel quæ in prudentissimos quoque cadunt, prout explicat Ampl. Senator van Bynkershoek *lib. II. Obs. c.* 10. Detrimenta *fatalium l.* 3. *D. de Instr. vel instr. leg.* quæ non inconsulte, sed *fato* eveniunt *l.* 11. §. 4. *D. de Minor.* Idem vero Domitius violentiam ventorum *vim* habere *divinam* agnoscit in *l.* 24. §. 4. *D. de Damn. inf.* quam a *fatali damno* separat in *l.* 2. §. 1. *D. de Per. & comm.* Cajus *Vim majorem* vocat, quam Græci θεῖαν βίαν, *vim divinam* appellarunt *l.* 25. §. 6. *D. Locati.*

§. IV.

Balbutiebant scilicet cum magistris suis in materia de providentia, & quasi per nebulam eam videntes, sententiæ incerti, nunc Deo, nunc fato, mox Fortunæ, iterum naturæ, vel ordini aut fatali necessitati fortuita imputabant. *Vis* autem duplex iis fuisse videtur, alia *major* & *divina*, quæ non ab hominibus aut brutis, sed mirabili quadam cœli potentia huic vel illi infertur, quæque *Ira cœlitum invectum malum*, Ciceroni IV. Tusc. quæst. *Jovis ira* Ovidio l. XV. Met. *Vis sacra Jovis* Capellæ lib. 1. vocatur, ut imbres, fulgura, locustæ, pestis. Alia vis est *naturalis*, quæ ex naturalibus & physicis causis promanat, ut terræ,

ræ motus, *si vi naturali*, *velut terræ motu*, ait Sabinus apud Javolenum in *l.* 59. *D. Locati.* Huc refero vim fluminis *l.* 9. §. 1. *de Damn. inf.* vim latronum *l.* 30. *ad L. Falcid.* nimios imbres, hiemis rigorem & cœli intemperantiam, quæ apud Senecam de const. sap. c. 74. *forte accidentia*, apud Tacitum *naturæ mala* appellantur *IV. Hist.* 74. Audiamus Senecam lib. VI Quæst. nat. c. 3. *Illud proderit præsumere animo, nihil horum Deos facere, nec ira numinum aut cœlum concuti aut terram. Suas ista causas habent, nec ex imperio sæviunt, sed ex quibusdam vitiis, ut cum corpora nostra turbantur.* Adde Theophrastum apud Alciat. *l.* 2. *præterm.* Budæum ad *l.* 25. *loc.* & Hotman. *l. IV. Obsc.* 16. De *vi majore* multa prostant veterum loca, Pauli apud Pariatorem LL. Mos. tit. X. § 9. Prudentii in Psycom. Sidonii lib. IV. ep. 5. Donatus ad lib. IV. Æneid. *Amor*, inquit, *vocatur vis major*, *urget vis intolerabilis.* Eadem est *vis divina*, quam egregie Plinius lib. XVIII. H. N. c. 28. explicat. *Ante omnia duo genera cœlestis injuriæ meminisse debemus: unum, quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, ceteraque similia intelliguntur: quæ quum acciderint* vis major *appellatur.* Columella I. c. 7. *Nam ubi sedulo colitur ager plerumque compendium: nunquam, nisi si* cœli major vis *aut prædonis incessit, detrimentum adfert.* Inscriptio Grut. pag. 94. 5. VI. DIVINÆ. SACRVM. *Cœli vitium* vocat Imp. in *l.* 8. *C. Locat.* & Pontifex in *cap. propter X. eod.* Cicero commotas tempestates *vim fortunæ* dixit libr. II. d. inv. Horatius Deorum iram *vim acriorem:* Virgilius *vim superum* vocat. Sed Jupiter, omnium tempestatum velut præses, ut lapis indicat apud Sponium miscell. pag. 76. JOVI. O. M. TEMPESTATIUM DIVINARUM POTENTI. Hinc etiam in nummo Seguini, dextra pluviam comprimens, altera fulmen gestans repræsentatur. Nec alia causa Tempestates populi Romani ritibus consecratæ sunt. In vetustissima inscriptione, quam Hieronymus Alexander brevi commentario explicavit, L.

Scipio,

Scipio, Barbati filius, DEDET TEMPESTATEBVS. AIDE. MERETO.

§. V.

Jurisconsulti vero, quanquam omnia fati legibus subjecta esse crederent, sic tamen in arte sua populari versabantur, ut de quacunque re sermo esset, omnia transferrent ad usum, & ex humana scientia vel ignorantia, quicquid homo homini deberet, aestimarent. Eleganter hoc docuit ὁ πάνυ van Bynkersh. l. IV. Obs. c. 15. ex Pauli *l.* 28. §. *ult. D. de Jud.* ubi: *Non naturam rerum intuendam, in qua omnia certa essent, cum futura utique fierent, sed nostram inscientiam aspici debere.* Illustro ex Quintil. decl. 4 *Vtut providentia regantur cuncta, non posse tamen humana scientia deprehendi.* Atque sic etiam in dirimendis civium controversiis, missis Philosophorum simulatorum contentionibus, casum fortuitum accipiebant pro quolibet inopinato rei eventu, qui humana diligentia praevideri, aut evitari non potest, sive extrinsecus, sive a facto alicujus non voluntario promanet. In Legibus XII. Tabb. *casus* pro negligentia acceptus videtur, ut Contius *l.* 1. *lect. c.* 14. observavit ex Cajo in *l.* 9. *D. de Inc. ruina.* juncta *l.* 28. §. 12. *D. de Poen.* ex aliis Petrus Burgius *l.* 1. *Elect. c.* 5. Eruditus etiam Joh. van de Water *l.* 1. *Obs. c.* 16. Paulum notavit, in Collatione LL. Mos. tit. XII. n. 6. insulam *casu* incendere pro culpa, & *fortuita incendia* pro his, quibus culpa causam dedit, dixisse. In eadem Collat. tit. I. n. XI. Celeberrimus Schultingius *casu delinquere* recte interpretatur, quod non sit dolo, sicut in *l.* 1. §. 3. *D. ad L. Corn. de Sicar.* At nostro significatu Ulpianus in l. 2. §. 7. de Adm. rer. ad civ. pert. *Fortuitos*, inquit, *casus nullum humanum consilium providere potest*, id est vitare, cavere: ut apud Ciceronem IX. Epist. fam. 19. *Actum est de te, nisi provides.* & Terent. Andr. I. Sc. 3. ỷ 4 *Quae si non astu providentur*, ibique Donatus. Dantur enim casus noxii, qui possunt provideri, nec tamen praecaveri, ut incen-

cendium quod late evagatur, & ſæpius *vis, cui reſiſti non poteſt* l. 15. §. 1. D. Locati. *caſus, cui humana infirmitas reſiſtere non poteſt* l. 1. §. 4. de O. & A *fortuiti caſus, adverſus quos caveri non potuit* l. 4. C de Peric. tut. Aliis contra poteſt reſiſti, ſi modo poſſent prævideri, ut vis latronum, piratarum & hoſtium. Hinc Alexander Imperator in l. 6. C. de Pignor. act. *Quæ fortuitis caſibus accidunt, cum prævideri non potuerint - - nullo bonæ fidei judicio præſtantur.* Cicero II. de Divinat. *Poteſt ne igitur earum rerum, quæ nihil habent rationis, quare futuræ ſint, ulla eſſe præſenſio? Quid eſt enim aliud Fors, quid fortuna, quid caſus, quid eventus, niſi cum ſic aliquid cecidit, ſic evenit, ut vel non cadere atque evenire, vel aliter cadere atque evenire potuerit?* Licet vero nihil ſit a caſu, ubi maxime caſus apparet, nec Chriſtiani caſum aut Fortunam in hoc pulcherrimo mundi corpore dominari, quævis autem, etiam ſubita, occulto Dei conſilio dirigi ſciamus; nulla tamen ratio eſt, cur *caſus* vocabulum reſpuatur; modo ejus prava ſignificatione, ut Baſilius Magnus monuit, piorum mentes non occupentur, ſed omnia ad divinam providentiam revocentur. *Nihil aliud in rebus caſum vocamus, niſi cujus ratio & cauſa ante ſecreta eſt*, ait Auguſtinus 1. *Retract. c.* 1. Adde Elmenhorſt. *ad Minuc. cap. XI.*

§. VI.

Exempla caſuum fortuitorum, proh dolor! innumera ſunt, & potiora enarrarunt Juriſconſulti in *l.* 15. §. 2. *D. Locati l.* 23. *de R. J.* Huc pertinet incendium, naufragium, ruina, aquarum inundatio, impetus prædonum & piratarum, hoſtium incurſio, rapina, tumultus, terræ motus, labes, chaſma, alluvio, mortes animalium, murium & locuſtarum examina, ſturnorum aut graculorum pernicies, vis fluminum, grando, nix & glacies immoderata, naufragium, ruina, ſententia injuſta, falſum teſtimonium, mentis aut corporis infirmitas, & cetera, quæ ſine hominum culpa accidere ſolent. Summus Cujacius *l. XV. Obſ.*

c. 28. species nonnullas casuum in *d. l.* 15. relatorum illustravit ut solet, pulcherrime. Recte etiam vindicavit vocem *labes* contra Budæi mutationem in *tabes*, quæ ad Medicorum quæstus spectat, arboribus tamen tribuitur apud Plinium XVII. *cap* 24 & sæpius has voces confudisse librarios, Viri Clarissimi Gronovius ad *Liv.* 33 *c.* 38. Burman. ad *Quintil. decl.* 13 & Drakenb ad *Silii Italici* VIII. 21. monuerunt. Sed *graculorum* appellatione, picas illas glandularias, quas *gaïos* appellant Galli, quasque Græci *μαλακοκρανεῖς* dixerunt, non intelligi, sed *corvorum* genus, idem Cujacius obsfervavit, at strictim, & ante ipsum Bellonius Ornithologiæ lib. VI. c. 7. ac Julius Scaliger Exerc. 222. quorum sententiam Menagius pluribus confirmavit Amœnit *cap.* 38 Videamus autem quid sit *calamitosæ tempestatis vis* in *ead. l.* 15 Calamitatis vox proprie vitium notat in calamis, seu culmis quassatis & fractis, quod grando plerumque causatur; post autem ad omnem frugum perniciem, quæ colonum pauperat: dein ad omne fortunarum detrimentum translata est, ut contra P. Nannium erudite docuit Gronov. *l.* III. *Obs. c.* 9. Hinc ager ejusmodi calamitatibus obnoxius *calamitosus* vocatur Catoni *de R. R. c.* 1. *&* 35. Plinius hordeum ex omni frumento minime *calamitosum* appellat *l.* 18. *c.* 7. quia ejus calami, ex quibus stant spicæ, sunt flexibiliores & demissiores, quam ut imbrium violentia facile confringi queant. Cicero III. *Verr.* 38. pariter ac Ulpianus, *calamitosam tempestatem* dixit, pro ea, quæ segetes prosternit & corrumpit. Non ergo grandines tantum earumque verbera, sed & agros torrentia sidera, & hiemes iniquas, flatus ventorum, pluviarum incursum, passerum & gruum agmina, uredinem ex rore concreto, rubiginem ex rore putrefacto, carbunculum ex nebulis aëris & quodvis cœli periculum, quod arva depositum fallere jubet, vis illa comprehendit. Plinius lib. XVIII H. N. c. 28. *Tempestates aliæ ab horridis sideribus exeunt, veluti Arcturo, Orione, Hœdis. Aliæ sunt,*

quæ

quæ silente cælo serenisque noctibus fiunt, nullo sentiente, nisi cum jam factæ sunt. Publica hæc & magnæ differentiæ a prioribus, aliis rubiginem, aliis uredinem, aliis carbunculum appellantibus, omnibus vero sterilitatem. Horatius lib. III. Ode 1. ubi docet, animi tranquillitate vitam beatam effici, neque adeo rebus necessariis contentum ullis perturbari incommodis, sic inter alia canit:

Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare.
Nec sævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hœdi:
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundusque mendax; arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.

Horatius comitem habeat Ovidium lib. V. Metamorph.

- - - *primis segetes moriuntur in herbis,*
Et modo Sol nimius, nimius modo corripit imber,
Sideraque & venti nocent, avidæque volucres
Semina jacta legunt, lolium tribulique fatigant
Triticeas messes, & inexplicabile gramen.

§. VII.

Hic admonendi sumus, quod modo *incendium* diximus casibus fortuitis annumerari, non promiscue accipiendum esse, sed si per vim extrariam, non vero intrinsecus facto inhabitantium, id fuerit obortum. Quod si enim cœlitus misso igne ictæ consumantur ædes, vel furor hostium focos privatos flamma disturbet, aut ignis, ex ædibus alienis vento citus, magnam urbis partem hauriat, minime ambiguum habemus, quin casus fortuitus incendii causam intulerit *l.* 18. *D. Commod. l.* 9. §. 3. *D. l.* 15. § 2. *D. Locati. l.* 22. *de Neg. gest. l.* 1. §. 4. *de O. & A.* Proinde Claudius Cæsar Puteolis & Ostiæ singulas cohortes, ad arcendos *incendiorum casus* disposuit, auctore Suetonio in vita ejus cap. 25. Sin vero domini, aut inquilini vel domesticorum vitio in-

cendium cœperit, ut si fornacarius ad fornacem obdormivit, vel qui secundum parietem communem furnum habens sic injecit ignem, ut paries inde exustus sit: aut si quis sclopetum disploserit in avem tecto stramineo insidentem, casibus fortuitis minime annumeratur, *l.* 26. §. 7. 8. 9. 10. 11. *D. ad L. Aquil.* sed culpæ, quam *plerumque* adesse, ait Paulus *l.* 3. §. 1. *D. de Offic. præf. vig.* Seneca eleganter lib. VII. de benef. c. 16. *Quid tu tam imprudentes judicas majores nostros fuisse, ut non intelligerent iniquissimum esse, eodem loco haberi eum, qui pecuniam, quam a creditore acceperat, libidine aut alea absumsit, & eum qui incendio, aut latrocinio, aut aliquo casu tristiore, aliena cum suis perdidit? nullam excusationem receperunt, ut homines scirent, fidem ubique præstandam.* Sane, prioribus speciebus exceptis, incendium sine culpa fieri non posse, docet Alphenus Varus *l.* 11. *D. de Peric. & comm.* juncta ejusdem *l.* 30. §. *f. D. Locat.* nec lata tantum, & levis, sed & levissima præstatur *l.* 44. *D. Ad L. Aq.* hac ratione, quod in igne custodiendo summa diligentia opus est, etiam ne quid omittatur *l.* 27. §. 9. *l.* 30. §. 3. *D. ad L. Aquil.* Vid. Gail. 2 *Obs.* 22. Sande *lib.* 3. *tit.* 6. *n.* 9. Brunn. *ad l.* 27. & 44. *ad L. Aquil.* Stryck. *de incend. casuali pos.* 6. Quis autem culpam probare debeat, huc non pertinet. Videsis Duaren. ad *tit. de Probat. c.* XI. Cujac. XVII. *Obs.* 29. Schilt. *Ex.* XII. §. 25. & Hert. *lib.* 1. *parœm.* 22.

§. VIII.

De *furto* minor dubitatio, inter casus fortuitos non esse recensendum: quamvis enim damnis annumeretur, ideoque rapinæ & mortibus servorum accenseatur in *l.* 30. *pr. D. ad L. Aq.* gregis item abactio casibus adscribatur *l.* 9. §. 4. *Locat.* quæ furto proxima est *l.* 1. §. 1. *D. de Abig.* nimis tamen liquet, diligentem patremfamilias furtum cavere posse, & vix esse, ut sine possessorum lata vel levi culpa committatur, *l.* 78. *D. de Furt.* *l.* 52. §. 3. *D. Pro soc.* Ideoque si res vendita nondum tradita furto perierit, ven-

venditorem manet periculum *l.* 14. §. 1. *de Peric. & comm.* Quanquam pignora creditori, vel aliis res alienæ, quas ex contractu possident, sine culpa aliquando surripi possint, *l.* 35. §. 4. *D. de Contrah. emt. l.* 9. *C. de Pign. act.* maxime a saccularii & apertulariis, quorum ars in furando adeo subtilis, ut nihil tam obseratum, occlusum aut obsignatum sit, quod illi non aperiant latenter, velut a Gygis annulo instructi. Itaque cum Ulpiano in *l.* 14. §. 6. *D. de Furt.* distinguendum erit, an de ejusmodi circumstantia aut vi adhibita non constet, & culpam furtum comitari dicemus, donec contrarium probetur. Gomez. *l.* 2. *var. ref. c.* 3. *n.* 22. Clud. *de cond. furt. c.* 20. *n.* 27. an vero effractio, vel violentia aut similis nequitia fuerit probata, & furtum inter casus fortuitos referetur Carpz. *p.* 2. *c.* 26. *def.* 15. Farinac. *Oper. crim. p.* 4. *cons.* 60 *n.* 9. Stryck. *vol.* 1. *disp.* 3. *de Saccular. & direct.* Illud item inter omnes nunc constat, quod facto Principis fit, ut si rem ad fortalitium exstruendum ex plenitudine potestatis auferat, pro casu fortuito haberi, neque emtori ad evictionem adversus auctorem suum actionem dari. *l.* 15. §. 2. *d. R. V. l.* 11. & 51. *D. de Evict l. fin. C. d. A. E V.* Mev. *p. VI. dec.* 34. Stryck. *de C. C. sect.* 2. *c.* 8. §. 40. L. B. de Lyncker. *dec.* 238. & 715. nisi via juris & ordine processus consueto auferat, vel manifesto de justitia causæ ejus constet Brunn. *ad d. l.* 11. *n.* 2. Berl. *p.* 1. *d.* 139. *n.* 11. vel etiam venditor sciverit, Principem hoc facturum esse, & nihilominus hoc reticuit. Ita judicatum in causa Claudii Centumali apud Valerium Maximum *lib.* VIII. *c.* 2. *n.* 1. summa quidem cum æquitate, quia bonæ fidei venditorem nec commodorum spem augere, nec incommodorum cognitionem obscurare oportet. Adde Mangil. *de Evict. qu.* 17. *n.* 18. & Stryckii disp. *de Principe evincente vol.* 6.

§ IX.

Verum, ut propius ad id, quod agimus, accedamus; vitia, quæ ex ipsa re veniunt, ad classem casuum fortuitorum

rum non pertinent: veluti *si vinum coacuerit*, *si raucis aut herbis segetes corruptæ sint*, ait Ulpianus in *l.* 15. §. 2. *D. Locat*. Frequens in Italia erat, vinum coacescere vel evanidum fieri, quia sui natura vetustatem non ferebat. *l.* 9. §. *f. de contrab. emt. l.* 1. *de Per. & comm. l.* 85. *de leg.* 3. Hinc in ejus emtione vulgaris formula apud Catonem de R. R. c. 148. *Vinum quod neque aceat*, *neque muceat*; & vinum *fugiens*, quod cedit ætati, est apud Ciceronem III. *d. Off. c.* 23. Horatius *vappam* vocavit, Æolica voce. Pro *raucis* Alciatus 7. *Par.* 5. apud Ulpianum substituebat *erucis*: sed raucas retinent Budæus, Cujacius, Brodæus *lib.* X *Miscell.* 20 & vermiculos explicant, fulti naturalium scriptoris Plinii auctoritate l. XVII c. 18. *Olea*, *ubi quercus effossa sit*, *male ponitur*, *quoniam vermes*, *raucæ vocantur*, *in radice quercus nascuntur*. Vid. Cl. Vir Dukerus *de Lat. JCtor. pag.* 399. Herbas autem hic intelligimus inutiles, nocivas, & steriles, carduos, lappasque, queis parens natura noverca facta pingues & pulchras segetes sæpe corrumpit aut extinguit. *Inexplicabile gramen* vocabat Ovidius *l. c.* Virgilius Georg. I. ỷ. 150.

Mox & frumentis labor additus: ut mala culmos
Esset (ederet) *robigo*, *segnisque horreret in arvis*
Carduus. Intereunt segetes: subit aspera silva,
Lappæque tribulique: *interque nitentia culta*
Infelix lolium, *& steriles dominantur avenæ*.

Hæc vero ad casus fortuitos minime erant referenda, quia sibi imputet colonus, quod matura venditione periculum acoris amolitus non est, vermes non collegit, herbas non evulsit, quæ vitio agri nascuntur & cultorum ignaviam produnt. Horatius lib. 1. sat. 3. ỷ. 37.

Neglectis urenda filix innascitur agris.

Eadem ratione qui damni infecti nomine vicino repromisit, præstat quod *vitio ædificii* & infirmitate factum est: sed si tanta vis venti fuerit, ut quamvis firma ædificia convelleret, quod aut vento aut omnino aliqua vi *extrinsecus* admota

mota cadit, pro caſu habetur Alpheno Varo in *l.* 43 *D. de Damn. inf.* Huc item pertinet, quod propter vinearum vetuſtatem colono remiſſionem denegavit Divus Antoninus in *l.* 15. §. 5. *D. Locat.* Vitium enim ex re oritur, ſibique imputet colonus, quod cauſam damni apertam non perſpexit, cum fundum conducebat, *arg. l.* 13. § 6. *D. de Damn. inf.* & poterat propaginum depreſſione ex vetula vite novas facere. Vide quæ contra Menagium hanc in rem diſputat Vir elogio noſtro major van Bynkershoek *lib.* II. *Obſ. c.* 13.

§. X.

Haud magis denique ad caſus inopinatos pertinent, quæ non quidem ex vitio rei, ſed extrinſecus, ita tamen contingunt, ut, præter ſolitum & conſuetum naturæ ordinem, nihil inde aut parum damni colonis inferatur. Talia ſunt opera omnia providæ ſolertisque naturæ, pluviæ, venti, nives, æſtus, pruina, frigus, quæ, niſi contra conſuetudinem tempeſtatis & immoderata ſint, ut nivis magnitudo tempore æſtivo ſata corrumpens, æquo animo ferre debet colonus, nec ea cauſa remiſſionem ſibi audebit polliceri. Auctorem rurſus laudo Ulpianum in *d. l.* 15. §. 2. *D. Locati. Si uredo fructum oleæ corruperit, aut Solis fervore non adſueto id acciderit, damnum domini futurum, ſi vero nihil extra conſuetudinem acciderit, damnum coloni eſſe.* Pari ratione idem non aquas, ſed *aquarum magnitudines* ad caſum refert in l. 23. d. R. I. non flumina, ſed *vim fluminum* l. 9. §. 2. de R. C. *vim aquæ* l. 2. §. 5. de Aqua & aq. *impetum fluminis* l. 14. §. f. quemadm. ſerv. ex quo ſcilicet inundationes, naufragia, chaſmata & hiatus oriuntur, de quibus Imperator in §. 3. I. *de Emt. vend.* Seneca *lib.* VI. *Nat. quæſt. c.* 9. & Plinius *lib.* VII. *Epiſt.* 17. Præclara hæc obſervatio Joſepho Averanio debetur, in libris interpretationum, qui beneficio Clariſſimi Brenkmanni lucem adſpexerunt, *lib.* II. *cap.* 26. Firmatur autem exinde, quod ejusmodi naturæ opera communiter bona ſunt, uti nives moderatæ frugibus per hiemem non

non nocent, & licet singulis fere annis ab uredine, vel nimia pluvia aut grandine incommodum sentiant sata in hoc illove fundo, id tamen ubertate alterius fundi compensatur; imo damnum istud ab prudentibus agricolis prævideri potest & debet, casus vero regulariter sunt *inopinati fortunæ impetus* l. 4 Ut in poss. leg. *Subita vis venti* l. 30. §. f. ad L. Aq *vis major inopinatæ cladis*, Novell. Theod. 47. atque *ex improviso accidere* dicuntur, in *Collat. LL. Mos. tit.* 1. §. 9. & *l.* 1. *C. ad L. Corn. de sic.* Levium deinde & incertorum ejusmodi rationem non habent Legislatores, sed *vim calamitosæ tempestatis* requirunt: *fortunæ insidias* l. ult. C. de Nec. serv. her. inst. *fortuitam eversionem* l. 2. §. 2. Si quis caut. *συμφορὰν* Græci vocant. Sic non omnis morbus locum facit redhibitioni, non levis lippitudo, aut levis dentis auriculæve dolor, vel mediocre ulcus *l.* 4. §. 6. *D. de Æd. ed.* Nec quadrupes pauperiem fecisse dicitur, nisi *contra naturam* generis sui aliquid fecerit *l.* 1. §. 7. *Si quadr.* Pariter & hic *extra* consuetudinem aliquid accidisse debet, *contra consuetudinem tempestatis* ait Labeo *l.* 78. §. 3. *D. de Contr. emt.* Cicero II. de Divinat. *præter* consuetudinem dixit. *Quicquid oritur qualecunque est, causam habeat a natura necesse est: ut etiamsi præter consuetudinem exstiterit, causam habeat a natura necesse est.*

§. XI.

His ita præmunitis, non difficilis erit explicatio casuum solitorum, insolitorum & insolitissimorum, qui tot cruces fixerunt Bartolo, Corneo, Alexandro, Alciato, Ripæ, Tiraquello ceterisque, ut Menochius sex diversas eorum sententias retulerit. *A. J. Q. cas.* 80. quas cum serio perlegeris, idem tibi evenire senties, quod Demiphoni Terentiano, qui consultis tribus Oratoribus, *Probe*, inquit, *fecistis*, *incertior sum multo*, *quam dudum!* Causa ineptiarum fuit, quod bimembrem tantum divisionem fecerunt, in solitos & insolitos, cum omnino trium generum sint casus tempestatis sequioris, *frequentissimi*, *rariores* & *rarissimi*, uti vocat

vocat Brunneman ad *l.* 78. *D. de Contrah. emt. n.* 8. Nimirum omnium rerum, quæ gradus habent, quos juxta ἀκρίβειαν Mathematicam dimetiri non licet, tres gradus constituendi sunt, duo extremi & tertius, qui inter utrumque sit; sin plures facias, difficultates erunt infinitæ, nec ubi alter incipiat, alter desinat definire licebit. Quanquam vero omnes casus fortuiti, cum his comparati, quæ cottidie naturaliter accidunt, sint insoliti, inter se autem si conferantur, alii frequenter accidunt, alii raro, alii nunquam fere, ne centum aut mille quidem annis. *Soliti* ergo sunt, qui præter consuetudinem, & extrinsecus, & inopinate, sæpius tamen & ferme quotannis vel tertio aut quarto labente, accidunt, ita ut quilibet paterfamilias eas cogitare aut metuere possit. Quæ plerumque eveniunt ea dicimus solere fieri, quæ raro, vix solere. Quod autem fieri solet, non semper fit necessario, & certo anni tempore, sed & incerto, fortuito, & præter expectationem. Atque hi sunt casus soliti, quos accidere non est necesse, sed qui evenire & contingere possunt. Exemplis res fiet illustrior. Naufragium in mari sæpius accidit, nec tamen, si hominum providentiam spectes, mare turbari necesse est; ut navis salva redeat aut frangatur, a casu pendet, qui nec prævideri nec declinari potest *l.* 18. *D. Commod.* Tempestas autumna inæqualis morbos crebriores gignere solet, ut facete Horatius *Libitinæ quæstum* appellaverit, ex funerum frequentia; nec tamen id certum nec perpetuum est, nec sciri potest juvenis an senex, validus an infirmus naturæ debitum sit redditurus. Mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres. Hinc mors *fatalis casus necessitas* appellatur in *l.* 5. *C. de Appellat.* & *fatum* pro morte, *fati diem fungi, in fatum concedere, fati munus explere* sexcentis locis. In emporiis porro quid frequentius, quam mercatores facultatibus labi, atque bonis cedere: & tamen id quia præter consuetudinem mercatorum fit, nec humano consilio semper prævideri potest (frons enim prima decipit multos) *de-*

bitorum nomina pejora facta casibus annumerantur *l.* 30. *pr. D. Ad Leg. Falc.*

§. XII.

Jam si comparatio instituatur, quid sit casus *insolitus* apparebit. Is nempe qui raro, & non nisi longi aut longissimi temporis spatio accidit, quemque adeo prudentes demum, & aliquali rerum usu periti patresfamilias cogitare possunt. Panschman. *lib.* 1 *qu.* 8. *per tot.* Multum hic judicis arbitrio relinquendum, nec tam ad tempus, quam ad casus naturam respiciendum esse, docet Menoch. *d. A. J. Q. dict. cas.* 80. *n.* 9. Quod ad vocem attinet, Servius illud Virgilii 1. Georg. ỳ. 475. *Insolitis tremuerunt motibus Alpes* explicans, ait: *aut novis, id est nunquam antea in Alpibus factis, aut magnis, aut majoribus solito.* Ulpianus Principem, qui sententiam dixit, *perraro* ait permittere restitutionem, idque *insolitum esse l.* 18. §. 1. & 3. *D. de Min.* Sic grandine segetes prosterni, sæpius accidit, atque inter casus solitos refertur: at si amplioris magnitudinis grando cadat, cujus lapides gallinarum ova superantes longe lateque devastent omnia, casus insolitus erit. Livius lib. XXV. c. 7. *Tempestates fœdæ fuere. In Albano monte biduo continenter lapidibus pluit. Reate saxum ingens visum volitare; Sol rubere solito magis, sanguineoque similis.* Crebrum hoc portenti genus apud eundem & Julium Obsequentem, etiam Valerius Maximus *in Piceno lapidibus pluisse* tradit l. 1. c. 6. Non quasi vere lapides ceciderint, sed grandines insignioris duritiei, & magnitudinis grandioris, quæ lapideam naturam repræsentare viderentur. *Lapides immanis grandinis, Ezech.* XXXVIII. 22. Adde Jos X. 11. ibique Lyranum, & Licetum *de Lapide Bononiensi cap.* 9. & 10. Similiter exundationes fluminum ad casus solitos pertinent; si vero tanto impetu alveos excedant, ut nemora frangant, subruant montes, decutiant tecta, homines & armenta obruant, quis neget damna casibus insolitis esse adscribenda? Sane Augusti ætate Horatius queritur, flavum Tiberim retortis violenter undis

undis, ire dejectum monumenta Regis Templaque Vestæ *lib.* 1. *Od.* 2. Aliam Tiberis inundationem, sub Othone descripsit Tacitus, qua rapti e publico plerique, plures in tabernis & cubilibus intercepti, fames in vulgus *l.* 1. *Hist.* 86. Aliam rursus Tiberis & Anienis, Trajani tempore, narrat Plinius, qua opera prorupta, quassata & decussa monimenta, multi debilitati, obruti, obtriti, & aucta luctibus damna *l.* VIII *epist.* 17. Huc item ingentem tempestatem refero, quam Poeta in Georgicis describit l. 1. ỳ. 316.

Sæpe ego, cum flavis messorem induceret arvis
Agricola, & fragili jam stringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere prælia vidi:
Quæ gravidam late segetem ab radicibus imis
Sublime expulsam eruerent; ita turbine nigro
Ferret hiems, culmumque levem stipulasque volantis,
Sæpe etiam immensum cœlo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempestatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes: ruit arduus æther,
Et pluvia ingenti sata læta boumque labores
Diluit. Implentur fossæ, & cava flumina crescunt
Cum sonitu, fervetque fretis spirantibus æquor.

§. XIII.

Deinceps *insolitissimus* casus est, qui rarissime, & velut miraculose, centesimo v. gr. aut millesimo anno vix semel contingit, ut cum Bartolo definit Jason *vol.* 1. *cons.* 107. Carpz. *p.* 2. *c.* 26. *def.* 8. quique adeo in omni hominum memoria est inauditus, ut ne prudentissimi quidem toto animo de eo cogitare possint. Greve *l.* 2. *concl.* 23. *consid.* 4. Huc referendum infortunium, quod patitur navis in balænam sub fluctibus latitantem incidens; vel currus, qui violentia ventorum de ponte in flumen præcipitatur Struv. *dec. Sabbath. c.* 16. *d.* 16. sterilitas item agrorum universalis, unde fames magna, qualem in Ægypto & regionibus vicinis describit Moses *Genes. XLI.* aliam sub Claudio Cæsare memorat Lucas *in Actis c. XI.* 28. majore Samaria ob-

fessa laboravit, cum caput asini esset octogenum siclorum argenti 2 *Reg.* *VI.* 25. merentur etiam legi, quæ de fame per Germaniam, habent Annales Metenses ad A. 850. Urspergensis ad A. 898. & Hermannus Contractus anno 896. Graphica ejusmodi caritatis descriptio est apud Quintilianum declam. XII. *Non vulgaris illa labes frumenti fuit, nec, qualis alias ab agricolis accusari solet, perfidia terrarum, & ingratæ messis irritus labor. Nova & inaudita & abominanda lues, quæ nihil homini reliquit præter hominem.* Nec minus locustæ huc pertinent, quarum appulsum fames comitatur & pestis, si putrefactæ. Earum examina, propter multitudinem, *locustarum nubem* vocat Livius *lib.* XLII. *c.* 10. & Orosius *lib.* *I. c.* 10. ubi de decem Ægypti plagis insolitissimis loquitur, ex *Exod.* X ℣. 13. Plinius *Deorum iræ* pestem eam adscribit *lib.* XI. *cap.* 29. Namque & grandiores cernuntur, & Solem obumbrant, multa contractu adurunt, quicquid vero herbidum aut frondosum est ambedunt, Tacitus XV. *Annal. c.* 5. Hinc *edaci locustarum pernicie* sterilitatis vitium intercessisse, ajunt Dioclet. & Maxim. Impp. in *l.* 18. *C. Locati.* Multa de his Bochartus in Hierozoico *p.* 2. *l* 4. *c.* 1. *seq.* cujus scrinia compilare non vacat. Memorabile exemplum habet Nicolaus Burgundus in vita Ludov. IV. de Gallia. Aliud Gregor. Turonens. lib. IV. Hist. Franc. cap. 20. ubi Clothario regnante, scribit: *duæ locustarum acies apparuerunt, quæ per Avernum atque Lemovicinum transeuntes, ut ferunt, Romaniacum campum venerunt, in quo prælio maximo inter se acto, maxime sunt collisæ.* Rursus lib. VI. c. 33. *Legati Principis Chilperici de Hispaniis nuntiaverant, provinciam Carpitaniam graviter a locustis vexari, ut non arbor, non vinea, non silva, non fructus aliquis, aut quicquam viride remaneret, quod non a locustis everteretur.* Aliud denique Anna Comnena Alexiad. lib. X. pag. 284. & Abbas Ursperg A. 1091. *Visi sunt per multas regiones vermiculi nimis ignoti, non longe a terra volantes, hoc est, ut vel manu vel virga tangi possent, grossitudine quidem muscis æquales, sed longitudine satis deductiores,*

res, quorum tam infinitus extitit exercitus, ut unum pæne milliarium in latitudine, duo vel tria in longitudine viderentur occupare, densitate vero sua ipsam solis lucem terris negare.

§. XIV.

Quod si vero alibi, hic certe valet, quod Ulpianus ait, interest nostra scire nationem *l.* 31. §. 21. *D de Ædil. Edict.* Quæ enim in illa provincia sæpius contingunt, in ista rarius, in alia rarissime evenire solent. Locustæ Ægyptum maxime & Cyrenaicam infestant, etiam in Africa frequentes sunt, unde in Italiam venerunt, sæpe populum cogentes ad Sibyllina remedia confugere, inopiæ metu, auctore Plinio, loco modo allato: quem vellem inspexisset Menochius quando *lib.* 2. *A. J. Q cas.* 80. fluctuans scribebat; *In Italiam advolavit innumera quantitas locustarum, quæ in hac regione visa est nunquam, & si visa est, jam mille annis elapsis visa est, & licet cogitari potuit de locustis, ut in l.* 18. *Locati, non tamen de tam ingenti quantitate, quam illa fuit, quæ advolavit anno* 1542. In legibus Wisigothorum 2. tit. 2. l. 11. *locustarum vastatio assidua* occurrit, & in Scythiæ regione, quam nunc Cosacci tenent, tanta earum est copia, ut domos & lectos ingrediantur, atque in mensas insiliant, auctore Thevenotio *p.* 1. *Itin.* In Judæa & aliis regionibus Orientis edules fuerunt, nam & beatus Jesu Christi præcursor quotidiano locustarum esu victitavit in eremo *Matth. III.* 4 *Marc. I.* ℣. 6. id quod Vir summus Isaacus Casaubonus *Exerc. XIII. ad Annales Baronii c.* 7. evicit contra Cujacium, qui Johannem τα ακρόδρυα, *fructus arborum*, non autem ακρίδας *locustas* esitasse putavit. Innumera alia sunt, quibus hoc discrimen locorum ostendi potest. Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? quis incendia apud Moscovitas? Alia agrorum, circa Vesuvii & Ætnæ horrenda, est facies, quam apud nos. Vide Senec. *VI. quæst. nat.* & Plin. *VI. Ep.* 16. In Arabia vicinisque provinciis Scopelismi crimen notum erat, non perinde Romæ & in Germania. Late & eleganter de eo explicat Ulp. *l.* 9. *D.*

de Extr. crim. & Cæl. Rhodigin. *l.* 18. *Lect. ant. c.* 35. Pineda in comm. ad *Jobi V.* 23 huc retulit Eliphæ verba ad Jobum, *cum lapidibus agri erit fœdus tuum.* Recte an secus, viderint alii. Porro Cajus in *l.* 18. *D. Commod* hostium incursum casibus annumerat: at ubi arena Martis sæpe diuque fuit, ut in Belgica Hispanica, Alsatia & Palatinatu, cives ac rustici belli incommodis magis sueti sunt, quam si in diuturna pace, ne fando quidem hostium furores percepissent. Intererit quoque, num quis cœpto jam bello casus fortuitos in se receperit, an dudum ante: illo casu de rerum statu conqueri non debet, quia volenti non fit injuria. *arg. l.* 13. §. 6. *d. Damn. inf.* Vid. Mev. *p. IV. dec.* 199. & in *consid. jurid. de pensionar. qu.* 1. *n.* 145. Wesel *de remiss. merc. c.* 11. *n.* 1. *seq.*

§. XV.

Inundationes & terræ motus inter casus fortuitos vidimus supra. Hæc autem propria civitatum maritimarum mala sunt, & diluvium quidem, ubi terra est depressior mari: motus in locis paludinosis, nam *maritima maxime quatiuntur*, ait Plinius *II. H. N. c.* 80. & junior *lib. VI. ep.* 20. *Tremor terræ Campaniæ solitus.* Oceani exundantis pericula Frisiam sensisse, nisi recente omnibus exemplo constaret, quod animus meminisse horret, Ubbo Emmius variis calamitosis casibus docere posset *lib.* VII. IX. X. XI. *&* XII. *Histor. Frisic. rer.* In Hollandia famosum est diluvium anni 1570. in festo omnium Sanctorum, quo quater centies millia hominum periisse dicuntur, & illud anni 1682. non minus horrendum. Vid. Matth. Vossii *Annal. Holl. ad ann.* 1422. Quam mirabiles ex diluviis illis ædium translationes & agrorum avulsiones, quamque arduæ inde controversiæ contingant, Gerhardus Feltmannus singulari dissertatione *de accessionibus memorabilibus immani aquarum vi vel terræ motu factis* docuit: cui Annales Bertiniani A. 860. jungantur. Jam vero quid terræ motus commemorem? qui non domos solum, aut familias, aut urbes singulas hauserunt,

sed

fed gentes totas regionesque in altam voraginem condidere, aut magna etiam terrarum fpatia de loco in locum moverunt. Quorfum pertinet, quod Kircherus de mundo fubterr. T. 1. pag. 221. refert, terræ motu in Bafilicata, Neapolitani regni provincia, exorto, integrum montem, vincis fuperbum, ultra tria paffuum millia tranflatum, nullo in locis intermediis fui veftigio relicto. Similiter agros binos, e loco fuo emotos, aliorum agris impofitos effe, Cambdenus in vita Elifabethæ *A.* 1571. *&* 1583. retulit, & ex Richardi Bakeri hiftoria Anglicana Huberus *lib. IV. digreffionum* c. 22. Plura civitatum exempla, quæ terræ motibus everfæ perierunt, memoravit Antoninus *l. IV. de reb. fuis* §. 48. ibique in notis Gatakerus. Ut vere locum habeat, quod Ovidius cecinit lib. XV. Metamorph.

- - - *Sic toties verfa eft fortuna locorum:*
Vidi ego, quod fuerat quondam folidiffima tellus,
Effe fretum: vidi factas ex æquore terras.

Servius Sulpitius, cum ex Afia rediens Megaram verfus navigaret, & regiones circum circa profpiceret, oppida quondam florentiffima, Æginam, Megaram, Piræum, Corinthum; proftrata atque diruta ante oculos habebat, quemadmodum ad Tullium fcribit *lib. IV. epift. Cic.* 5. Seneca Tyrum ruinis infamem fuiffe teftatur *lib. IV. Quæft. nat.* c. 1. De univerfa Syria idem Juftinus *l. XL. Hift.* c. 2. In Sicilia, noftra adhuc memoria, terræ motus non florentiffimas modo urbes concuffit, fed & ultra centies mille homines neci tradidit. Contra Plutarchus in libro de fuperftitione c. 3. nec terræ motum in Gallia, nec fulmen in Æthiopia, formidari dixit. In Urbe vero urbium & gentium domina frequentiffima erant incendia; frequentiffimæ ruinæ, ut miferum effet *horrere incendia, lapfus tectorum affiduos* Juvenal. *fat. III.* Quapropter *Auguftus Cæfar contra incendia cohortem libertinorum conftituit, quæ opitularetur: utque ruinæ caverentur edixit, ne novum ædificium ad viam publicam factum, ultra feptuaginta pedes attolleretur*, auctore Stra-

Strabone *lib. V.* cui adstipulatur Dio *lib. LV.* Sueton *Aug. c.* 30. Adde Tacit. XV. *Ann.* 43. Sext. Aurel. Vict. *Epit. c.* 13. Juvenal. dict. Sat. III.

Respice nunc alia, ac diversa pericula noctis;
Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa & curta fenestris
Vasa cadunt, quanto percussum pondere signent
Et lædant silicem. Possis ignavus haberi,
Et subiti casus improvidus, ad cœnam si
Intestatus eas: adeo tot fata, quot ista
Nocte patent vigiles, te prætereunte, fenestræ.

§. XVI.

Hæc licet adeo plana sint, ut nemo præjudiciis vacuus contra hiscere possit; multi tamen, quia veram casus indolem non assecuti, tam vitia ex rebus venientia, ut zizania & herbas pestilentiores, quam opera providæ & solertis naturæ, ut imbres & pluviam moderatam, ad casus solitos & fortuitos retulerunt. Sebastianus Medices *tract. de fort. cas. p. I. qu.* 12. *n.* 10 distinctionem inter casus fortuitos & improvisos commentus est, & hos definit, quando intervenit culpa aliqua, quæ casui occasionem dedit; verum jus civile hanc distinctionem ignorat; fortuitus est improvisus per *l.* 6. *de pign. act.* si vero culpa præcedit, tum casum non esse, docebit caput sequens. Idem *qu.* 13 *n.* 10. bimembrem tantum divisionem, in casus solitos & insolitos, cum Pragmaticis fere omnibus, male agnoscit, nec melius explicat, *insoliti*, inquit, *casus sunt, qui rarissime contingunt, ut fuit inundatio fluminis Arni in hac civitate Florentina de A.* 1557. *qua nec major, neque terribilior fuit in illa unquam.* At vero quod *rarissime* contingit, non insolitum, sed insolitissimum esse, vel illi vident, qui nondum ære lavantur. Alii rursus, ne quidem casus divisionem in solitum & insolitum admittunt, causati, fortuitum nihil aliud esse, quam insolitum, quia captu humano prævideri non potest *l.* 18. *pr. D. Comm. l.* 15. §. 2. *Locat. l.* 1. §. 4. *D. de O. & A.* Nec

Juris.

Jurisconsultos uspiam nec Imperatores casus ita distinxisse, erubescendum sine lege loqui. Nobis vero sufficit rationem juris hanc divisionem postulare, ut species dubiæ eo felicius dirimantur *l. 6. de V. S.* Qui positivum, comparativum & superlativum gradum ignorat, ad Orbilii ludum remittendus est. Deinde omnis quidem casus insolitus est & improvisus; respectu eorum, quæ per consuetudinem, aut statis anni vel dierum temporibus fiunt, ut quatuor anni tempestatum, Solis ortus & occasus & similium: at si casus inter se conferantur, alios aliis magis frequentes esse declaravimus supra, atque naufragii, incendii, terræ motus exemplis constat, quæ nonnullis in locis fieri solent & sæpius fiunt; non tamen minus fortuita sunt, ratione hominum, quibus id incertum fuit & improvisum. Jam olim Claudius Salmasius *c.* XXIV. *Obs. ad Jus Att. & Rom.* recte monuit, observatione naturali certum esse, nives moderatas, ventos modicos, aut tempestates solitas non nocere frugibus, immo potius sata ab his per hiemem conservari, & fecundissimum annum esse, quo diutius in terra durarunt nives, ideoque has & reliqua ejusmodi ad casus solitos referenda non esse: minus recte autem casus fortuitos omnes dicit insolitos; pejus omnem tempestatem ad casum insolitum refert; pessime quod contra consuetudinem tempestatis est, tempestatem esse negat; reprehensus eo nomine satis acerbe ab adversario suo perpetuo, Desiderio Heraldo *lib. I. animadvers. ad Jus Att. c.* 15. sed qui ipse tempestates ordinarias & secundum consuetudinem evenientes casibus adscribit minus accurate. Utriusque error manavit ex sinistra explicatione & intempestiva emendatione *l.* 78. §. 3. *D. de Contr. emt.* de qua nunc plenius dicendum erit.

CAPUT II.

DE

PRÆSTATIONE CASUUM SOLITORUM, INSOLIT. &c.

§. I. *Quid sit præstare casum.* II. *Jure naturali, Divino, Romano & Germanico nemo casum præstat.* III. *neque in stricti juris judiciis, neque in rebus commodatis; contra Donellum, Grotium, Pufendorfium aliosque.* IV. *Vitia regulæ quatuor a culpa, mora, debito speciei & casus receptione.* V. *Quæ fit in Assecuratione, Bodmeria & Socida expresse.* VI. *Aliquando & tacite, æstimatione & suscepto periculo.* VII. *Obligatus ad casum, quem præstare debeat, variæ Dd. sententiæ.* VIII. *ex male intellecta l.* 78. §. 3. *de Contr. emt. exortæ; ea illustratur.* IX. *Qui casum recepit solitum & insolitum præstat.* X. *Non vero insolentissimum.* XI. *Quod applicatur ad remissionem mercedis ob sterilitatem,* XII. *& ad conductionem vectigalium.* XIII. *Cautela practica.*

§. I.

VErbum *præstare* varia significat apud Latinæ linguæ auctores: hic autem, phrasi Jurisconsultorum propria & figurata locutione, notat eventum alicujus rei in se recipere, & luere, implere, sarcire, si quid ex casu fortuito male eveniat alteri. Alii antiphrasin, alii πλοκην, hypallagen alii, alii syllepsin, rursus alii ellipsin subesse volunt, quod Grammaticis discutiendum relinquimus. Nos verba Pomponii ex *l.* 11. *D. de Neg. gest.* quia huc apprime faciunt, adscribemus. Ait autem: *Si negotia absentis & ignorantis geras, & culpam & dolum præstare debes. Sed Proculus interdum etiam* casum præstare *debere, veluti si novum negotium, quod non sit solitus absens facere, tu nomine ejus geras.*

ras. Cicero non minus eximius Jurisconsultus, quam Oratorum Princeps, sæpe hac voce usus est: *casum præstare* dixit V. epist. 17. *culpam*, l. VI. epist. 1. *Simus ea mente, ut nihil in vita a nobis præstandum putemus, præter culpam.* Idem I. de Oratore: *Quicquid fuisset incommodi in mancipio, id si venditor scisset, neque declarasset, præstare debere.* Rursus III. de Off.. *Quod enim scire debuit de sanitate, de fuga, de furtis præstat edicto Ædilium.* Varro II. de R. R. c. 5. *Illosce juvencos sanos recte, deque pecore sano esse, noxisque præstare?* Quintilian. l. VII. Inst. orat. c. 4. *In tutelæ judicio solet quæri, an alia de re, quam de calculis cognosci oporteat: an fides præstari debeat tantum, non etiam consilium & eventus.* Hinc vox *præstationis* solennis est Jurisconsultis, quando quid cujusque contractus natura & status obligationis postulet, vel quæ ultro citroque contrahentibus debeantur, decidunt. *l.* 1. *D. de Rer. perm. l.* 5. *D. de Usur. l.* 152. §. 3. *de R. J.* Quæ pars, quemadmodum ad officia humano generi debita pertinet, & late patet, & ex intentione contrahentium æstimanda est, difficilis semper visa fuit & subtilis, ut Scævola dixerit, *magni judicis* esse de ea cognoscere, & Cicero *magnum in his usum esse Jurisconsultorum.* Seneca III. de Benef. c. 7. *Melior videtur conditio causæ bonæ, si ad judicem, quam si ad arbitrum mittitur: quia illum formula includit, & certos, quos non excedat, terminos ponit; hujus libera & nullis adstricta vinculis religio, & detrahere aliquid potest, & adjicere, & sententiam suam, non prout lex aut justitia suadet, sed prout humanitas & misericordia impulit, regere.*

§. II.

Jam vero vel ex solo dictamine juris naturalis patet, neminem ad reparationem damni, quod alteri casu fortuito illatum est obligari. Ea enim nobis demum imputantur, quæ a scientibus & volentibus, mediate vel immediate sunt profecta: seu, quæ ut fierent, vel non fierent, penes nos fuit. Nulla autem ratio est, cur mihi imputen-

tur operationes naturæ & eventus, quorum ego non magis, quam ille qui damnum accepit, auctor haberi possum. Supra diximus, casus omnes vel propter extrinsecam circa res contingentem vim, vel propter ignorantiam hominum invincibilem seu justam evenire, ideoque eos prævideri vel saltem præcaveri non posse: at quæ vires nostras excedunt, vel lumine intellectus non percipiuntur, nemini imputari debent. Casus est vis divina, vis fortunæ, quæ obstat hominum voluntati & consilia eorum eludit: absit autem fortunam convertamus in culpam, aut voluntatem ex necessitate interpretemur. Unde tritum illud: impossibilium nulla est obligatio; nemo ad impossibilia se obligasse censetur: impossibilia pro non adjectis habenda. Fusius hoc exsequuntur Grotius *l. II. de J. B. & P. c.* 16. §. 26. 27. & Pufendorf *de J. N. & G. l. I. c.* 5. § 5. 6. quibus addemus locum Ciceronis elegantissimum, lib. V. epist. 17. *Communem & incertum casum, neque vitare quisquam nostrum, neque præstare ullo pacto potest.* In Republica Mosaica idem sancivit Deus T. O. M. *Exod.* XXII. 9. 10. 11. & sexcentis locis inculcarunt Jurisconsulti, casus fortuitos, vim majorem, quod vi latronum ereptum, quæ senectute vel morbo contingunt & similia, in emtione, societate, mandato, deposito, pignore, tutela, ceterisque bonæ fidei judiciis, alienæ rei possessori imputanda non esse. *l.* 32. *D. de Neg gest. l.* 13. §. 1. *de Pign. act. l.* 26. §. 6. *Mand. l.* 15. §. 2. *D. Locati. l.* 1. §. 11. *de Mag. conv. l* 6. *de Damn. inf. l.* 4. *C. de Adm. & per. tut. l.* 1. *C. Depositi. l.* 5. 6. 8. 9. *C. de Pign act. l.* 12. & 28. *C. de Locat.* Seneca IV. de Benef. c. 39. *Vadimonium promittimus; tamen deseritur. Non in omnes datur actio, deserentem* vis major *excusat.* Apud Germanos adeo certum est casum nemini imputari, ut in proverbium abierit: *Gottes Allmacht ist allezeit excipiret*; de quo Clariss. Hert. *de Paræm. lib.* 3. *n.* 5.

§. III.

Quod de casu fortuito non præstando diximus, non tantum

tum ad bonæ fidei contractus, uti Donellus rescripto Alexandri Imperatoris in *l. 6 C. de Pign. act.* deceptus existimabat, sed etiam ad negotia stricti juris pertinet. Eadem quippe horum est ratio, & Ulpianus generaliter loquitur in *l.* 23. *de R. J.* & textus sunt aperti in *l. 5 D. de R. C l.* 91 *pr.* §. 3. *de V. O.* Jurisconsulti vero hisce pactum accessorium in continenti adjici requirunt *arg. l.* 7. §. 5. *D. de Pact* quod mores hodierni, simplicitatem juris naturalis sequentes, non præcise observant, Huber. *de Pact. n* 11. Stryck *C. C. f.* 3 *c.* 6. §. 4. Quid autem? si diligentiam exactissimam adhibuit commodatarius, & forte contingat res commodato acceptas latronum incursu, piratarum insidiis, naufragio, incendio aliisve casibus, quibus resisti non potest, perire, an rerum æstimationem, aut aliam generis ejusdem restituere tenetur? Negant Jurisconsulti & Imperatores Romani, in *l.* 5. § 4 *l.* 18. *pr. D. l.* 1. *C. Commod.* Ex lege Dei autem sic demum absolvitur, si dominus rei commodatæ adfuerit, cum corrumpebatur, quia tunc ipse suam diligentiam præsumitur adhibuisse, neque rem a custodia dimisisse *Exod.* XXII 14. 15. Grotius vero & Pufendorf distinguendum putarunt, utrum res omnino apud dominum fuisset peritura, si vel maxime commodato non foret data, an minus: priore casu cessare restitutionem, posteriore non item. Ille *l. II. de J. B. & P. c.* 12. §. 13. hic *l. V. de J. N. & G. c.* 4. §. 6. At rationes eorum, quamvis Schiltero *Ex.* XXV. § 16 & Thomasio *in Us hod. D. tit. commod.* sint probatæ, haud sufficere pronuntiavit Titius, nec mihi persuadent: utique enim prægnans apparet ratio, cur commodans magis, quam commodatarius infortunium ferre debeat, quia ille dominus est; cui res sua perit *l.* 12. *C. de Locato.* Adhæc commodatarius præbuit quidem occasionem, ut res periculo exponeretur, ast commodans in idem consensit, cum sciret, aut certe ignorare non deberet, casus ejusmodi accidere posse. Et licet durum videatur, domino benignitatem suam tanti constare, du-

 rius

rius tamen foret, si commodatarius beneficium acceptum tanto pretio redimere cogeretur. Interim Carolus M & Lud. Pius in Capitularibus suis legislationem reipublicæ Hebræorum secuti sunt *l. V. c.* 23. Vetere quoque jure Germanorum, Visigothorum & Scotorum commodatarius casum præstare tenebatur, Schilt. *d. Ex* § 16. 17. Hodie autem ubivis prævalet juris civilis ratio, ut dominus casum ferat. Coler. *dec.* VII. 15. Carpz. *p.* 2. *c.* 26. *d.* 6.

§. IV.

Maneat ergo fixum, Casus fortuitos, ex contractuum bonæ fidei vel stricti juris natura, non præstari. Quatuor autem hujus regulæ sunt vitia, vulgata quidem, hic tamen minime omittenda. (1.) enim damna fatalia ei nocent, cujus culpa ad casum ordinata, & talis quidem præcessit, quæ pro subjecta materia præstari debet. §. 3. *I. qu. mod. re contr. obl. l.* 5. §. 4. *& l. ult. Commod.* Quævis enim mala alteri obvenientia isti imputari debent, qui eorum causam & occasionem cum posset & deberet non subtraxit: quia sic fit casus mixtus, & factum cuique suum, non adversario nocere debet *l.* 155. *de R. J.* Exempla sunt in *l.* 22. *D. de Neg. gest. l.* 12. *de Peric. & comm. l.* 3. *C. de Peric. tut.* Carpz. *p.* 2. *const.* 26 *d.* 4. *& l.* 6. *Resp.* 107. Brunn. *ad l.* 9. *C. de Pign. act.* L. B. de Lyncker *dec.* 443. *&* 573. (2.) Post moram periculum est morosi, si res debito tempore restituta eodem modo non periisset apud creditorem, vel justa causa moram non excuset *l.* 47. §. *ult. D. de Leg.* 1. *l.* 14. §. 1. *D. Depos.* ibique Brunnem. (3.) Debitor speciei interitu ejus liberatur *arg.* §. 3, *Inst. de Emt. vend. l.* 23. *D. de V. O.* (4.) Rei alienæ possessor si casum in se recepit, de iniquitate queri non potest, quia apud ipsum fuit, onus sibi aliquod imponere, quo nisi voluntate sua opprimi non poterat *l.* 1. §. 23. *D. Depos. l.* 1. *C. Comm. l.* 5. *C. de Pign. act.* rei item suæ liberrimus fuit moderator & arbiter *l.* 21. *C. Mand.* & quicquid in contrahendo exceptum fuerit, id servari debere Paulus ait in *l.* 43. *D. de Pact.*

Pact. cui præiverat Julianus apud Ulpianum in *l.* 9. §. 2. *D. Locat.* scribens: *Si quis fundum locaverit, ut etiam, si quid vi majore accidisset, hoc ei præstaretur, pacto standum esse.*

§. V.

Ex pacto igitur inprimis quia contractus formantur legemque accipiunt, sæpius fit, ut periculum omne sustineat, qui contrahit; puta si nominatim id convenerit, vel tacite; determinate vel indeterminate; pure vel sub conditione. Inter conventiones expressas nihil in emporiis frequentius est *assecurationibus*, quæ hoc fine a mercatoribus contrahuntur, ut receptor sive aversor periculi, *der Assecuradeur*, rerum, quæ alterius sunt, terra marive transportandarum periculum incertum, pro certo suscipiat pretio (præmium vocant) quod ratione loci, temporis & periculi majus aut minus est, etiam ultra centesimam. Vid. Stypman *de jure marit. p.* 4. *c.* 8. *n.* 348. Formulas hujus contractus Latinas, Belgicas & Italicas Marquardus, Straccha & Schottelius dederunt, & illustrarunt tam copiose, ut Soli facem accenderem, si eis diu immorarer. In jure civili equidem nulla hujus negotii vestigia reperiuntur, nec tamen id Romanis prorsus incognitum fuisse, ex Livii *lib.* XXIII. *c.* 49. *&* *l.* XXV. *c.* 3. ut & Suetonii *Claudio cap.* 18. Loccenius observavit. De justitia si quæras, favor commerciorum, & æstimatio periculi, fœnus nauticum, conventioni huic vicinum, tum emtio spei, ludi fortunæ, sponsiones & usus denique frequentissimus assecurationem satis defendunt. V. Grot. *l.* II. *c.* 12. §. 3. *in fin.* & *introd. lib.* 3. *cap.* 24. Werlhof *de instrumento assecurationis, vulgo Polizza.* Stryck. *C. C. Sect.* 3. *c.* 5. §. 27. Maximam cum hac conventione affinitatem habet *Bodmeria*, Germanis *Bodmerey*, sive *Bodemeny*, quæ est mutuum navarcho vel domino navis ea lege datum, ut cum fœnore convento reddatur, & navis, quamdiu superest, pro ea obligata sit, ea vero perdita, sors & fœnus creditori intereat. Differt ab asse-

assecuratione, quod in ea mercium alienarum, hic pecuniæ creditæ periculum, & ibi quidem sine hypotheca, hic cum ea suscipitur. Plerique bodmeriam cum nautico fœnere confuderunt; etiam, quod mirere, Batavi, Groenewegius *ad l.* 26. §. 1. *C. de Usur* & Huberus *ad tit. de naut. fœn.* cum tamen in illa præcise in usum navis credatur, & nummi navis Patrono dentur, & hypotheca in fundo navis *dem Schiffs-Boden* constituatur, quibus cancellis fœnus nauticum non continetur. Stryck. *Us. mod. tit. de naut. fœn* §. 3. Utrique autem commune est, quod creditor contra naturam mutui periculum in se suscipit, Paul. *V. Sent.* 14. id quod male negabat Schilterus *Ex.* 35. § 14. Majores hic rursus usuris consuetis permittuntur, partim ut *periculi pretium*, ait Scævola in *l.* 5. *D. de Naut. fœn.* partim quia navium exercitium ad summam reip. pertinet *l.* 1. §. 19. *D. de Ex act.* Cicero II. de Nat. Deor. *Navigiorum cursibus suppeditantur omnes undique ad vitam copiæ, plurimisque rebus maritimis fruimur atque utimur, propter nauticarum rerum scientiam.* Plura dabit Schottelius *de sing. & antiq. in Germ. jur. c.* 22. Huc item pertinet contractus *Socidæ*, quo colono oves, vaccæ & instrumenta rustica certo pretio æstimata, hoc pacto locantur, ut fructus fiant communes, & conductor periculum vaccarum in se recipiat; unde pecora ferrea, *Eisern Vieh.* Pacion. *de locat. cond. c.* 12. Carpz. *p.* 2. *c.* 37. *d.* 19. Richt. *p* 2. *dec.* 81. *n* 41. Quidam originem hujus negotii ex conventione inter Jacobum & Labanem, etiam vocis natales ab Hebræis petunt; sed Cangius *in glossario.* & Schilt. *Ex.* 31. §. 9 jam dudum docuerunt, vocis notionem ab Italorum *societa* derivari debere: dicunt enim *dar le pecore in soccida*, itemque *socida* & *soccio*, uterque sociorum. Professa opera de *jure Socidæ* egit Tabor, ad quem, ne actum agam, B. Lectorem remitto.

§. VI.

Vidimus tres species, quibus expresse casus fortuiti recipiun-

cipiuntur, age, nunc totidem illustremus exempla, quibus tacite idem agunt contrahentes. Primum petemus ab æstimatione rei in conventionem deductæ: ea enim, sæpius dominium in accipientem transfert, nec tum ambigendum est, periculum transire. *l.* 10. §. 4. *D. de Jure dot.* Distinctione autem hic opus est, an æstimatio venditionis, an taxationis gratia adjecta fuerit: illud communiter ajunt Dd. factum censeri in contractibus, quibus dominium transfertur, ut in dote, *l.* 16. *D. l.* 10 *l.* 21. *C. de Jur. dot.* Hoc illis in negotiis, quibus translatio dominii non intenditur: sic enim magis, ut re deteriorata vel corrupta facilior sit decisio, res æstimata videtur. *l.* 50. *D Sol. matr.* Burgund. *de Peric. & culp. c.* 12. Mev. *ad J. L. l.* 1. *tit.* 5. *art.* 8. Fab. *C. lib.* 4. *tit.* 41. *def.* 9. Carpz. *p.* 2. *c.* 37. *d.* 26. Quod autem Constantinus Harmenopulus scribit: *Semper æstimatio auget materiam contractus, etsi natura sua postulat summam curam, addit enim periculum in fortuitis casibus*, non leviter quidem juvari videtur per *l.* 5. §. 3. *D. Commod.* sed quia hæc satis commode de periculo expresso pacto suscepto explicari potest, & æstimatio plerumque taxationis gratia facta censeri debet, nec in dubio a natura conventionis discessum præsumitur, odia item restringenda sunt, hinc Græculi doctrina mihi suspecta est, *arg. l.* 8. *D. Mand. l.* 80. §. *f. D. de Contr. emt.* nisi expresse accipiens alternative se obligaverit, ad rem incorruptam, vel rei pretium præstandum *l.* 1. §. 1. *de Æstimat.* Lauterb. *C. Th. Pr. de æstim.* §. 17. Schœpf. *Synops. tit. commod. n.* 61. Altera quæstio esto, si quis periculum in se suscepit, an etiam de casu fortuito teneatur? Nimis generaliter Bartolus hanc negat ad *l.* 4 *Si quis caut. in jud.* Periculi enim vox, pariter ac custodiæ & diligentiæ, ex substrata materia interpretationem capit, designatque detrimentum culpa vel casu fortuito contingens, cujus causa aliquis periclitatur & tenetur. Textus apertus in l. 5. §. 7. D. Commod.: *Dico periculum, quod culpa contingit.* Hinc phrases periculum cul-

pæ, custodiæ subire; periculo contumaciæ vel negligentiæ subjici in *l.* 39. § 12. *l.* 40. *D. de Adm. tut. l.* 49. *D. Locat. l.* 1. 3. *C. de Per. tut.* Artifex vero, qui pacto periculum in se suscepit, de casu fortuito tenetur *l.* 13. §. 5. *D. Locat.* juncta *l.* 25. §. 7. *eod.* Idem est, si omne periculum rei susceptum, maxime ex formula Germanica, *Ich stehe vor alle gefahr*, *arg. l.* 7. *l.* 8. *D. Comm. l* 35. §. 7. *D. de Contr. emt.* Bach. ad Treutl. V. 1. *d.* 20. *th.* 14. *lit. D.* Vinn. § 2. *I. qu. mod. re contr. n.* 4. Tertia species sit, quod dominus territorii, accipiendo vectigal pro securitate, tacite promittat, se damnum a latronibus datum resarcire velle, *R. I. de anno* 1559. *arg. l.* 3. *l.* 13. *pr. de Off. Præf. l.* 1. §. 12. *de Off. Præf. urb.* modo viatores via regia fuerint usi, Gail. *l. II. O.* 64. *n.* 11. & Imperans in inquirendo, puniendo atque restituendo negligentiæ argui queat Carpz. *qu. crim.* 91. *n.* 70. Rationes ex pristino statu Germaniæ adduxit Schilt *Ex.* 42. §. 53. Quod si vero potens territorii dominus ultro damnum præstare nolit, læsus de eo non valde gaudebit. Quis enim litigare vellet cum Principe, quem majestas & ferrum tuetur? Euclio Plautinus *Aulul. act.* 3. *sc.* 4.

Dii immortales! Facinus audax incipit,
Qui cum opulento pauper homine cœpit habere negotium
Aut rem.

§. VII.

Proximus nunc locus est, ut sive expresse sive tacite casus susceptus sit, quis præstandus sit, videamus. Variarunt in hac quæstione Glossatores antiqui, & Doctores hodierni, adeo ut Salicetus *ad l.* 1. *C. Commod. n.* 10. sex diversis sententiis prolatis subjecerit: *His opinionibus sic recitatis tremisco eligere: sed quia propter mandatum mihi a matre nostra factum, de qua in exordio, cogor eligere.* Quidam eum, qui recepit casus fortuitos, non nisi de communiter contingentibus teneri voluerunt; quia non præsumitur esse promissum, de quo non esse cogitatum verisimile videtur. Adeo ut

ut licet jurejurando pactum de casu fortuito simpliciter initum sit, paciscentem tamen de insolito non teneri autument; tum quod jusjurandum non auget obligationem *l. 5. C. de Leg.* tum quod illud ad non cogitata non extenditur *c. veniens X. de Jurej.* Alii contra, recipientem non ad solitos, sed ad insolitos tantum præstandos obligari existimarunt; quia magis fortuita sunt, quæ præter exspectationem nostram accidunt. Alii denique casu generaliter suscepto ad omnes obstringunt; quia genus tantundem, quantum enumeratio specierum operari debet. Priori sententiæ favet Bartolus, Medices, Mantica, etiam Bockelmannus, eamque communem dicit Gailius *l. 2. Obs. 23. n. 18.* & Klock. *t. 2. cons. 72. n. 76.* Alteram Baldus, Gratianus, Jason, & alii amplexi apud Pinellum *ad l. 2. C. de resc. vend. p. 1. c. 3.* & Brunnemannum *ad l. 78. §. 3. de Contr. emt.* Tertia Martini fuit & Accursii opinio, quibus calculum adjecit Salicetus *d. l.* Struvius autem omni periculo suscepto, quoslibet casus, non attenta distinctione interpretum, præstandos esse inculcat *S. I. C. Ex. XX. §. 44.* Verum Jasonem & Bartolum sibi non constare, dudum observarunt alii, & mihi plerorumque disputatio in meram logomachiam abire videtur. Adeo ut incertas ceterorum distinctiones si quis postulet certas facere ratione, nihilo plus agat, quam si det operam, ut cum ratione insaniat.

§. VIII.

Origo tot errorum & dissensionum ex male intellecta *l. 78 §. 3. D. de Contr. emt.* petenda est: Verba Labeonis: *Frumenta, quæ in herbis erant, cum vendidisses: dixisti, te si quid vi, aut tempestate factum esset præstaturum. Ea frumenta nives corruperunt, si immoderatæ fuerunt, & contra consuetudinem tempestatis, agi tecum ex emto poterit.* Bartolus ejusque asseclæ caput hoc directe contra sententiam ac verba Labeonis interpretati sunt, & magno conatu magnas nugas egerunt; adeo ut hic locus vel unicus supinam patrum commentandi rationem arguat palam, eosque non tam juris ex-

plicatione, quam Accursii implicatione occupatos fuisse ostendat. Criticorum quoque principes hic textus non parum exercuit: Desiderius quippe Heraldus *c.* 30. *Obs.* pro *si immoderatæ* legendum contendebat *etsi*; quem confutans Salmasius *c.* 24. *Obs. ad jus Att.* unius literulæ mutatione pro *tempestatIs* emendat *tempestatEs*. Hunc more suo laudavit Vinnius 2. *Sel. quæst. c.* 1. reprehendit Heraldus *animadv. in Salmas. obs. lib.* 1. *c.* 15. Ego item licet sciam librarium Florentinum sæpe E & I permutare, hic tamen nihil mutandum puto; quod si enim voce *tempestatis* non imbres, nimbos, procellas, turbines, sed tempus ipsum intelligas, res plana est; ita Plautus, Cicero, Livius, Sallustius, ejusque imitator Tacitus plus semel. Quod si autem, Labeonem in præcedentibus, *si quid vi aut tempestate factum esset*, de tempestate horrida & adversa locutum, quis urgeat, hunc scire velim, unam eandemque vocem, eodem verborum ambitu variam sæpe significationem præbere. Vide Wissenbachium *ad l.* 23. *de R. J.* §. 46. Et sane Labeonis genius a Gellio descriptus *l XIII. Noct. Att. c.* 10 & intentio ejus hoc suadent; nec enim de variis tempestatibus, sed de solis nivibus quæstio erat: hæ vero si immoderatæ fuerint, & contra temporis consuetudinem sævientes, tum demum pronunciat ex emto agi posse, adversus venditorem. Is nisi promisisset, si quid vi aut tempestate factum esset, se præstaturum, nullo modo teneri poterat; quia perfecta emtione periculum est emtoris, proin ea tantum, quæ receperat, quæque vi & tempestate contigerant, præstat, non quæ secundum consuetudinem facta: hæc æquo animo ferre debebat emtor, quia ad casus fortuitos non sunt referenda. Nimirum ex rei rusticæ auctoribus didicerat Labeo, & ab ipsis agricolis acceperat procul dubio sæpius, quando sex mensibus quotannis secedebat, & ex urbe, tanquam ex vinculis, rus evolabat, mediis aquilonibus nives adversus vim frigoris magis prodesse frumentis, quam ea vitiare: hinc tempora distinxit, & ni-
ves

ves immoderatas hibernas, modicas vero vernales aut autumnales, ad casus fortuitos pertinere respondit. Videatur Columella *lib. II. de R. R. c.* 8. & Prudentius *l.* 2. *Adv. Symm.*

Post Zephyros gelidi glacies Aquilonis inurit,
Ambustumque caput culmi fuligine tinguit:
Seminis aut teneri turgens dum germinat herba,
Continuis nimiisque perit constricta pruinis,
Nec potis est tenuem telluri affigere fibram.

Minime autem Anton. Rub. in *l. vinum n.* 80. *Si cert. pet.* contra rationem & fidem omnium exemplarium, in fine legis particulam *non* inserere, nec Antonius Faber cum Accursio ex ea regulam formare debebat, eum, qui se obligat ad casus insolitos, non ideo teneri ad solitos; & contra, qui se obligat ad solitos, de insolitis non teneri: id enim non egit Antistius, ut casus solitos ab insolitis distingueret, sed casum fortuitum ab eo damno separavit, quod frumenta secundum consuetudinem a tempestate moderata accipere solent. Damnum ex nivibus immoderatis contingens venditorem suscepisse præsumi debebat, non ex modicis & consuetis, quia in obscuris quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet, inspici debet *l.* 114. *D. de R. J.* Erudite, ut solet, Excellentissimus D. Noodt *lib. III. probab. c. XI.* quem evolvisse non pœnitebit.

§. IX.

Quemadmodum ergo subductis columnis tecta ruunt, sic in fumum abit, quicquid regularum ex prave explicata lege 78. plerique recentiorum, pariter ac veterum, sibi finxerunt. Nobis omnino fixum sedet, eum qui casum in se recepit, & solitum & insolitum præstare teneri. Illum, quia de solitis inprimis cogitant partes; hunc, quoniam quod rarius contingit magis appellatione casus fortuiti continetur, adeoque generalitati vocis tamdiu insistendum, donec contraria probetur exceptio, *l.* 8. *D. de Publ. in rem act. l.* §. 1. 1. *de Leg. præst.* Maxime, quia ab insolito minus

nus periculi est, atque ideo regulæ bonæ interpretationis non patiuntur, ut pro recipiente pronunciemus, cum is in rarius contingentes omnino consensisse videatur, sibique imputare debeat, quod legem pactioni apertiorem non dixerit *l.* 28. *D. de Pact.* Natura igitur pactionis hoc suadet, & jurisprudentia *l.* 7. §. 6. *de Pactis l.* 39. *D. Mandati l.* 9. §. 2. *D. Locati.* & consensus meliorum quorumvis Doctorum. Ita Vinnius *l.* 2. *Sel. quæst. c.* 1. & Clarissimus Collega noster Dn. van Eck *ad tit. Commod.* §. 34. Præjudicia dabit Carpzov. *p.* 2. *c.* 26. *def.* 8. & *p.* 2. *c.* 37. *d.* 17. Faber. *C. l.* 4. *tit.* 41. *d.* 2. Græve *l.* 2. *concl.* 23. *conf.* 4 Mev. *p.* 2. *d.* 90. Zigler *de casu fort.* §. 10. Qui in diversa eunt, nituntur inprimis *l.* 4. §. 4 *Si quis caut. jud. sist.* ubi Ulpianus negat valere, renunciationem exceptionum, quæ contra vadimonium desertum excusent, nisi specialiter fuerint casus fortuiti expressi. Quotquot in hanc legem inciderunt Pragmatici, id quod quærebant, se invenisse putarunt: at pro thesauro carbones! Aliam pactorum conventorum, aliam stipulationis Prætoriæ esse indolem, hi considerare debuissent: deinde renunciationes esse stricti juris, nec ad ea extendi, quæ non sunt in contrahentium potestate, neque brevi verborum compendio expressa & cogitata videntur. Minorem speciem habet, quod ex Papiniani *l.* 10. §. 1. *D. de Ann. leg.* obmovetur: certior enim erogationum annuarum, quam casuum fortuitorum forma est, hi enim, inde quod incerti sunt, nomen acceperunt. Ceteris, quæ ex *l.* 12. *D. de Pign. act,* & *l.* 13. §. 1. *D. de Usur.* petuntur, non immorabor, Vinnius *d.c.* 1. videatur, & Struv. *Ex.* XXVI. §. 17.

§. X.

Alia insolentissimorum est ratio, qui per hominis memoriam vix centesimo aut millesimo anno semel contingunt. Hos enim, qui casum generaliter recepit, non præstat; cum vix probabile sit, virum prudentem de iis cogitasse, propter raritatem *arg. l.* 6. *D. de Pign. l.* 15. §. 26. *D. de Ju-*

rej.

rej. Conventiones autem, quantumvis generales, nunquam trahuntur ad incogitata, fed ad ea, quæ jam apparent, referri, non vero ultra intentionem contrahentium operari debent *arg. l. 5. D. de Transact. l. 35. D. de Pact. l. 77. D. de Contr. emt. l. 34. de R. J.* Atque ita in praxi obfervari Carpzovius auctor eft *p. 2. c. 26. d.* 8. Brunn. *ad l. 78. D. de contr. emt. n.* 4. *&* 9. Gail. *l.* 2. *O.* 23. *n.* 18. Zanger. *de Except. p.* 3. *c.* 23. *n.* 10. & quos alios, ad elegantem facti fpeciem, laudat Crefpus de Valdaura *tom.* 2. *obfervat.* 94. *n.* 21. *feqq.* Fac ergo, conductorem prædiorum rufticorum, qui excurfus fluminum marisque, & fterilitatem ex aeris inclementia metuendam, fimiliaque aliquoties expertus eft, periculum cafusque fortuitos in fe recepiffe, de edaci autem locuftarum pernicie in omni vita nec audiviffe neque cogitaffe, an dicemus pactum effe, de quo non cogitavit, nec cogitare potuit? Certe non patitur natura pacti, pacifcentem ultra id teneri, quod promifit *arg. l.* 2. §. 1. *D. de Her. vend. l.* 26. *de Acq. poff.* Hinc Diocletianus & Maximianus, in *l.* 18. *C. de Locato*, Amno refcribunt, tempus, quo edaci locuftarum pernicie fterilitatis vitium intercefsit, excipiendum effe. Et neminem fui ordinis dubitare, quin locuftarum examina, ad cafus rariffimos exceptos pertineant, confirmat Mornacius *ad l.* 15. *D. Locati.* Valafc. *de Jur. emphyt. q.* 27. *n.* 25. Amaya *lib. III. Obf. c.* 3. *n.* 8. Hopp. *difp. de edaci locuft. pernic.* In omnibus tamen contractibus infpiciendum eft, quid actum fit; adeoque fi verba omnino enixam voluntatem demonftrantia adhibita, vel *omnes* cafus five foliti, five infoliti, five infolentiffimi recepti, aut principalibus enumeratis generalis claufula fubjecta fit, nil caufæ eft, cur ejusmodi pactum invalidum dicamus; quia de promittentis intentione conftat, isque damnum præter expectationem emergens fuæ facilitati imputare debet, alter vero, in cujus utilitatem claufula tendit, citra hanc conditionem fe contrahere noluiffe obtendet. Ita Fab. *C. l.* 4. *tit.* 41. *d.* 53. Burgund. *de peric. & culp.*
c.

c. 8. *n.* 10. Struv. *Ex.* XIX. §. 44. *&* *dec. Sabb. c.* 16. §. 14. Rittershuſ. *ad l.* 23. *de R. J. c.* 18. *p.* 236. & recte! Nam qui omne dicit, nihil excludit, ſed omnia & ſingula, quæ apta ſunt, comprehendit *l.* 68. *pr. D. de leg.* 3 *l.* 13. *C. Mand.* Cravetta *conſ.* 294. Strauch. *lex. part. voc. omnia.*

§. XI.

Duæ iſtæ regulæ ad omnia negotia, in quibus expreſſe vel tacite caſus recipitur, applicari poſſunt; ſed ne limites diſſertationis egrediamur, contenti erimus ad ſterilitatem & frumentorum pericula hæc retuliſſe, de quibus & utrumque caput, quod explicamus, conceptum eſt. Noti juris eſt, conductori prædiorum mercedem totam vel pro parte remitti, ſi ager incurſu hoſtium vel latronum occupatus eſt, aut propter peſtem bellumve ſuperveniens coli non potuit. *l.* 9. §. 1. *l.* 33. *&* 34. *D. Locat. l.* 18. *D. Commod. l.* 12. §. 2. *de Reb. auct. jud. poſſ.* idque rationem habet naturalem, quia merces determinata fuit ſecundum uſum, quem per id tempus locator non præſtitit, ut debebat: nam *oportere agrum præſtari conductori, ut frui poſſit*, infit Ulpianus *l.* 15. §. 2. *fin. D. Locati.* Et Cicero de provinc. Conſul. *Qui publico frui non potuit, hic tegitur ipſa lege Cenſoria.* Idem vero obtinet, ſi in fructibus nondum perceptis abſque culpa conductoris extrinſecus, ut lue tempeſtatis, nimio fervore, vel alio cœli vitio, calamitas contigerit inſolita & plus quam tolerabilis, tum enim, ex benignitate juris Romani, locator arbitrio judicis mercedem pro parte vel in totum remittere jubetur. *l.* 15. §. 2. *l.* 25. §. 6. *D. l.* 8. *C. Locat.* Quod ſi jus ſtrictum ſequamur, ſterilitas damno conductoris eſt, cui facultas utendi præſtita; & ſicut exuberans proventus ipſius commodis ſervit, ita caſum malignum eodem animo accipere debet, præſertim cum unius anni ſterilitas alterius ubertate ſoleat penſari. Ita Grotius *l.* 2. *c.* 12. §. 18. & Pufendorf *l. V. c.* 6. §. 3. Accedit quod Deus T. O. M. fructibus intuitu perſonarum benedicit,

aut

aut eos grandine verberat in pœnam, quemque autem suum peccatum ferre æquum est, *Gen.* XXX. 27. *Exod.* XXXII. 33. *Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cetera naturæ mala, ita luxuriem dominantium tolerandam*, inquit Tacitus IV. *Hist.* 74. Recte tamen Jurisconsulti & Imperatores temperamentum adhibuerunt in hoc bonæ fidei contractu, *ne colonus, ultra damnum seminis amissi, mercedem præstare cogatur*, ait Ulpianus noster in *l* 15. §. 2. *D. Locati.* Aliam rationem a magnitudine damni petit Cajus in *l.* 25. § 6. *eod. Vis major non debet conductori damnosa esse, si plus, quam tolerabile est, læsi fuerint fructus: alioquin modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur.* Ad bonam fidem & æqualitatem, in contractibus onerosis observandam, provocat Imp Alexander in *l.* 8. *C. de Loc.* Higinio rescribens: *Si quæ evenerunt sterilitates ubertate aliorum annorum repensatæ non probabuntur, rationem tui juxta bonam fidem haberi, recte postulas.* Pietati adscribit Cassiodorus, *ut agrorum fructibus enudati subleventur onere tributariæ functionis, & in quantum possessoris laboravit utilitas, sublevetur.* lib. IV. Var. Epist. 50 & rursus lib. X. ep. 27. *Cultor agri ad futuram famem deseritur, nisi ei, cum necesse fuerit, subveniatur, & nimis impium est, plenissimis cellis vacuos esurire cultores.* Ex quibus constat, sat validis momentis subnixum esse juris nostri temperamentum, quo locator casus fortuitos cum conductore partiri tenetur, ut ille pensionis, hic seminis & laboris jacturam ferat. Rationem disparitatis, cur immodicum lucrum colono relinquitur, si altero tanto plus fructuum, quam solebat, percepit, ex diversa ubertatis & sterilitatis, diversa locatoris & coloni causa, dedit Cujacius *lib.* XXVI *Obs.* 36. Quid autem, si conductor remissioni renunciaverit, & solus quod vi majore fructibus extantibus accidisset, susceperit? Pacto standum esse, Julianus ait, sive solitus sive insolitus casus secutus sit *l.* 9. §. 2. *D. Locati.* rarissimus autem, de quo non

cogitavit, damno non erit colono, sed mercedis remissionem conciliabit. Carpzov. *p.* 2. *c.* 26. *d.* 8. *n.* 7.

§. XII.

Quod de remittenda vel non remittenda mercede colono, ob sterilitatem, dixerat Ulpianus in §. 2. *d. l.* 15. illud mox in §. 4. Papiniani verbis, ad vectigalium conductionem pertinere monet; ut si forte publicani animose vectigalia conduxerunt, & inopinata mala incesserunt, per quæ solvere non possint, non nihil pecuniæ ipsis remittatur; nisi aliud nominatim pactis, locationi vectigalium adjectis, cautum fuerit. *Hoc idem & in vectigalis damno respondit*. Perperam Gothofredus pater, quique eum sequuntur, de agro vectigali, seu emphyteuticario hæc acceperunt; quum ne γεῦ quidem de agro; nec ob sterilitatem quicquam damni obveniat fundo, sed fructibus; & emphyteuta denique solus omne damnum ferat. Igitur respublica, quæ vectigalia locat, conductoribus præstare debet, ut frui possent; sique ob bellum, seditionem, aut morbum epidemicum, nihil ad ipsos vectigalium redierit, æquum est, ut summa minuatur. Idem erit, si hostium copiæ non longe abfuerunt, licet irruptio facta nulla sit: Sufficit enim pecora relicta metu instantis periculi, & agriculturam desertam esse. auctore Cicerone *pro Lege Manilia*. Multo magis id obtinebit, si mercium importatio aut exportatio, vel tota navigatio interdicta sit. Atque ita Senatum Romanum, si quæ calamitas intervenisset, publicanos mercedum parte levasse, Polybius scribit *lib. VI. Hist. c.* 15. Et Cicero publicanos colonis pares facit, lib. III. de Off. c. 22. *Ego*, inquit, *cum Catone meo sæpe dissensi: nimis mihi præfracte videbatur ærarium, vectigaliaque defendere; omnia publicanis negare, multa sociis; cum in hos benefici esse deberemus, cum illis sic agere, ut cum colonis nostris solemus.* Verissime & hic, & ad Atticum lib. 1. ep. 17. 18 queritur Cicero de rigore Catonis, quo Cæsari & Pompejo fenestra aperta est, rempublicam oc-

occupandi. Et Cæsar, secundum Ciceronis benigniorem sententiam, tertia mercedum parte publicanos liberavit, ut Suetonius *c.* 10. testatur. Moribus hodiernis, eandem æquitatis regulam respublicas, civitates & judices sequi debere, multis auctoritatibus & constitutionibus probari posset. Vide Responsa JCt. Holl. *p.* 3. *vol.* 2. *cons.* 105. 106. Abraham a Wesel *de remiss. merc. c.* 7. *n.* 14. Voet *ad tit. D. de publican. c.* 7. & unum, instar omnium, Antonium Matthæum *de auction. l.* 2. *c.* 5. *& c.* 11.

§. XIII.

Colophonis loco cautelam practicam adjiciamus, qua in tanto opinionum conflictu contrahentes magnam perplexarum litium segetem amputare queant. Sine hac enim metus est, ne partibus nostris recte functi videamur, quia is demum M. Antonio, vel potius Tullio judice *l.* 1. *d. Orat.* vere juris Studiosus nominatur, qui legum & consuetudinis ejus, qua privati in civitate utuntur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum peritus esse cupit. Consultum autem est, ut qui ad quosdam tantum casus se obligare vult, illos nominatim exprimat, sic enim de non expressis haud tenetur: vel si ad casus insolitos tantum, non autem ad solitos se adstringi velit, hos specialiter exprimat. V. gr. piratarum incursum, naufragium, incendium, mortes animalium &c. In contractibus enim semper contra eum, qui legem contractus potuit dicere apertius, interpretatio facienda est *l.* 172. *de R. J.* Atque ita in assecurationibus mercatorum, in securitatis apocha, seu Pollice, fieri solere, ex formulis & quæstionibus patet apud Scacciam *de commerc.* §. 1. *qu.* 1. *n.* 141. Stypman. *de jure marit. p.* 4. *c.* 8. *n.* 335. & Santern. *de Assecurat. p.* 3. *n.* 61. Contra qui alium ad præstandos casus fortuitos obligare intendit, caute facit, ut enumeratis casibus omnibus, qui forte prævideri aut metui possunt, generali clausula reliquos omnes solitos, insolitos & insolitissimos complectatur. Marquard.

quard. *de Jure mercat. l.* 2. *c.* 13. *n.* 67. Stryck. *caut. contr. S.* 2. *c.* 9. §. 26. Nulla heic cautio nimia est, nam secundum Plauti illud:

Qui cavet ne decipiatur, vix cavet, etiam cum cavet.
Etiam cum cavisse ratus, sæpe is cautor captus est.

TANTUM!



DIS-



DISSERTATIO SEPTIMA,

DE

UNCTIONE REMENSI.

DUm excita sedibus suis Gallia, in Regis unctionem, velut publicæ felicitatis spectaculum, oculos intendit, & per cunctas late provincias, demisso obsequio, vota facere paravit, mihi in umbroso museo, natum est consilium, pauca concinnare, ex quibus solennis illius cærimoniæ origo, fata & effectus, si non omnes, saltem quidam haud pœnitendi illustrarentur. Sic enim censebam, neminem fere esse supra vulgus, cujus animo curioso Persici apparatus, cum cœlesti Ampulla, ceterisque regni Cimeliis, hoc tempore non obversentur: quorum adspectus, florem Europææ juventutis, illicis in modum, solicitavit. Bonifacius præterea, Trajectensis Archi-Episcopus, aurem mihi vellebat, qui ante hos annos circiter mille, primum Francorum Regem Pippinum, oleo consecravit. Quid? quod prima hæc ab unctione dies, exercitiis Academicis sacra, prætermittenda non videbatur, quin specimen hoc qualecunque in pulpita protruderem; ut, quod minus erat apparatum, temporis opportunitate commendaretur. Qui Remos profecti, pars maxima, pompa externa satientur; artifices de gemmarum pretio ibi in consilium eant; nos arcana dominationis & piæ fraudes exercebunt, quæ sub involucro consecrationis teguntur. Quid Marlotus in libro

de sacra Regum Francorum unctione singulari præstiterit juxta cum ignarissimis scio, quia libri ejus copia non fuit: nullus autem dubito, quin formularum præco sit, & eadem religione, qua ceteri, vasculum Remense complectatur. Nec forsan genuinam is ausus est tradere causam, cur Franci libertatis olim amantissimi, & nomen ab ea ferentes, nunc Regum suorum Numini & Majestati devoti, *non eis modo enixissime pareant, sed & ipsos, ceu mortalibus augustiores, venerentur*, ut Jovius scribit lib. xv. Hist. Duobus capitibus quicquid hujus argumenti est absolvemus. Primo originem, fata & effectus unctionis generaliter expendemus: alterum, quæ ad unctionem Remensem pertinent, complectetur. Omnia quæ hac occasione dici possent, congerere nec volui, nec potui: prodiret enim nobis ingens

Telephus, & summi plena jam margine libri
Scriptus, & in tergo, necdum finitus Orestes.

CAPUT PRIMUM.

DE

UNCTIONIS REGIÆ ORIGINE, FATIS ET EFFECTU.

§. I. *Inaugurationes Regum haud necessariæ, quare fiant; cur symbola, coronæ & insignia adhibeantur?* II. *Regum unctio antiquior est Saule; ejus ultima origo a Jacobo Patriarcha: lapides & victimæ unctæ. Genes.* XXXIII. 18. & *Judic.* IX. 8. *illustrantur.* III. *Reges Judæorum quam ob causam unguento sacrati. Quantum auctoritatis eis sacra cærimonia conciliarit; diversa a Sacerdotum unctione,* IV. *Persarum Regum inauguratio similis Ebraicæ. Romani mortuos Imperatores unguento consecrarunt, vivos non item.* V. *Primis sex a Christo nato sæculis, nullus Regum in Occidente unctus; plerique more Germanorum, scuto militum levati.* VI. *Impe-*

peratoribus Græcis, præter coronationem, eadem solennitas. Palma primæ unctionis in Regem Christianum, Vesi Gothis Hispaniæ regibus asseritur. VII. *Uncto Pipino, Pontifex Romanus Angliæ aliorumque Regum unctiones, per Archi-Episcopos promovit. Cur Henricus Auceps eam recusarit?* VIII. c. un. x. de S. Unctione *explicatur. Olei & unctionum in jure Canonico species diversæ: Regum caput hodie pariter ungitur, ac sub Vetere Testamento.* IX. *Effectus unctionis, alii Ecclesiastici, quod Reges consecrati communicant sub utraque; Canonici fiunt. &c.* X. *Alii effectus civiles, quorum veri, a simulatis distinguuntur. De Regum jurejurando ante unctionem quædam.*

§. I.

QUibus lex aut electio sceptra porrigit, ut solenni ritu in possessionem mittantur, nihil necesse est. Unica imperii constituendi causa consensus est, quo cives rectori suo obsequium promittunt. Quicquid huic adjicitur, decori & prudentiæ civilis rationem habet, ad juris vero argumentum non valde pertinet: nisi Rex competitorem habeat, & lege regni constitutum fuerit, ut ne, ante jusjurandum solenniter præstitum, regios actus exercere possit; id quod de Polonis Piasecius memoravit. Prorsus ac matrimonium mutuo consensu perficitur; deductio autem in domum, & ritus sacri, ad parerga pertinuerunt: sic coronatio non est causa regni, sed symbolum ejus translati. Neque ideo quisquam Rex est, quod coronatur; sed coronatur, quia Rex est. Et tamen omnium gentium, etiam barbararum, ab omni ævo, consuetudo fuit, Reges & Principes suos eximio aliquo ornamento honestare; tum ut augusta imperii majestas Regi novo ob oculos poneretur; tum etiam, ut populo reverentia & obsequium injiceretur. Eam sane ingenii humani indolem quotidie experimur, ut si res incorporales pollicemur, vel exhibemus, id commodius fieri putemus corporalibus signis: quia per aures demissa segnius animum irritant, quam quæ fidelibus oculis subjiciuntur. Sapientes igitur ad res quasvis majoris momenti,

menti, non perfunctorie, aut per simplex instrumentum, sed cum apparatu solennitatis, procedendum esse rati sunt; in nuptiis confarreatio, in testamentis æs & libra, in fœderibus dextra, in traditionibus varia symbola adhibebantur, & talia maxime, quæ cum re tradita affinitatem aliquam haberent. Plane decora & insignia, quibus imperii dignitas eminet, cum ipsis statim regibus enata esse videntur; simplicia primum, ut hasta, gladius, & serta ex herbis aut floribus contexta: quibus deinceps, crescente luxu & ambitione, unguenta, sceptra, coronæ, diademata, mitræ, tiaræ, solia, aliæque multæ mysteriorum secretissimorum imagines accesserunt. Dionysius Halicarnassensis συμβολα της ηγεμονιας: Appianus συμβολα της αρχης: Herodianus συμβολα της βασιλειας: Dio Coccejanus κοσμηματα της ηγεμονιας: Dio Chrysostomus βασιλειας σημεια appellavit. Virgilius VIII. Æneid. 505.

Ipse oratores ad me, regnique coronam,
Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarchon.

II.

Inter varias autem Regum inaugurandorum solennitates, præcipua & antiquissima est Unctio; cujus vestigia, jam ante Saulis ævum, in vetustissimo apologo occurrunt, Judicum IX. ℣. 8. *Iverant arbores, ut sibi inungerent Regem, & dixerant oleæ, noster Rex esto. Eis vero olea, an, inquit, paterer deficere meam pinguedinem, quam in me Deus & homines magni faciunt.* Quibus in verbis Jothamus testatur, suo tempore, Reges Orientis, Ebræorum vicinos unctos esse, & rationem addit, quod magnus, in rebus sacris, Deoque sacrandis, olei fuerit usus. Quin apud Ægyptios, Persas, Græcos atque Romanos, in suffitu & victimis oleum sit adhibitum, antiquitatis monimenta nos dubitare non sinunt. Forte, quos thure placabant, Deos ejus odore delectari crediderunt homines, superstitioni immersi. Certe animalia, quæ Diis consecrata, quæve in admiratione erant, unguento delibuta fuisse, Casaubonus ad Suetonii

mii librum primum cap. 80. aliquot exemplis probavit; pluribus alii, qui de sacrificiis scripserunt. Ipsi lapides, *unguento delibuti* religiosam moram viatoribus objiciebant, auctore Apulejo *lib.* 1. *Florid.* Clemens Alexandrinus λιπαρὰς λίθους, *pingues lapides* vocat, Stromat. 7. Arnobius *lubricatum lapidem* , *& ex olivæ unguine delibutum*, lib. 1. adv. gent. Siculus Flaccus lapides terminales *unguento*, *velaminibusque & coronis ornatos fuisse*, scribit de condit agror. p. 5. Qui universam gentilium Theologiam ab Ebræis petitam contendit, Vir Cl. Petrus Daniel Huetius, morem hunc idololatricum, a lapide, uncto in Bethel, dimanasse censet: Jacobus enim Patriarcha in itinere lapides, quibus innixus scalam in somnis viderat, *erexit in statuam*, *& effudit oleum in summitatem ejus*, Genes. XXVIII. ℣. 18. Et sane Judæos pariter, ac Chananæos, ceterosque gentiles superstitiosiores, lapidem hunc deduxisse in speciem cultus divini, eique similes alios, successu temporis, fecisse ex 1 *Reg.* XIV. 23. conjicere licet, atque illustris Scaliger, ex traditione Rabbinorum, ante Huetium, in animadversionibus ad Eusebium firmavit pag. 216. Apud Ægyptios olei usum maximum, in victimis fuisse, quæ Isidi mactabantur, sed majorem in festo celeberrimo, quod Herodotus λυχνοκαίην vocat, Vir Cl. Joannes Clericus docuit ad Jud. IX.

§. III.

Num Ægypti Reges, tempora oleo delibuta, vitta, fascia & diademate velarint primi, an vero alibi gentium ritus unctionis primum natus fuerit, in tanto veterum silentio, vix dici potest. Hoc scimus, legem datam esse Israelitis, ut Tabernaculum, Arcam, utrumque Altare, Candelabrum, Vasa Sacra, Pontificem, & Sacerdotes, unctione solenni consecrarent, & ab usu communi separarent, quo populus sensu majestatis divinæ fortiore tangeretur, Exodi XXX. 23. juncto Levit. VIII. 10 & Numer. VII 1. Oleum hunc in finem, Mosis jussu, a Bezaleele confectum, sanctorum sanctissimum fuit; quicquid illo tangebatur, non mo-

do adversus injurias munitum, sed & sacrum erat, cunctosque reverentiæ Deo debitæ admonebat. Cum igitur Ebræi, κακοζηλίας studio abrepti, vicinorum exemplo, Reges sibi splendidos dari postularent a Samuele, hic sanctos quoque & inviolabiles constituit: ne illi servitutis pertæsi, & mutabiles semper, hostili animo Rectores olim persequerentur. De unctione Regum Israelis res vulgata est, librisque integris ab Huberto Moro de *sacris unctionibus*, Balthasare Scheidio *de oleo unctionis*, & Fortunato Scaccho *in myrothecio* excussa. Ego illud inprimis hic observandum puto, oleum Regis, si non aliud, ut quidam volunt, ritum certe diversum fuisse ab eo, quo Sacerdotes consecrabantur. Illius vertici unguentum illitum in orbem, ut coronam referret; his figura literæ χ. vel crucis, ut vocant, Andreanæ inter supercilia, imprimebatur. Rex ergo, sacerdotum exemplo unctus, inspectionem habebat in sacra, & ἐφημερίας Sacerdotum; ipse Sacerdos non erat: jure loquendi in sanctuario, at sacra faciendi non pollebat. Absit tamen credamus, hac propter Regem in illorum ditione & clientela, a quibus tantum acceperat munus, extitisse; nil minus! Unum Deum suspiciebat Rex, cujus auspiciis regnabat, ceteri subditi erant omnes, etiam summus Sacerdos; qui Rege sedente stabat, locumque illi suum cedebat, a quo institui, destitui, etiam morte puniri poterat, si capital fecisset; ut Moses Maimonides, Rabbinorum facile doctissimus, ex Talmudicis notavit. Summam ergo unguenti illius sacri delibatio majestatem, domi militiæque, Regibus conciliavit, imo tantam, ut jus & potestatem in res divinas exercerent, ac dum colebant terras, re & symbolo Augusti, non augurio, sed oleo divino consecrati haberentur. Præterea illud etiam discrimen ad rem nostram pertinet, quod Pontifex, Pontificis filius, ungi debebat, usque in decem generationes, id est in perpetuum: Rex autem novitius tantum ungendus esset, Regis filius non item; quippe cui sine populi suffragiis regnum debebatur; nisi exortâ controversia eam adhiberet,

beret, ad majorem cautionem, ut Vatablus ad IV. Reg. II. & Seldenus de success. in Pontif. lib. II. c. 9. ex Gemara observarunt.

§. IV.

Usui poterat esse hoc sapientissimi legislatoris institutum gentibus aliis; nec satis definio, a Judæis, an ab aliis, Persæ cærimonias inaugurandi Reges mutuati sint. Refert enim Plutarchus, moris apud eos recepti fuisse, ut Regibus, magorum disciplina probe imbutis, in bellicæ Deæ fano, prius diadema non imponeretur, quam terebinthum & caricas gustassent, lactisque poculum ebibissent: symbola ad medicandum, vel ad delectandum, olei instar, comparata. En tibi Plutarchi verba in Artaxerxe cap. 2. interprete Xylandro: *Non multo post Darii mortem tempore, Artaxerxes Pasargadas profectus est, ut a Persicis sacerdotibus Regiis mysteriis initiaretur. Templum ibi est Deæ cujusdam bellicæ, quam Minervam esse conjicere liceat. Eo intrare oportet eum, qui initiatur, suoque amictu deposito, eam stolam induere, quam Cyrus ille Magnus, antequam acciperet regnum, gestaverat: siccorum quoque pallatham & terminthum comedere, & lac aceto temperatum bibere jubetur; fortassis & alia quædam ignota aliis facere.* Non equidem Chæronensis meminit unguentorum, sed hæc tam frequentia Persis luxuriosis, iis ut maduisse ferantur; & præsto nobis sunt succenturiati duumviri, Plutarchus lib. VII. Sympos. & Athenæus lib. II. Deipnos. c. 9. narrantes, Artaxerxem Antalcidæ Lacedæmonio coronam croceo unguento intinctam misisse. Ex alio ejusdem Athenæi & Hesychii loco, Barnabas Brissonius, Cidarim Persicam, regiæ majestatis insigne, myrrha & labyzo delibutam fuisse ostendit, *de regno Persarum lib.* 1 *n.* 33. Ad Romanos quod attinet, Plinius auctor est, Persicæ gentis unguentum, ante Alexandri victoriam, a Dario obtentam, Græcis & Italis non innotuisse; postea vero *ejus voluptatem, inter laudatissima, atque etiam honestissima vitæ bona, admissam esse*, lib. XIII. Hist. nat. c. 1. Id vero de pri-

vato, non de publico unguentorum uſu accipi debere, ut moneamus, haud neceſſe eſt. In potum Romæ addita eſſe unguenta exotica, manus & pedes odoribus peregrinis lotos, Vir Celeberr. Petrus Burmannus ad Petronium obſervavit. Neque voluptatis tantum, ſed & valetudinis cauſa ungebantur Quirites; *Feminas vero, quo elegantiores eſſent & mundiores*, nardo puro unctas, Pomponius ſcivit in *l.* 21. §. 1. *D. de Auro arg. mund.* qui etiam *συλιν*, ſeu corpus odorum *coctis odoribus fieri* in *l.* 27. § 1. *D. de Acq. rer. dom.* memoravit. Eruditiore luxuriæ paratu, & Artaxerxis imitatione, coronæ conviviales, e roſis vel nardi folio ſutiles, mergebantur unguentis, ut gratiæ florum, voluptas olefactus accederet. *στέφανοι χριστοὶ* Græcis; coronæ unguentis madidæ apud Plinium vocantur. Sed inter publica Principum inſignia, nullus unguentis vel coronæ locus. Romulus togam ſumſit prætextam, diadema, ſellam curulem, lictores quoque duodecim, cum ſecuribus & virgis. Conſulibus faſces prælati, quibus, præter ſecures, coronæ erant illigatæ. Notum quoque, inter dona, quæ vulgo ad amicos & ſocios Reges mittebantur, aureas coronas fuiſſe. Imperarores vero capitis inſigni abſtinuerunt, hactenus civibus in ſpeciem ſe æquantes, quibus nihil gratius eſſe ſciebant. Ipſe Auguſtus, ſponſione populi Romani, tantum electus, non vero actu ſolenni inauguratus eſt. Nerva Trajanum adoptavit in templo Capitolino, ante pulvinar Jovis Optimi Maximi, ſed abſentem Purpuram ſumere, & imperium ſumere, idem erat. Caligula primus diademate uti voluit; ſed Elagabalus domi, & ut patrii numinis ſacerdos; publice Aurelianus ſibi annexuit. Florus *diſtinctam radiis coronam* Cæſari decretam ait, lib. IV. c. 2. ſed *in theatro*; ubi populus *coronatus* ludos ſpectabat; nec ſatis ſcio, an Florus erroris arguendus fuerit; quandoquidem multa unius fide nituntur, & titulus *Divi*, Principibus etiam vivis fuit tributus: radiatum vero caput originem ex Deo aliquo notabat: Virgilius *Solis avi ſpecimen* vocat; quod Cæſare defuncto,

cto, in consecrationis Imperatoriæ symbolum fuit conversum. Consecrabantur autem Principes mortui demum ad rogum, accedente unctione, non per servum libitinarii vilem, & *pollinctorem*, ut Ulpianus vocat, in *l.* 5. §. 8. *D. de Instit. act.* sed *per pollinctum Sacerdotem* facta, auctore Tertulliano in Scorp. c. 7.

§ V.

Dum aliud ex alio feritur, diutius, quam institueram, in Romana Republica commoratus sum; nec tamen est, cur pœniteat: quia nullus populus, post Hebræum, nec major, nec exemplo ditior fuit Romano: ideoque ejus ritibus perspectis, quod propositum erat, facili negotio demonstrabimus, sex primis post Christum natum sæculis, nullum Regem Christianum oleo delibutum, sed alia Principatus solennia in usu fuisse. Hæc inter eminebat castrensis ritus, quo Imperatorem, suffragiis aut clamore subitaneo electum, milites scuto imponebant, & plaudentibus cunctis sublimem humeris per castra circumferebant. Ammiani Marcellini locus est pulcherrimus lib. XX. c. 4. de Juliano: *Impositus scuto pedestri, & sublatius eminens, nullo silente, Augustus renuntiatus, jubebatur diadema proferre: negansque unquam habuisse, uxoris colli vel capitis poscebatur. Eoque affirmante, primis auspiciis non congruere aptari muliebri mundo, equi phalera quærebatur.* Mos ille purus putus Germanicus est, & a Francis, ad milites Romanos translatus; illi enim ante in Palatio Prætorianis, nunc a Juliano legionibus adscribebantur, auctore Zosimo lib. III. c. 8. Unde *Salii* inter Palatina auxilia in Notitia Imperii recensentur. Maximi & Balbini temporibus, necdum ad Romanos ea consuetudo pervenisse videtur, quia *cespititium tribunal*, in Probi inauguratione Vopiscus: *tribunal ad altiorem suggestum erectum* Ammianus lib. XV. memoravit. Quapropter non ausim, cum aliis, huc referre Capitolini verba in Maxim. c. 14. Gordianum Cæsarem *sublatum a militibus*, Imperatorem factum, ait; milites enim illos Germanos non fuisse, quæ

præcedunt & sequuntur, docent. Germani vero, ut Martios spiritus gerebant, ità armis ducum orationes probabant, ex armis auspicia captabant, ad concilia procedebant armati, & Duces quoque suos hunc in modum creabant. *Impositus scuto more gentis, & sustinentium humeris vibratus, Dux deligitur*, de Brinione, nobili Caninefate, Tacitus scribit IV. Histor. c. 15. Clypeo dux impositus *vibrabatur*, id est ter in gyrum agebatur, auctore Gregorio Turonensi lib. VII. c. 10. *Parmæ superpositus, rex est levatus: sed, cum tertio cum eodem gyrarent, cecidisse fertur, ita ut vix manibus circumstantium sustentari potuisset.* Ritum hunc secuti etiam Ostro-Gothi Germani: unde Vitigis Rex apud Cassiodorum X. Var. 31. ait: *sibi parentes Gothos, inter provinciales gladios, more majorum, scuto supposito, regalem contulisse dignitatem.* Præterea ex optimo scriptore eum indicavit Chronographus innominatus: *Valentiniano* VIII. *& Anthemio Coss. levatus est Imperator in Galliis Avitus.* Vestigium ejus in gladiatorum collegiis, notavit Hadrianus Junius in Bataviæ historia c. XVI. Alii phrases medii ævi, *in regnum elevatus, in regem sublimatus*, pro inauguratus ostenderunt. Sed professa opera ea de re Petrus Pithœus lib. II. Adverſ. c. 6. & Henelius Otior. Uratislav. c. 46.

§. VI.

Latius serpsit mos ille militaris, & per manus, ut videtur, Romanorum ad Constantinopolitanos etiam pervenit. Codinus Curopalata de officiis Constantinop. c. 17. n XI. Ο νεος Βασιλευς επι σκουταριου καθισθεις επαιρεται εις υψος; *novus Imperator, in scuto sessitans, tollitur in altum.* Zonaras in Justiniano, Theophanes in Mauricio, aliique optime de hoc more; etiam Corippus Africanus lib. 2. de Justini minoris laudibus:

Quatuor ingentem clypeis sublimibus orbem
Attollunt lecti juvenes, manibusque levatus.
Ipse ministrorum supra stetit.

Verum præter hunc ritum, apud Græcos, alius etiam obser-

servatus fuit civilis, quo Imperatores renunciati, insignibus imperii, corona, sceptro & chlamyde coram populo & Proceribus ornabantur. Huic Marcianus, vel potius casta illius uxor Pulcheria, Anatolium Patriarcham adhibuit, ut divino suffragio datus Imperator censeretur. Justinus etiam & Justinianus quum in Palatio coronati, Mauricius dum in Palatii tribunali. Tiberius Constantinus quoque, cum augustalem coronam accepturus esset, *vocato ad se Pontifice urbis, cum Consulibus ac Praefectis*, Palatium *ingressus*, *indutus purpura*, *diademate coronatus*, *throno imperiali impositus*, *cum immensis laudibus in regni gloria confirmatur*, ait Paulus Warnefridus de gestis Langob. lib. III. cap. 12. Verum initio saeculi septimi Phocas omnium primus, regia corona redimitus est in aede Joannis, quo tyrannidem pietate tegeret. Ejus successoribus vel pater Imperator, vel Patriarcha in templo regium stemma imposuit, ac piis votis & precibus benedixit. Idem Corippus lib. 2. c. 5. de Justino:

Pontificum summus plenaque aetate venustus,
Astantem benedixit eum, caelique potentem
Exorans Dominum; sacro diademate jussit,
Augustum sancire caput, summoque coronam
Imponens apici.

Unctionis serius tantum fit mentio apud Cantacuzenum, in descriptione coronationis Andronici junioris, *lib* 1. *Hist. c.* 41. nec miror: quia Orientalis Ecclesia, ne quidem in consecratione Episcoporum, sacra unctione utebatur, quod Innocentii III. decretalis epistola ad Thomam Maurocenum declarat, in *c. un.* X. *de S. Unct.* Cantacuzeni totum caput ante laudatum suum fecit Codinus de *offic. Constantinop. c.* 17. *n* 18. Ο πατριαρχης χριει σταυροειδως την κεφαλην του Βασιλεως τῳ θειῳ μυρῳ, επιλεγων μεγαλη τη φωνη το Αγιος. *Patriarcha Crucis in formam caput Imperatoris divino unguento inungit, accinens elata voce illud: SANCTUS.* Vixit autem Codinus sub Manuele, Andronici junioris nepote, qui antepenultimus Imperator Constantinopolitanorum fuit A. 1378. Ut satis appareat, frustra

stra Onuphrium Panvinium tempore Justiniani, alios vero, sæculo septimo unctionis vestigia apud Græcos quæsivisse; quam nec Euchologii textus, aliis minutiis recensitis, præcipit, sed oratione prima in transcursu de ea memorasse contentus est, ut Jacobus Goar in notis plenius explicat, & præclaro Manassis loco Seldenus de tit hon. p. 1. c. 8. confirmat. Verisimilius ergo Johannes Jacobus Chifletius in disquisitione de ampulla Remensi, cap. 16. Recaredum, Vesi-Gothorum Hispaniæ Regem, omnium totius orbis Regum Christianorum primum, unctum & coronatum scribit, sed non probat. Pro Wamba, Vesi-Gothorum rege A. 672. Toleti, a Quiricio Archiepiscopo uncto, stant plures: quia Joannes Magnus Gothus *lib.* VI. *c.* 22. *eum non passum esse*, inquit, *se Regem nominari, donec, Sanctorum Regum exemplo, per manus Pontificum inunctus, & coronatus esset* Julianus, Toleti Episcopus, in historia ejusdem Wambæ, æqualis sui, tomo IV. Hisp. illustrat. *Adfuit in diebus nostris Wamba Princeps, quem digne principari dominus voluit, quem sacerdotalis unctio declaravit.* Forsan autem sacrum hunc ritum revocavit Wamba, quia Vesigothis persona Regum non satis sancta erat; quamobrem, ut vitæ eorum consuleretur, alia quoque in conciliis Toletanis sancita sunt, de quibus Alteserra ad Gregor. Turonens. *lib.* III. c. 30. & Cointius ad A. 584.

§. VII.

Sic prodito semel & iterum exemplo, Judaicum morem, a vicinis renovatum, suum quoque fecit Pippinus, Francorum Rex gloriosissimus; & bis ungi voluit, primum a S. Bonifacio, rursus a Stephano III. Papa, ut titulum, quo regnum adeptus erat, sacris confirmaret. In Anglia antiquiora Regum unctorum testimonia extare, & vel a Saxonum ævo, existimat Seldenus *de tit. hon p.* 1. *c.* 8. sed initium definire non ausus. In Germania, Gallia, Scotia, Arragonia, Hungaria, Bohemia, & Polonia res nota, quod Reges serius, heic ibi maturius uncti. Ad fabulas autem

vulgo

vulgo refertur, quod Canonistæ de quatuor Regibus, Hierosolymitano, Francorum, Anglorum, & Siciliæ, tantum ungendis tradunt; inde tamen lux Henrico, Cardinali Hostiensi, in summa tituli de S. Unctione §. 8. *Si quis Rex inungi nova consuetudine velit, usus & mos obtinuit, ut id a Romano Pontifice petat, sicut fecit Rex Aragonum.* Nimirum Pontifex, cujus ille Vicarius & consecrator erat, medio sæculi tertii decimi, illud dogma inprimis propagabat, sedem Romanam fontem esse omnis dignitatis: unius reip. Christianæ se unum esse Principem; quos Reges appellari, quos privatorum numero censeri oporteat, suæ jurisdictioni esse tributum. De vetere Roma Virgilius lib. VI. Æneid. 848. & 852.

Excudent alii spirantia mollius æra:
Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem,
Parcere subjectis, & debellare superbos.

Eadem Innocentii III. philosophia fuit, in *c. venerabilem* 34. *X. de Elect.* ubi de Imperatore ita loquitur: *Sed & Principes recognoscere debent, & utique recognoscunt, sicut iidem in nostra recognovere præsentia, quod jus & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promovendam ad imperium, ad nos spectat; qui eum* inungimus, & *consecramus & coronamus. Est enim regulariter & generaliter observatum, ut ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manus spectat.* Nec alia mens fuit Clementis V. in *clem. un. de jurej.* quam Bonifacius VIII. satis etiam testatus est, in oratione, apud Stephanum Baluzium, in notis ad Petrum de Marca *de concordia sac. & Imp. lib.* 11. *c.* 3. *in f.* At vero Reges, qui sui juris, Dei gratia tales sunt; regni autem pignus & sacramentum, per primum suorum subjectorum, populi vice fungentem, accipiunt, ut ritus inaugurationis augustior fiat, non vero ut Papæ vel consecratori subjiciantur. Hinc Constantinopolitani Imperatores jure ac proprie θεοστρεφεις, *a Deo coronatos* se nominabant, licet a Patriarcha coronam

accepissent. Sic Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia; in Italia Mediolanensis; in Hungaria Strigoniensis; in Bulgaria Trinoviensis, unctionem exercent, salvo suo obsequio, & regis majestate. Nec dignitas illorum inde major fit, quam Regum; quod reges in culmen regium eorum manu sacrantur, ArchiEpiscopi vero a Regibus ungi non possunt, ut inepte Innocentius III. ratiocinatur in *c. un. X. de S. Unct.* Nisi me omnia fallunt, propter hanc rationem, Persis olim in more positum fuit, ut non ministerio sacerdotali, sed Surenæ, cui id juris hereditarii erat, diadema Regi imponeretur, auctore Plutarcho in Crasso. Hispani vero, cum de legitima Regum suorum successione certi sint, superfluum existimant, Reges inungi; & Henricus Auceps, Germaniæ Rex, denique, anguem in herba metuens, unctionem sibi in actu coronationis oblatam recusavit, auctore Ditmaro lib. I. annal. pag. 325. *Episcopalis unctionem benedictionis a Herigero Archiepiscopo exhibitam, antecessorum more priorum, non desideravit, nec suscipere voluit, sed prorsus ad hoc indignum se affirmavit.* Summa is prudentia facilius ostendit esse, excludere periculosa, quam regere; & non admittere, quam admissa moderari: cum enim se in possessione posuerunt, rectore potentiora sunt, nec recidi se, minuive patiuntur.

§. VIII.

Si jus Canonicum sequimur, non modo ungendi sunt Reges, Pontifices & Sacerdotes, sed omnes Christiani, in baptismo; qui tunc per unctionem spiritualem, regni & sacerdotii spiritualis compotes fiunt: genus electum, sacerdotium regale, ut Innocentius III. exponit, in *c. un. X. de sacra unctione.* Jam sæculo secundo exeunte, Tertullianus *c.* VII. de baptismo, *benedictæ unctionis* meminit, qua egressi e lavacro, de pristina, id est Judaica disciplina, fuerint delibuti. In synodo Laodicena, can. 152. Codicis canonum institutum: *Quod oportet eos, qui baptizantur, post baptisma, inungi cœlesti Chrismate, & regni Christi participes esse.*

esse. Unguentum aliud *simplex* oleum olivæ est, ab Episcopo consecratum, quo catechumeni, infirmi & energumeni unguntur; aliud *principale*, per excellentiam *Chrisma* dictum, quod Episcopus, precibus & signo crucis, quotannis ex oleo & balsamo conficit, *&* ad subditos sibi sacerdotes mittit; ut qui baptizantur, in vertice; qui confirmantur, in fronte; denique ordinandi eo inungantur, *can.* 122. *de consecrat. dist.* 4. Jam vero Reges oleo catechumenorum tantum ungendi sunt, ex præscripto canonum: Pontifices principali. Regum unctio in brachio dextro tantum facienda, non in capite. Solius pontificis caput & manus unguntur, imitando Dominum, qui caput Ecclesiæ est, unctus præ consortibus. Unctio Episcopi est sacramentum, quo imprimitur character indelebilis. Principum unctio cærimonia est, qua fiunt augustiores & tutiores ab insidiis nefariorum. *Refert inter Pontificis & Principis unctionem, quia caput Pontificis Chrismate consecratur, brachium vero Principis oleo delinitur, ut ostendatur, quanta sit differentia, inter auctoritatem Pontificis, & Principis auctoritatem*, inquit Innocentius III. *cap. un. X. de sacra unctione.* Verum neutra differentia semper observata est: non prima, quia Carolum Calvum *inunxit Hincmarus Archiepiscopus de* chrismate, *ad dextram auriculam*, *&* *in capite*. est in Capitular. Baluzii *tom.* 11. *pag.* 304. Non altera, quoniam Julianus, Toleti Episcopus, in historia Wambæ Regis: *Curvatis genibus, oleum benedictionis, per sacri Quirici Pontificis manus*, vertici *ejus refunditur*, *& benedictionis copia adhibetur.* Constantinus Manasses & Cedrenus, Carolum, nomine rebusque gestis Magnum, a Leone, Pontifice Romano, oleo unctum, ajunt, a capite ad pedes: χρισας ελαιω απο της κεφαλης εως ποδων. De Regibus Angliæ, Rogerus Hovedenus, in Henrico II. & Matth. Parisiensis *in Hist. Angliæ ad A.* 1166. ex epistola Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi: *Inunguntur Reges, in tribus locis, in capite, in pectore, & brachiis, quod significat gloriam, potentiam, & fortitudinem.* Idem de Impera-

peratoribus Romanis Theophanes in Chronico tradit. Ad illam autem recentiorem Innocentii constitutionem, respexit Hubertus Morus *l.* 3 c. 5. ubi scribit, in Regum Franciæ consecratione singulare esse, quod ipsi in vertice, & cœlesti oleo, Chrismati immixto, liniantur. De Rege Poloniæ, *unctus inter scapulas*, ait Cromerus. Sed constitutio illa unice ad Pontificis unctiones pertinet: actus enim coronationis potentissimi Borussorum Regis, FRIDERICI I. gloriosæ memoriæ; & recentior CAROLI VI. Imperatoris Semper Augusti, loquuntur, utriusque unctionem in vertice aliisque corporis partibus factam esse. Vide Antonii Fabri, sive qui sub eo nomine latet, Christophori Leonardi Leuchtii *Staats-Cantzley tom.* XVIII. *pag.* 615.

§. IX.

Effectus regiæ unctionis, alii sunt ecclesiastici, alii civiles. Ad illos quod attinet, novimus cærimonias Cruci esse affixas, iisque nihil sanctitatis aut prærogativæ cuiquam, in novo Testamento conciliari. Obtinuit tamen, ut Reges, virtute sacræ unctionis, quodammodo consecrati, sancti & venerandi habeantur; ne quis tantum apparatum suscipi putet, sine fructu, qui precibus piis obtineri possit. Ita prolixe Petrus Damiani serm. LXXV. aliique recentiores. At Zosimus Principibus Romanis, Christianis pariter ac gentilibus, simulac summum imperium accepissent, amictum sacerdotalem, ait, oblatum esse, & continuo eos Pontificis Maximi titulum usurpasse, citra unctionem, lib. IV. Hist. c. 36. Apud Græcos vero recentiores, Patriarcha, dum caput Imperatoris ungebat, μεγαλη τη φωνη το Αγιος exclamabat, auctore Cantacuzeno *lib.* I. *Hist. c.* 41. atque Curopalata *c.* 17. §. 18. Το Αγιος ανακραζει, *Sanctus exclamat Patriarcha: declarans quod ab uno sancto sanctus efficitur: & quod Christi sanctificatorum est, ut ex iis quispiam consecretur Imperator,* scribit Symeon Thessalonicensis, in lib. *de sacram.* Atque hinc etiam, Trullanum Synedrium, condito canone 69. Imperatori suo ferme omnia, etiam Episcopalia & sacerdotalia

talia munera tribuit: ut jus Bema, seu locum in Templo, ubi consistebant sacerdotes, ingrediendi, quem nulli Laicorum ingredi fas erat; jus sacram mensam thure vaporandi; trisulco cereo benedictionem Ecclesiæ impertiendi; sacros sermones ad Proceres & populum habendi; etiam ingressum ad altare. Id quod Jacobus Gretserus in notis ad Codini caput 14. ad palpum adulatorium refert, & mordaci aceto perstringit; sed eruditus Goarus, Theodosii & Valentis exemplis, hunc morem defendit: quocum Du Frenius in descriptione S. Sophiæ §. 42. jungi potest, ubi accurate, de Imperatorum sede, intra vel extra Bema, dum sacra peraguntur. Ex eodem fonte manat, quod Imperatores ungendi & uncti, ambas species panis & vini, separatim acceperunt, sacerdotum more, cum plebs tubulo in calicem immisso biberet, vel panem vino intinctum, sacerdotis manu sumeret, ex cochleari, λαβὶς vocato. Docet Cantacuzenus lib. 1. Hist. c. 41. & ex eo Codinus de offic. c. XVII. n. 43. *Imperator, deposita de capite corona, tradit eam Diaconis. At Patriarcha, postquam pretiosum Domini corpus sumsit, tradit quoque Imperatori in manus Dominici corporis particulam, qua sumta, sumit etiam vivificum sanguinem: communicat autem, Patriarcha sanctum calicem tenente, ipse vero os ad calicem applicat, quemadmodum sacerdotes solent.* In Occidente etiam Augustinus Patricius, in libello de Friderici III. Imperatoris in Urbem adventu, tanquam insolitum refert: *Communicavit summus Pontifex altaris sacramentum cum Imperatore, Diacono & subdiacono, de pane tantum. De calice autem, etsi consuetudo est, communicantes cum Pontifice participare; propter insurgentem tamen Hussitarum & Boëmorum damnatam hæresin, quæ calicis potum ad salutem necessarium putat, præter Pontificem, bibit nemo.* Denique ad unctionis effectus sacros est referendum, quod Reges, a collegiis Ecclesiasticis, in primores Canonicos adsciscuntur, licet ἐν τῷ κανόνι non sint, nec vere ordinem sacrum, aut potestatem spiritualem acquirant. Sic auctor Cærimonialis Romani refert

fert, lib. 1. sect. 5. Imperatorem, sumta Romæ corona, cum suis ad Lateranum pergere, ibique *recipi in Canonicum, & in fratrem Ecclesiæ Lateranensis.* Extat diploma Conradi III. apud Wilhelmum Hedam *Hist. Traj. p.* 164. in quo sequentia: *Attendentes etiam nos, & Antecessores nostros, Reges & Imperatores, in dicta Ecclesia a fundatione ejus, inter Canonicos, primum locum obtinere, nostramque præbendam in eadem duos deservire sacerdotes.* &c. Hoc modo Carolus V. Imp. unctionem suscepturus Aquisgrani, Trajectum ad Mosam prius adiit, ibique in majore S. Servatii Ecclesia, almucia & superpellicio indutus, cum ceteris Canonicis, Ecclesiastica munia obivit, ut Joann. Placentinus in *Catal. Episc. Traject.* scribit. Eadem facultate in Ecclesia Aquisgranensi cathedrali gaudet. Jusjurandum, quod ibi præstandum, Joannes Noppius in *Chron. Aquisgran. l.* 1 *c.* 12. descripsit. Alios ejusmodi Canonicos honorarios, qui non ex unctione, aut ex jure patronatus, sed ex privilegio, Canonicorum catalogis sunt adscripti, dedit eruditissimus Frenius *in gloss. voc. Canonici.*

§. X.

De effectibus Unctionis civilibus si quæras, non est dubitandum, quin sacer actus Imperantibus, ex hominum opinione, decus, successum & securitatem largiatur, quodque ad symbola & pignora *auspicii regii* pertineat, quo Tacitus, in summa fortuna plus, ait, agi, quam manibus atque telis. Omnes reges, vel ipso nomine, sunt sancti, primum ut eximie colantur, deinde ne ullatenus violentur. Sed nihil, ad eorum sanctitatem & magnificentiam demonstrandam, priscis videbatur efficacius, quam si *Uncti Domini* essent & appellarentur. Vulgus in titulis stupet, nec parum ad pompam rerum & nominum caligat. Hic vero gratiam & curam Numinis singularem sibi imaginatur: neque ejus judicium, in talibus sperni debet. Velut muro enim perpetuo salus Principum vallatur, si animis civium alte repostum sedet, quod David Sauli, cum poterat, manum non infe-

inferens, dixit: *non extendam manum meam in Dominum meum: nam Unctus Jehovæ est* 1. Sam. XXIV. 11. & XXVI. 9. Huc pertinet, quod interpretes Bibliorum sæpissime vocem Græcam χριστός, significatione magna & gravi, retinuerunt, cum alibi, tum in Psalmis: *Nolite tangere christos meos. Salvavit Dominus christum suum.* Nicephorus etiam Callistus Christi imaginem Regibus ab unctione petit. lib. I. c. 4. *Divino enim spiritu dum Reges ungebant, ii, quibus id negotii datum, Christos per imaginem & faciebant & appellabant. Siquidem & Regibus omnino typi quidam & figuræ inerant veri regni & potestatis, quam Servator noster, Jesus Christus in omnes habet.* Sed major inaugurationis utilitas sese exserit, si in re ancipiti, plures de regno electitio contendunt: tunc enim, ceteris paribus, pro illo erit pronunciandum, qui symbola regni publice accepit. Apud Romanos Fortuna aurea, quæ in cubiculo Principum poni solebat, pignus erat Imperatoriæ majestatis, teste Capitolino in Pio c. XII. In tumultuariis Principum creationibus, de vexillis aut simulacris deorum, purpuram sæpe direptam esse, ut electi, adhibitis insignibus, jure Romano firmati viderentur, magnus Casaubonus docuit ad Capitolini Gord. c. 8. Multos recentiorum persuasio tenuit, Reges per initiationem in jus & possessionem mitti, sicut vasalli de feudis investiuntur. Helmoldus lib. I. Chron. Slavor. c. 32. *Fac nobis reddi coronam, ceteraque ad investituram Imperialem pertinentia.* Apud Germanos, amplam regnandi spem præbebat insignium possessio, auctore Wittechindo *lib.* 1. *pag.* 636. Sigeberto *ad A.* 1002. & Alberto Stadensi Chron. ad A. C. 1126. Adde diligentem & anxiam clenodiorum custodiam, in castello firmissimo, vel templo, apud Abbatem Ursperg. in Chron. *A.* 1224. 1209. 1221. Prorsus ac Ancilia & Palladium, secreta quondam Imperii pignora, rem Romanam conservare videbantur. ARCANA. URBIS. PRÆSIDIA. QUORUM. NUTU. ROMANO. IMPERIO. REGNA. CESSERE, appellantur in marmore apud Gruter. pag. 83.

n.

n. 15. In summa, donec subjecti erunt homines, erunt autem semper, unctio sacra Regibus magis prodesse, quam nocere potest. Antequam autem hoc caput finiam, monebo, quod a magni nominis Philosopho dictum refert Diogenes Laertius lib. 11. n 76. & Seneca de benef. c. 25. *Aristippus, unguento delectatus: Male, inquit, istis effeminatis, qui rem tam bellam infamaverunt*, idem & hic locum habere. Verus enim unctionis usus a simulato discerni debet, & cavendum est probe, ne opinio, de immediata a Deo origine majestatis, per unctionem fulciatur; neve summum imperium per sacerdotes in Principem conferri; aut hunc per consecrationis characterem indelebilem numen & Deum fieri, aut divinitatis participem reddi, cum fæce vulgi credamus. Gabriel Naudæus hæc & similia dominationis arcana pluribus illustravit, *Consid. polit. sur les coups d'Etat cap.* 4. Illud etiam obiter hic addam, promissionem expressam, de regno bene gerendo, quæ ante actum unctionis, præstito jurejurando, fieri solet, non tollere, nec minuere summum imperium, maxime si generalis sit; ob vulgatum axioma: quæ tacite insunt, si expresse adjiciantur, nullum producunt juris effectum. Apud Hebræos populus promittebat, Regis salutem sibi curæ fore: ut Rex populo promitteret, moris non fuit. At Ægyptiorum, Persarum, & Æthiopum Reges, licet cum summo imperio essent, tamen jurabant cum regnum adirent: verum si contra fecissent, vivi non poterant accusari, mortuis solennis sepultura denegabatur, ut Grotius eleganter *ad* 11 *Reg.* XI. ℣. 17. *& lib.* 1. *de J. B. & P. c.* 3. §. 16 Hodie jusjurandum generale inutilis fere cautio est, & Pontifex absolutionem sæpe concedit; si vero specialis promissio fiat, & clausula commissoria vel cassatoria expresse addatur, effectus maximi producuntur. De Polonia confer Hartknoch *l.* 2. *de Polon. c.* 2. §. 24. de Imperatore Romano Germanico Pufendorf. *lib.* VII. *Rer. Brand.* §. 26. 37. 40.

CA-

CAPUT II.

DE

UNCTIONE REMENSI.

§. I. *Rex Galliæ ipso jure succedit in regnum, ut suus heres, nec eget unctione, more majorum vero inauguratur.* II. *Franci sagati Reges primæ stirpis clypeo extollebant; togati hastam eis porrigebant, circulum pro corona.* III. *Clodoveus non aliter ad regnum evectus; in baptismo chrismate unctus. Ampullæ Remensis forma. Pro cælesti ejus origine argumenta enarrantur.* IV. *Eadem refelluntur. Hincmarus & Vertotus notati.* V. *Pipinus primus Regum Francorum bis unguento sacratus, & quas ob causas.* VI. *Regis ungendi jus Remorum Archiepiscopo a quibus datum? cur is Regem eligere dicatur.* VII. *Quidam Franciæ Reges alibi, quam Remis sacrati. Henricus* IV. *unctus ex ampulla Martini.* VIII. *Insignia Regni a Paribus Franciæ Ecclesiasticis & Laicis feruntur. De Liliis Francorum & Auriflamma.* IX. *Cærimoniarum brevis recensio, Regis jusjurandum.* X. *Ejus prærogativæ præ ceteris Regibus foris. Rex Regum dictus, propter unctionem cælestem.* XI. *Eminentia Regis in suo regno, per indicem explicata, effectus unctionis.* XII. *De Regis itinere ad fanum S. Marculphi; ejus virtus sanandi strumosos.* XIII. *De tutela regia, & annis ætatis majoris.*

§. I.

GAlliæ Reges annos regni sui olim numerarunt a tempore inaugurationis, hodie numerant a momento regni delati, id est, quo obiit decessor. Illico in vacuum jus succedunt proximi quique regiæ stirpis, etiam infantes, atque in cunis vagientes, licet suæ tutelæ ante legitimam ætatem non committantur. Quemadmodum sui heredes, jure Romano, quasi domestici & familiares heredes sunt, sic ipso jure, Rex successor statim existit, non Senatus populique decreto. Non ille heres patris est, sed co-

 ronæ:

ronæ : puncto temporis perfectus Rex est : nascitur, non fit, vi & potestate juris Francici, quod Prudentes Galli *jus instantaneum & momentaneum* appellarunt. Notum est proverbium, vulgi sermonibus tritum : *Regem Francorum immortalem esse*. Jam olim Agathias Scholasticus lib. 1. Hist. scripsit, apud Francos regnum a patre semper in filium transiisse, ideoque *Theudibaldum puerum, quamvis sub custode, ad principatum lege patria vocatum*. Et profecto, si apud Gallos privatos valet regula : *Le mort saisit le vif*, quanto magis ea in ipso Rege, ad incommoda interregni vitanda, valere debet. Quum Franciscus Rex A. 1560. nondum finitis comitiis, diem suum obiret, Ordinesque deliberarent, num priora mandata sufficerent, dicebatur : *quod lege regni vivus mortuum excipiat, & regnum continuata possessione, sine interruptione, transmitti videatur*, apud Thuanum *lib.* 27. *Histor.* In tantum vero linealis successio, apud Regii sanguinis Principes attenditur, ut repræsentationi semper locus sit ; adeoque ex propiore linea natus, aliis, quamvis gradu vel ætate prioribus, præferatur, secundum Henrici III. constitutionem, in comitiis Blesensibus latam A. 1576. Vetustius moris hujus Salici testimonium ex Agathiæ lib. 2. laudavit Grotius *lib.* 11. *de J. B. & P. c.* 7. §. 23. atque linealem successionem agnaticam, marium duntaxat ex maribus, *ex nobilissimi regni exemplo, successionem juris Francici* vulgo, ait, appellari. Ex quibus satis apparet, hodierno Regi Galliarum, ut sceptra capesseret, minime necessarias fuisse unctionis ambages, si antiquam ei legem imitari placuisset, ex qua sacer ille ritus ad Hispanos, inde ad Pippinum manavit. Apud Hebræos namque, filii Regum in patribus erant uncti, nec ipsi ungebantur, nisi controversia de Regno esset, aut metueretur. Erit igitur operæ pretium, præter causas generales, superiore capite allatas, alias speciales investigasse, cur mos unctionis, apud gentem, minime superstitiosam, tam religiose custodiatur : & tamen Regi, simulac factus aut natus est, majestas adhæreat, vel ut

O-

Ovidii verba *V. Fastor.* 26. mea faciam, simulac regii parentes

> *Corpora legitimis imposuere thoris,*
> *Jam sata Majestas, Gallos quæ temperat omnes,*
> *Quoque die partu est edita, magna fuit.*

§. II.

Ne temporis series rumpatur, primam causam petemus, ab inveterata consuetudine Regum stirpis Merovingicæ, qui duplici solennitate, militari & civili inaugurabantur. Ritum militarem Franci, cum ceteris Germanis, communem habuerunt, ut armati in campo, & velut in procinctu, Regem scuto impositum sursum elevarent, quo ab omnibus salutaretur. Gregorius Turonensis lib. IV. Hist. c. 46. de Sigeberto: *Collectus est ad eum omnis exercitus, impositumque super clypeo sibi Regem statuunt.* De Gundovaldo, qui Clotharii Regis filium se ferebat, optimus locus est Aimoini lib. III. de Gestis Franc. c. 61. *Evocatum Gundoaldum, more antiquorum Francorum, Regem proclamantes esse suum, elevaverunt eum clypeo. Cumque tertio totum cum eo circumivissent exercitum, clypeus repente ruens cum Rege, vix a terra elevari potuit.* Alter ritus, domi & pacis tempore observatus, in eo consistebat, quod Optimates Francorum ad Regem inaugurandum convocabantur, singuli vero homagium præstabant, ac Regem, solio excelso impositum, tenentem in manu hastam pro sceptro, debito honore prosequebantur, ut Hadrianus Valesius tradit, *lib.* 21. *Rer. Franc. p.* 259. cui addo Auctorem Historiæ, jussu Childebrandi scriptæ; qui, Chilperico Rege mortuo, *Theodericum,* ait, *præsentibus nobilibus regnorum*, Neustriæ scilicet & Burgundiæ, *solenniter in Regem sublimatum esse*, cap. 101. & *sedem regni*, *locum solii regalis* obtinuisse cap. 107. Ad hastam quod attinet, ea jam a vetustissimis temporibus potentiæ, divinitatis & Regiæ potestatis insigne fuit: *Reges hastas pro diademate habebant, quas Græci sceptra dixere. Nam & ab origine rerum, pro Diis immortalibus veteres hastas coluerunt;*

ob cujus religionis memoriam, adhuc Deorum simulacris hasta additur, inquit Justinus lib. 43. c. 3. Idem vero regiæ majestatis symbolum placuit Francis. De Guntramo Rege, Gregorius Turonensis lib. VII. c. 33. *Data in manu Childeberti hasta, ait: Hoc est indicium, quod tibi omne Regnum meum tradidi.* Aimoinus de eodem lib. III. c. 68. *Hastam, quam gerebat nepoti tradidit, inquiens: Hoc amantissime nepos indicio noveris, te mihi successurum in regno.* Coronarum ex auro & gemmis nullus adhuc usus erat, quapropter apud Gregorium Turonensem aliosque altum de iis silentium est. Simplici autem linea margaritarum, aut nuda tænia, caput Regum, in nummis quibusdam, cinctum conspici, locuples auctor est Valesius *lib.* XIX. *ad A.* 636. Ejus quoque stirpis Principes, circulo ex auro, simplicioris coronæ speciès, usurpasse, & cassidi superposuisse, Marcus Welsonius *scient. Heroic. cap.* 37. observavit. In vita S. Conwoionis apud Mabillon. Act. Benedict. tom. VI. pag. 192. *Salomon Rex (Britonum) appellatur, non quod revera esset, sed quia circulo aureo & purpura, concessione Caroli Augusti utebatur, idcirco hoc nomine censebatur.* Corippus de Justino juniore lib. 2.

> * *Armati manibus, sacrati circulus auri*
> *Impositus collo, Imperium sublime dicavit.*

§ III.

Vidimus unam solennis inaugurationis causam; ex moribus populi antiquis petitam: nunc altera, & proprior quidem unctionis succedat, *Oleum cæleste*; quo Galliarum Rex, inter universos terræ Principes, solus ungi fertur, ut locus fere sit, Psalmo XLV. 8. *Unxit te Deus, Deus tuus, Oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.* Neminem fugit, quid rerum Francicarum scriptores, de unguentaria sua Ampulla, fabulentur. Nimirum exeunte sæculo quinto, quum sacerdos ad baptismum Clodovei, chrisma allaturus, a multitudine interciperetur, ut ad Fontem venire nequiret, subito columbam, nive candidiorem, vitreum illud attulisse vasculum,

lum, chrismate sacro repletum, quod in hunc usque diem, Remis, in Campania Gallica, religiosissime servatur. Id equidem ipsi Ampullæ patroni cordatiores diffiteri non audent, Chlodoveum, non regia, sed Baptismi unctione linitum esse; qui ante annos quindecim, a militibus armatis clypeo in Regem fuerat levatus, & inauguratus. Unde *unctionis* tantum *Baptismalis* meminit Gregorius Turonensis *lib.* II. *Hist. cap.* 31. Iidem vero, quum ex eadem laguncula, nihilominus Regi suo omnes dignitatis prærogativas titulosque excellentiores asserant, digna res visa fuit multis, quæ ad veritatis trutinam examinaretur. Pro cœlesti Ampullæ origine, tanquam pro aris, & patriæ suæ focis, pugnarunt Hubertus Morus, facundissimus Remensis Ecclesiastes, in opere *de sacris Unctionibus*; tum Guilielmus Marlotus, Magnus Prior Monasterii S. Nicasii Remensis, in tractatu *de consecratione Regum*, Daniel etiam Priezacus, & Jacobus Alexander Tenneurius *Vindicias* pro simpulo Remensi dederunt; quibus non multum, quod adderet, habuit novissimus Abbas Vertotus, in dissertatione, Gallico sermone, de hoc argumento scripta, quæ reperitur tom. II. *des Memoires de literature pag.* 381. Antequam horum argumenta enarremus, juvabit ipsam Ampullæ formam intueri, ex aurei nummi, in memoriam unctionis Ludovici XIII. cusi, exemplo, quod Chifletius nobis servavit, in disquisitione de Ampulla Remensi pag. 74.



Urgent inprimis S. Remigii testamentum, apud Flodoardum in Historia Remensi l. I. c. 18. editionis Sirmondi:

ex quo appareat, non modo Clodoveum aquis lustralibus tinctum, sed & Regis unctione delibutum fuisse. Verba ejus sunt sequentia: *Quem in Regiæ Majestatis culmen perpetuo duraturum elegi, baptizavi, de sacro fonte suscepi, donoque septiformis Spiritus consignavi, & per ejusdem sancti spiritus sacri chrismatis unctionem ordinavi in Regem.* Deinde Hincmarum, ajunt, Remensem Archiepiscopum, non modo in vita S. Remigii, apud Surium 13. Jan. miraculum hoc, ex vetustioribus Remensis Ecclesiæ Codicibus, in litteras misisse: sed eundem, Metis, publice & velut ex suggestu, in Caroli Calvi inauguratione, adstantibus Franciæ & Lotharingiæ regnorum Primatibus & Episcopis traditionem, a Majoribus diu receptam, ore sacro enunciasse. Nemini autem verisimile videri, primum Galliæ Episcopum, adeo omnem abjecisse pudorem, ut fabulas aniles, aut historiam recens a se confictam, in tam illustri consessu proferre, & cærimoniis sacris, ingesta fabula, illudere voluerit. Verba Capituli ab Hincmaro pronunciati, apud Stephanum Baluzium tomo. II. Capitular. pag. 219. sunt ista: *Domnus Hludovicus pius Imperator Augustus, ex progenie Hludovici, Regis Francorum inclyti, per beati Remigii, Francorum Apostoli, catholicam prædicationem, cum integra gente conversi, & cum tribus Francorum millibus, exceptis parvulis & mulieribus, vigilia sancti Paschæ, in Remensi metropoli baptizati, & cœlitus sumto chrismate, unde adhuc habemus, peruncti & in Regem sacrati.* Addunt Aimoïnum, Hincmari pene æqualem, ac in provincia Senonensi enutritum lib. I. de Gestis Francorum c. 16. *Cum sanctus Pontifex modum divinæ Passionis recitasset, Rex, ait, illi, si ego cum Francis meis ibi affuissem, ejus injurias vindicassem: quod vero grata acceptabilisque Deo prædicti Regis fides fuit, ostensum declaravit miraculum; Nam cum forte, qui chrisma ferebat, interclusus a populo deesset: Ecce subito, non alius sine dubio, quam sanctus apparuit spiritus, in Columbæ visibile figuratus specie, qui rutilanti rostro sanctum deferens Chrisma, inter manus deposuit Sacerdotis, undas Fontis sanctificantis.*

ficantis. Denique, ut ceteros minorum gentium mittam, Nicolaus de Braja in Ludovico VIII. de S. Remigio:

cujus prece rorem
Misit in Ampullam cœlestem Rector Olympi,
Corpus ut hoc lavacro Regis deberet inungi,
Deficeretque liquor, ibi corpore Regis inuncto.

§. IV.

Verumenimvero quemadmodum initia plerorumque regnorum & populorum, poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monimentis traduntur, ita, Livio monente, venia hæc datur antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia rerum augustiora faciat. Trojani Palladium, *signum cœleste Minervæ*, cœlo delapsum fabulati sunt. Virgilius *lapsa Ancilia cœlo*, una cum civibus suis Romanis, veneratur. Constantinus litteras ἐν τέτῳ νίκα, in cœlo legisse fertur, & ipse crucem a se in cœlis visam juravit. Apud Germanos vero Lanceæ ferrum, quo latus Christi transfixum erronee putarunt, tantæ quondam venerationis fuit, ut Innocentius VI. Festum Lanceæ & Clavorum Domini, per totam Germaniam & Bohemiam celebrari præceperit, cum multo Indulgentiarum fumo. Nec ego dubitem, Vasculi Remensis historiam totam, ad eandem commentorum politicorum, aut si mavis, piarum fraudium classem referre, quibus & Principum & Cleri dignitas apud Gallos fuit evecta. Unum, instar omnium, Ampullæ oppugnatorem, nominasse sufficiat, Johannem Jacobum Chiffletium, Virum omni eruditionis genere cultissimum, qui ut variis scriptis Hispanorum prærogativam tuitus est, & *Hispaniissimi* nomen idcirco a Tenneurio tulit, sic contrariam Gallorum primam sedem, fragili Ampullæ innitentem, ut disturbaret, singularem disquisitionem *de Ampulla Remensi* edidit, quæ in omnium manibus versatur. Testes fictionis ipsos advocavit Francos, qui exordia religionis Christianæ in Gallia accurate persecuti sunt, & Clodovei baptismum ad minutias usque descripserunt, de ampul-

pullari autem miraculo ne γρῦ quidem. Hincmarum Remensem, docet, sæculo duntaxat nono jam inclinante, Ampullæ hujus primam fecisse mentionem; nullam eum autem fidem mereri; quia quatuor alios gravissimos errores, in describendo Clodovei Baptismo, commiserit. Verum porro ac legitimum Remigii testamentum profert; nec materiam Ampullæ, nec formam cœlestem esse ostendit; & elegantes deinceps conjecturas addidit, unde pia fabula orta videatur. Haud equidem diffiteor, argumentum a silentio antiquiorum deductum, non semper esse omni exceptione majus; quum novis auctoribus, prisca ex priscis narrantibus, fides etiam sit habenda At vix fieri potuit, ut tam singulare & inauditum cœlo delati Chrismatis miraculum, in conspectu tot Germaniæ, Galliæ & Neustriæ Episcoporum, imo tot millium simul baptizatorum patratum, per omnem Orbem Christianum confestim non innotuerit: nec Anastasius Pontifex, in missa ad Clodoveum epistola gratulatoria, quæ in tomo v apud Dacherium reperitur, neque Avitus Nicetiusque Episcopi, ejus fecerint mentionem. Certe Gregorius Turonensis, primarius Francicæ Historiæ Ecclesiasticæ Historicus, Clodovei filiis regnantibus natus, & miraculorum relatione gaudens; tum Fredegarius Scholasticus, & Auctor gestorum Francorum, ceterique veteres Historici, rem eam indictam non reliquissent. Guilielmus Marlotus, in metropolis Remensis historia tomo I. multus in eo est, his ut dubiis satisfaceret, & causam Ampullæ proculdubio in scripto singulari, supra a nobis laudato, egit disertius: sed non possum non egregium Papebrochii monitum hic commendare tomo v. Actor. Maji pag 20. *Laudandum est enimvero ornandæ patriæ studium, sed nescio an ulli moderandum magis quam Historico, nisi enim id fecerit quanto fuerit eruditior, tanto pronior erit ad patrias traditiones qualescunque animosius fidentiusque propugnandas, nec poterit, quam sint eæ male fundatæ agnoscere.* Nos honorem habemus Hincmaro Archi-Episcopo, quem nobili Francorum prosapia.

pia ortum, inque aulicis regni negotiis, ætate Ludovici & filiorum ejus versatissimum scimus, & agnoscimus moniti ab Hermanno Conringio Exerc. de civ. Imp. §. 30. Eundem tamen, *in gratiam Ecclesiæ suæ, posterorumque Caroli Magni, multas fabulas finxisse*, Hadrianus Valesius in Gestis veterum Francorum observavit lib. VIII. ad A. 555. Ad alia ergo ejus Mythistorica damnanda est origo Ampullæ cœlestis, quam nulli facile persuadebit, nisi qui Tiberii Imperatoris affectum induerit, quem Tranquillus scribit, *maxime curasse notitiam historiæ fabularis, usque ad ineptias & derisum.*

§. V.

Magis hæc apparebunt, si demonstrabimus, Pippinum primum esse Regum Francorum, qui Judaicum ungendi morem, in vicina Hispania a Vesigothis renovatum, semel & iterum secutus est. Primam ejus unctionem regiam, a Bonifacio Archiepiscopo factam, ad A. 750. describunt Annales Eginhardi, Regino, Marianus & Sigebertus, nulla cœlestis olei, aut Ampullæ Remensis facta mentione. Ipse locus, & monasterium S. Medardi, apud Suessionas, in quo is chrismate communi delibutus est, ostendit, nullam tum Remis Ampullam miraculosam fuisse. Annales Laurisheimenses A. 750. *Hoc anno Pippinus Rex Francorum appellatus est, & ad hujus dignitatem honoris unctus sacra unctione, manu sanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiscopi & Martyris, & more Francorum, elevatus in solium Regni, in civitate Suessiona.* Annales Pithœani. A. 752. *Pippinus in civitate Suessionum a sancto Bonifacio, Archi-Episcopo, in Regem unctus, Regni honore sublimatus est.* Nimirum cautus erat Pippinus ex feminina tantum Merovingorum stirpe prognatus, ideoque nihil eorum prætermisit, quibus & apud Eeclesiasticos, & Laicos, regni securitatem sibi compararet. Antequam Childericum, Regem ignavum, cum filio ejus Theoderico (nec enim iste cœlebs, aut sine prole fuit) in S. Bertini monasterium Sithiense detrudi præciperet, anno 750. legationem ad Zachariam Papam direxit; cumque is de tonden-

do Rege annuisset, unanimi Francorum consensu coronam accepisse non fuit contentus, sed unctionis sacræ imaginem ei circumposuit, nec semel, sed elapso triennio iterum a Pontifice Maximo consecratus; neque solus, sed cum uxore & filiis ungi voluit. De secunda unctione, prope Parisios, in fano S. Dionysii facta, Anastasius Bibliothecarius, in vitis Pontificum, ubi de Stephano III. pag. 85. edit. Paris. ita scribit: *Pippinus sanctissimum Papam, cum suis omnibus Parisios, apud venerabile monasterium beati Dionysii, ad habitandum pergere curavit. Quo peracto, & eo in eodem venerabili monasterio, cum jam fato Christianissimo Pippino conjungente, Domino annuente, post aliquantos dies, isdem Christianissimus Rex, ab eodem sanctissimo Papa, Christi gratia, cum duobus filiis suis, Reges uncti sunt Francorum.* Utramque unctionem plenius enarravit Codex cœnobii Dionysii antiquus, cujus integram subscriptionem exhibuit Henschenius in Exegesi præliminari secunda, ad Martii tom. III partem vero Mabillon de Re diplomat. lib II. c. 26. ex qua patet, quod liber ille scriptus sit, Pippini Regis anno sexto decimo, Indictione V. & filiorum ejus, Regum Francorum, Caroli & Carolomanni, *qui per manus, sanctæ recordationis, viri beatissimi, domni Stephani Papæ, una cum prædicto patre, domno viro gloriosissimo, Pippino Rege, sacro chrismate firmati sunt. --- Quum ipse Pippinus, per auctoritatem & imperium sanctæ recordationis, domni Zachariæ Papæ, & unctionem sacri chrismatis, per manus beatorum sacerdotum Galliarum, & electionem omnium Francorum, tribus annis antea, in regni solio sublimatus. Postea per manus ejusdem Stephani Pontificis, die uno, in beatorum Martyrum, Dionysii, Rustici & Eleutherii ecclesia (ubi & venerabilis vir Folradus Archipresbyter & Abbas esse cognoscitur) in Regem & Patricium, una cum prædictis filiis Carolo & Carolomanno, in nomine Sanctæ Trinitatis, unctus & benedictus est. In ipsa namque beatorum Martyrum Ecclesia; uno eodemque die, nobilissimam atque sanctissimam, de sanctis Martyribus devotissime adhærentem,* Ber-

Bertradam, jam dicti florentissimi Regis conjugem, prædictus venerabilis Pontifex, Regalibus indutam cycladibus, gratia septiformis Spiritus benedixit. Pippinus ergo primus fuit, qui, propter rationes politicas, unctionem coronationi adjecit: Alii ex zelo quodam, & superflua pietate erga Romanam Ecclesiam, aut si mavis, Zachariam Papam, id factum ajunt; quod Gerardus du Bois in *Histor. Eccl. Paris. lib.* v. *c.* 1. §. 1. *seq.* negat, & nullum primæ stirpis, regia unctione benedictum fatetur; id quod Tilletus, Haillan, aliique Francorum Historici etiam agnoverunt. At Scipio du Pleix tomo 2. de l'Histoire generale de France pag. 82. hos erroris accusavit, & post eum Vertotus, in dissertatione supra laudata pag. 389. causati, quod, sub initium sæculi duodecimi, Ivo Carnotensis Episcopus, Charibertum Parisiorum, & Guntramnum, Aurelianorum Reges, Clodovei nepotes, & Lotharii filios, quemque in suo regno, sacratos testatur: Verba ejus epist. 189. sunt, quæ sequuntur: *Isti Reges quippe nullam a Remensi Episcopo benedictionem, vel coronam acceperunt, sed a sacerdotibus provinciarum, quas regerent, sublimati sunt & sacrati.* Sed *sacratos* duntaxat, ait, id est, piis precibus ab Episcopis benedictos, & in regni solium constitutos, pariter ac superiore capite §. 6. de Imperatoribus Græcorum diximus; non *consecratos*, non inunctos, ut de secundæ stirpis Regibus statim Ivo addit: *Postquam vero Regnum Gallorum in suam monarchiam revocatum est, deleta progenie Clodovei, Pippinus & filii ejus Carolus & Carlomanus, nec Remis, nec a Remensi Archiepiscopo in Reges sublimati sunt, nec inuncti.* Nullam autem fidem habemus Guillelmo Brittoni, Monacho S. Dionysii, qui sæculo decimo tertio, Hincmarum aliosque, superstitiose secutus, de Clodovei baptismo ita cecinit, lib. 1. Philipp.

At sacer antistes, erecto lumine sursum,
Cum manibus, meruit sacra per supplicamina sacrum
Cœlitus emitti cum sacro vase liquorem,
Ipso Rege palam, cunctisque videntibus ipsum

E cœlo missus, quem detulit Angelus illi,
Quo Rex sacratus fuit idem primus: & omnes
Post ipsum Reges Francorum, ad sceptra vocati,
Quando coronantur, oleo sacrantur eodem.

§. VI.

Cur Remensis Archi-Episcopus unctionis officium sibi vindicet, ex actis antiquissimis, coronationis Philippi, nominis istius primi, liquere videtur, quæ ex archivis Remensis bibliothecæ, in lucem protraxit Joannes Bodinus lib. VI de Republ. c. 5. & de Gervasio, tum temporis, circa A. 1059. Episcopo, ita loquuntur: *Accipiens baculum Sancti Remigii, disseruit quiete & pacifice, quomodo ad eum maxime pertineret* Electio *Regis &* Consecratio, *ex quo sanctus Remigius Hludovicum Regem* (hodie Clodoveum appellamus) *baptizavit & consecravit. Disseruit etiam, quomodo per illum baculum hanc consecrandi potestatem, & totius Galliæ principatum, Ormisdas Papa sancto dederit Remigio, & quomodo Victor Papa sibi & Ecclesiæ concesserit. Tunc, annuente patre ejus Henrico*, elegit *Philippum in Regem. Post eum Legati Romanæ sedis; cum id sine Papæ nutu fieri licitum non esse, dissertum ibi sit.* Auctori narrationis hujus, sive is Gervasius, sive Julianus, Hincmarus prævivit; qui tum in vita S. Remigii c. 19. tum in Opusculo 33. c. 16. & Opusc. 44. c. 11. summa impudentia, aut credulitate, Hormisdæ Papæ Epistolam insuper subnectit, per quam is *Remigio committit vices suas, per omne Regnum, dilecti & spiritualis filii sui Ludovici &c.* At Chifletius, ex temporis ratione, sagaciter jam animadvertit, falsam & commentitiam Hormisdæ Epistolam esse, cumque vices suas Remigio committere non potuisse, quia vivo Clodoveo Pontificatum non inivit. Obiit Clodoveus A. 511. triennio citius, quam Hormisdas A. 514. in locum Symmachi Papa electus est, ut Baronius, Ciaconius, & Papebrochius in conatu chronico, ad catalogum Pontificum pag. 69. testantur. Immo Sirmondus, laudatam Hormisdæ epistolam, quia similis ejusdem Papæ ad Joan-

Joannem Tarraconensem Episcopum extat, tomis Conciliorum intexere recusavit, frustra ringente Marloto, lib. II. Metrop. Rem. c. 9. Verior ergo ratio, quare unctionis munere fungatur Remensis Archi-Episcopus, hæc erit, quia is, tot inter Primates & Metropolitas Regni Francici, inde usque a temporibus Caroli Magni, Primas est Belgicæ secundæ, ex Hadriani I. privilegio, Tilpino Remensi Archi-Episcopo dato, apud Frodoardum lib. II. c. 17. & l. III. c. 10. ubi Hincmarus in epistola ad Leonem IV. Papam: *Remorum*, inquit, *Episcopus Primas inter Primates semper & unus, de primis Galliæ Primatibus, extitit, nec alium se potiorem, præter Apostolicum Præsulem, habuit.* Inde etiam facile intelligemus, quid sit, quod olim Gervasius, Remensis Archiepiscopus, Philippum Regem *elegisse*, dicitur; & cur in recentioribus actis coronationis Henrici IV. & Ludovici XIII. eadem formula reperiatur. Etiam in oratione de consecratione Regis ita habeatur: *super hunc famulum tuum, quem supplici devotione in regnum Francorum pariter* eligimus, *benedictionum tuarum dona multiplica.* Hotmano, Lehmanno, Coccejo, aliisque multis adeo fraudi fuit hæc vox, ut regnum Carolingorum pro electitio habuerint. Conringius, Schilterus & Kulpisius pro mixto certarunt; sed vel unus Gregorius Papa, in homilia decima ad Evangelia, adversus hos sufficit, testatus: *In Persarum Francorumque terra Reges ex genere prodire.* Verissima etiam est annotatio Viri Cl. Stephani Baluzii, in notis ad Capitul. Franc. pag 1082. istum populi consensum, quem duo Episcopi requisiverunt, quive per primum subjectorum fuit explicatus, non esse accipiendum, de vera electione, sed de subjectione, obedientia & fide, quam populus Regi pollicetur. Forsan quoque umbra pristini juris in formula ista latet; secundum quod successio Regum primæ stirpis, aliquatenus a populi potestate pependit. neque enim in monachorum tantum, & rudium ejus ævi scriptorum chronicis, sed in Capitularibus ipsis *populi electio* celebratur, *tom.* 1. *pag.* 573.

Bodini judicium hoc est: *Quod autem Remorum Pontifices sibi tribuerent Regum creationem, perabsurdum est, nisi fortasse,* unctionem sacram *pro* creatione *dici putent. Ac ne id quidem Pontificis Remorum proprium erat, cum Ludovicus Crassus Aureliis a Senonum Pontifice inunctus fuerit*, dict. lib. VI. de Rep. c. 5.

§. VII.

Non me fugit, Ludovicum Crassum Aureliis, Ludovicum Transmarinum Lauduni inunctos fuisse; Nec enim Remis inungi, ita necessarium & immutabile fuit, ut Ferias Latinas, non nisi in monte Albano, nec sacra Judæorum nisi Hierosolymis celebrare, fas erat. Aurelianis tamen sacris intercessit Remorum Archi-Episcopus, asserens Regiæ unctionis jus ad Remigii successores pertinere, bullatis Victoris II. Regumque Galliæ tabulis firmatum. Proinde Principali diplomate, ne illud fraudi Remensibus foret, tunc exceptum fuit. Alter autem Ludovicus, non ab Ansegiso Senonensi, ut plerique scribunt, sed ab Artaldo, Remensium Archi-Episcopo, Lauduni consecratus est, auctore Frodoardo, teste æquali & oculato *tom. 2. fol. 99.* qui etiam rationes inaugurationis, extra Remos factæ, reddit. Pippinum apud Suessionas unctum esse, supra diximus. Eo mortuo, Carolus Noviomi, Carolomannus apud Suessionas Ludovicus ignavus ultimus Carolidum, vivente patre Lothario, Compendii est coronatus, ut Mabillon. *supplem. de re diplom. c.* 10. ostendit. Quinimo Ivo Carnotensis Epistola 70. pluribus exemplis, Remensibus dubiam fecit hanc prærogativam, alibi tamen fatetur: *Sanctam Remorum sedem diadema Regis habere, & omnibus pene Gallicanis Ecclesiis exemplum ruinæ, vel resurrectionis existere, epist.* 116. Proinde si nullum aderat impedimentum, illustrius visum fuit, ævo posteriore, consuetudinem gentium sequi, & a Provinciæ suæ Primate inungi: sicut Reges Bohemiæ a Pragensi; Poloniæ a Gnesnensi; Hispaniæ a Toletano, Sueciæ ab Upsalensi Archi-Episcopo coronantur. Maxime, quia Remorum

op-

oppidani, sumtibus suggerendis obstricti fuerunt; quemadmodum ex Antiquo Aresto Curiæ Francicæ, & Senatus consultis, Renatus Choppinus *lib. III. de domanio Franciæ tit.* 8. observavit. Hic ergo, post natam & firmatam de cœlesti oleo fabulam, Virgilii verbis lib. VII. Æneid. 173. quibus ad Capitolium alludit, dicere liceat:

Hic sceptra accipere, & primos attollere fasces,
Regibus omen erat: hoc illis curia templum.

Illud singulare est, quod Henricus IV. non oleo sacro Remensi, sed ex Ampulla Martini, Carnuti unctus fuit, A. 1594. Quum enim, propter vim hostium, nec Remis coronari, nec sacra Ampulla potiri posset, S. Martini ampulla, longa oblivione sepulta, ex monasterio Marmonsteriensi petebatur, cujus oleum haud minorem ei sanctitatem, quam ceteris Remense, conciliavit Fabulantur autem Martinum, secundum Francorum Apostolum, quum per confragosos scalæ gradus decidens, multis vulneribus esset saucius, ab Angelo perunctum statim convaluisse, quodque olei reliquum erat, in hanc Ampullam condidisse. Ita Sulpitius Severus, Fortunatus & Paulinus, in vita S. Martini, quorum verba attulit Theodorus Gothofredus, in append. Cærimonialis Francici pag. 705. In hujus autem unctionis memoriam, januæ, qua clauditur Ampullæ repositorium, in Choro Ecclesiæ Marmonsteriensis, hi versus inscripti leguntur:

Angelus Ampulla Martini saucia membra
Unxit: id Henricus maximus omen habet.

Quamvis ergo Archiepiscopo Remensi jus ungendi competat, ex his tamen liquere arbitror, pro Regum arbitrio, rebus ita suadentibus, alibi & ab alio consecrationem celebratam fuisse. Pariter ac Imperator Romano Germanicus ex præscripto Aureæ Bullæ tit. 28. §. 5. coronari debet Aquisgrani, ubi sedes & Thronus Regalis antiquus: & tamen multi Imperatores Moguntiæ, Francofurti & Ratisbonæ inaugurati fuerunt, quos Cl. Struvius collegit *syntagm. jur. publ. c. VII.* §. 24. In Anglia Guillelmus I. Conquæstor

stor ab Ealdero, Archi-Episcopo Eboracensi apud Westmonasterium unctus est; quia Stigandus Cantuariensis multorum criminum tunc temporis arguebatur, auctore Eadmero *Histor. Novorum lib.* 1. Summa denique providentia lib. 2. legum Suecicarum c. 7. cautum est: *quamvis Rex Upsaliæ soleat coronari, alibi tamen, si necessitas urgeat, posse.*

§. VIII.

Sed quia præcipuum munus Parium Franciæ in eo versatur, ut sacræ Regis inaugurationi intersint, suoque officio fungantur, haud intempestivum foret, de eorum origine, nomine, & numero pauca quædam adjicere, nisi Budæus, Fauchetus, Tilletius, Favinus, Pithœus, Duchenius, aliique multi de iis copiose scripsissent. Robertus Guaguinus & Paulus Æmilius a Pippino vel Carolo M. eos institutos ajunt; sed ὑπερβολικῶς. Nullus enim illius ævi eorum meminit, verum sub Capetianis demum Regibus, & primi quidem numero indefinito lecti fuerunt. Ludovicus Sanctus duodecim esse voluit, sex Ecclesiasticos, totidemque Laicos; pari Ducum & Comitum numero in utraque classe constituto. Matthæus Parisiensis ad A. 1257. duodecemvirorum illorum. catalogum, sed ordine præpostero, memoravit. Omnes autem, ratione hominii ac tenuræ, sibi pares erant & æquales; unde a paritate conditionis, non a Patriciatus dignitate, eos nomen tulisse Cangius in Gloss. v. *Par* cum Hotmano in Franco-Gallia *c* 17. recte contendit. Vetusti Ecclesiastici fuerunt, Remensis Archi-Episcopus & Dux; Laudunensis Episcopus & Dux; Lingonensis Episcopus & Dux; Bellovacensis, Cathalaunensis & Noviomensis Episcopi ac Comites. Laici Pares, Burgundiæ, Normaniæ & Aquitaniæ Duces tres; ternique Flandriæ, Tholosæ & Campaniæ Comites. Hos inter cum in Sacris Remensibus, de prærogativa honoris contentio esset enata, ordo sessionis ex die instituti seu erecti cujusque Patriciatus constitutus est; qua de re singulari capite Rupanus *lib.* 7. *des Parlements c.* 10. Cur vero

vero Remensis Archi-Episcopus omnium Parium sit primus, Marlot. *lib. III. Metropol. Rem. hist. c.* 25. excussit. Ex ritu majorum Regale paludamentum Bellovacorum Episcopus præferebat; Noviodunensis cingulum; annulum Cathalaunensis; Laudunensis simpulum Rhemense; Lingonensis sceptrum. At Laicorum Decanus, Burgundus Augustum diadema gestabat; Normanus vexillum; Aquitanus alterum vexillum quadratum; Tholosas calcaria; Flander ensem; Campanus signum militare, ut Renatus Choppinus de domanio Franciæ *lib. III. tit.* 8. & plenius Marlotus *lib. IV. metrop. c.* 18. docuerunt. In hac autem Ludovici XV. inauguratione, Princeps de Turenne, Camerarius Regis supremus, ocreas holosericas, violaceo colore nitentes; Dux Aurelianensis, Burgundi locum tenens, calcaria aurea aptavit. Marechalli d'Estrées, de Tessé, & d'Huxelles Coronam Caroli M. Sceptrum & Manum justitiæ portarunt. Marechallus & Dux de Villars, quia Connestablii, id est Comitis stabuli, seu Magistri Equitum officio functus, gladium Caroli Magni tenuit, in coronatione & festo regali. Dux Aurelianensis Burgundum repræsentavit, Dux Carnutensis Normanum, Dux Borbonius Aquitanum. Comes Carolesinus Tholosani Vicarium egit, Flandri Clermontanus, Princeps Contyacensis Campani. Illi Ducum, hi Comitum coronis redimiti, una cum Paribus Ecclesiasticis mitratis, Regiæ coronæ manus admoverunt, dum consecrator Archi-Episcopus solennem formulam *Coronet te Deus corona gloriæ* &c. pronunciavit. Liliorum sculptorum acuque pictorum in corona, veste, aliisque plena audivimus omnia; quia scutum liliatum, cum Auriflammia & Vasculo Remensi, vulgo inter tria regni pignora, cœlo demissa, refertur. Sed in sigillis Regum Francorum nulla unquam lilia, ante Philippum, conspiciuntur; & adhuc sub judice lis est, quænam vetustioribus temporibus Regni symbola fuerint; num tres bufones; an tres Lunulæ crescentis facies; an totidem irides; an vero diademata; quæ Cujacii

opinio fuit ad lib. XV. Responſ. Papiniani, ad l. 13. ad L. Corn. de Falſis : *Domus Franciæ mutavit ſæpius digmata. Primum enim habuit tres coronas, non bufones : deinde lilia innumera, & poſtremo, ex conſtitutione Caroli VI. lilia tantum tria.* Johannes Jacobus Chifletius in Anaſtaſi Childerici c. 12 apes aureas Childerici in lilia poſt mutatas eſſe contendit; ejus filius Petrus Franciſcus horum originem, a trifido Dagoberti ſceptro, arceſſit, in diſſertatione quam Bedæ & Fredegarii Concordiæ ſubjunxit. Sed omnia rerum initia tenebras habent, & bene Symmachus lib. IX. ep. 99. *Quod ſola conjectura nititur, neque ex hiſtoria conſtat, non valet ad perſuadendum.* Johannes autem Ferrandus in *Epinic. pro liliis*, ad anilem fabulam, a prudentioribus Gallis diu rejectam, velut ad ſacram anchoram, iterum confugit, cujus vel imam plebis fæcem, maxime vero hominem ſapientiam profeſſum, pudere debebat, judicio Davidis Blondelli *Geneal. Franc. tom.* 1. 45. Non minus commentitium eſt, Auriflammam Clodoveo Regi e cœlo miſſam fuiſſe. Erat enim vexillum S. Dionyſii, Francorum tutelaris, ignei ſplendoris, e panno rubro ſerico, auratæ haſtæ appenſo. Cœnobitæ pacis tempore hoc in æde Martyris aſſervabant, ad ſtatas ſolennesque pro Regis & regni felicitate ſupplicationes obeundas: belli autem neceſſitate ingruente, Advocato ſuo porrigebant, qui illud, tanquam Eccleſiæ ſignifer, in præliis circumferret. Robertus, Hugonis Capeti Filius, primum in bellis Auriflamma uſus eſt, atque hujus ſuperſtitionis imitatores habuit varios; donec Philippus Pulcher in Pabulano prælio ejus jacturam fecit, ſi Jacobo Meyero fides in Annal. Flandr. lib X. Plene Chifletius in Lumin. Sal. IV. fac. 2. de Flammulo hoc, ſed latiſſime Cangius Diſſertat. 18. ad Joinvillam, & Auguſtinus Gallandus, Pariſienſis quondam Advocatus, in tractatu ſingulari de Auriflamma.

§. IX.

Cærimonias unctionis & coronationis prolixe enarravit Nico-

Nicolaus Thuanus, Episcopus Carnutensis, in descriptione coronationis Henrici IV. quam Theodorus Gothofredus in libro *le Ceremonial de France pag.* 601. cum aliis id genus edidit. Easdem exhibet Rituale, seu Ordo ad consecrandum & coronandum Regem Franciæ, editum a Laurentio Bochello, JCto Gallico, in *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 5. *tit.* 2. & emendatius a Johanne Seldeno *de tit. hon. p.* 1. *c* 8. *pag.* 236. Formulas breviores, quibus Karolus Calvus Metis, & filius ejus Ludovicus, in Compendio palatio, consecrati sunt, Stephanus Baluzius capitularibus Regum Francorum inseruit *tom.* 2. *pag.* 302. Juvabit ex his discrimina quædam unctionis priscæ & hodiernæ investigasse. Et primum quidem ex illis discimus, olim benedictiones a diversis Episcopis pronunciatas esse, quas nunc unus Archi-Episcopus Remensis pronuntiavit. Deinde Hincmarus Archi-Episcopus Karolum Calvum, ad ista verba *Coronet te Dominus*, inunxisse dicitur, *de chrismate ad dextram auriculam, usque ad sinistram auriculam, & in capite:* Hodiernus vero Rex unctus est chrismate cœlesti, acu aurea ex Ampulla desumto, & sacro chrismati immixto, novies: primum in vertice, deinde in pectore, tertio inter scapulas, tum in scapulis ipsis, postea in utriusque brachii internodiis, ac postremo in palma dextræ & sinistræ. Deinceps in laudatis Capp. *palma* & *sceptrum* Karolo Calvo oblata traduntur. Noster autem Ludovicus non palmæ ramum, sed palmam manum accepit, id est scipionem inauratum, mensura unius cubiti, cui eburnea expansæ manus effigies, in summo infixa est. Moris ejus initia forsan ab Hugonis Capeti temporibus repeti debent; qui in summo sceptri vertice gestavit manum, ut ex sigillo ejus apparet; Rotbertus florem lilii adjecit. Eorum successores dextra baculum, sinistra Manum justitiæ præferunt in sigillis: Carolus VI. primus sceptrum cum manu introduxit. Vid. Mabillon *lib. II. de re dipl. c.* 17. *Justitiæ* igitur *manum* hodie vocari, palmæ virgam, quæ olim in *victoriæ* apprecationem porrigebatur, Ja-

 co-

cobus Sirmondus in notis *ad dict. capit. pag.* 816. & Frenius in voce *palma* voluerunt. *Gladio* prætérea accinctus est Rex, ab Archi-Episcopo, quem mox erectum & nudum tenuit; quia ensis proprium symbolum est regni collati, auctore Ottone Frisingensi de Reb. gest. Fred. c. 5. & Gunthero lib. 1. Ligur. ℣. 551.

Hic autem gladio regnum suscepit ab ipso;
(Hunc etenim longo servatum tempore morem
Curia nostra tenet) posito diademate Petrus.
Regali dextra tulit alti Principis ensem,
Præcessitque sacram brevius diadema coronam.

Porro dextræ Regiæ digitum minimo proximum *annulo* Archi Episcopus exornavit, in symbolum regni desponsati: quemadmodum Episcopi cum annulo & baculo investiebantur. *Galliæ Britanniæque in medio* digito annulis *dicuntur usæ: hic nunc solus excipitur*, ait Plinius lib. XXXIII. Hist. nat. c. 1. De annulis signatoriis Regum Francorum multa Chifletius pater congessit, in Anastasi; & filius in Historia Tornutiensi. *Hastam* propriùm olim insigne regium fuisse, supra vidimus; per quam de manu in manum regni traditio fiebat: sed ea mature, saltem Caroli M. ævo, in sceptrum fuit conversa; nam Johannes Papa VIII. inter alia, sceptrum & baculum aureum ei transmisit; ut est in Annalib. Bertin. *tom.* 3. *Chen. pag.* 244. Ipse *Sceptrum nostrum, quod pro significatione regiminis nostri, aureum ferre solemus*, ajebat apud Monachum Sangallensem *lib. I. de gestis Caroli cap.* 19. Pro circulis capita Carolidarum aureæ *coronæ*, vel serta gemmea, exemplo Imperatorum, vel laurea diademata ornabant; at Capitianorum coronas in lilia oblonga desinere, Mabillon probat *lib.* 2. *de Re diplom. c.* 17. §. 1. *&* 2. Franciscus I. clausam sibi primus arrogavit coronam, num æmulatione Caroli V. an imitatione Regum Angliæ, an vero ut a Ducibus & Comitibus distingueretur, qui coronati in nummis illius ævi, disquirit eruditus Frene diss. 24. ad Joinvillam pag. 299. Denique sicut populus Franco-

co-

corum olim interrogatus, an hunc Regem regnare velit? uno ore proclamabat *laudamus*, *volumus*, *fiat*: & obsequium deinde sacramento fidelitatis promittebat; ita vicissim Reges, quia non suam modo, sed & populi utilitatem primario curare debent, cum regnum inibant, profitebantur, se unumquemque pro suo gradu, suaque dignitate, ac persona, quantum possint, honoraturos, defensuros, ac suum cuique jus servaturos, ut ex Gregorio Turonensi discimus *lib. IX. hist. c.* 30. & pactio Confluentana declarat apud Baluzium *tom.* 2. *capit. pag.* 141. & acta Remensis bibliothecæ antiquissima illustrant apud Bodinum *lib. VI. de Republ. c.* 5. Formula jurisjurandi ab Henrico IV. præstiti apud Theodorum Godofredum pag. 629. talis refertur: *Hæc populo Christiano & mibi subdito, in Christi promitto nomine. Inprimis, ut Ecclesiæ Dei omnis populus Christianus veram pacem nostro arbitrio in omni tempore servet.* Item, *ut omnes rapacitates, & omnes iniquitates omnibus gradibus interdicam.* Item, *ut in omnibus judiciis æquitatem & misericordiam præcipiam, ut mihi & vobis indulgeat suam misericordiam clemens & misericors Deus.* Item, *de terra mea ac jurisdictione mibi subdita, universos hæreticos, ab Ecclesia denotatos, pro viribus bona fide exterminare studebo. Hæc omnia supradicta firmo juramento. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.* Quam vetustum institutum sit, inde ab Hincmari usque temporibus, ut Reges Gallorum in coronatione sua Episcopis polliceantur tuitionem jurium Ecclesiæ, quodque ejus formula non sacramentum, sed *perdonatio* dicta fuerit, Illustrissimus Vir, Petrus de Marca docuit de concordia Sacerdotii & Imperii *lib. IV. c.* 9. §. 6. Atque hæc quidem, missis minutioribus, de vestitu albo, chirothecis, throno, emissione avium, nummis missilibus, instructione convivii, aliisque conciliandæ venerationi paratis, tangere volui; quo acta novissimæ inaugurationis aliqualem lucem ex iis mutuarentur. In iis enim Ludovicus XV. tecto capite & sedens fertur, tutelam Ecclesiis omnibus regni promisisse.

Deinde Laodunensis & Belluacensis Pontifices, paululum e solio sedentem erexerunt, & conversi ad populum regalemque comitatum omnium assensum, dicis causa rogarunt: postremo quatuor a Rege sacramenta præstita: regni, Ordinis Spiritus S. Ordinis S. Ludovici, & de servando Edicto adversus duella. Henrici IV. & Ludovici XIII., edicta vide apud Thuanum *l.* 129. ejusque continuat. *l.* 2. *&* 6. De fatis prohibitæ monomachiæ apud Gallos Bodinus *lib. IV. de Rep. c.* 7. adeundus est.

§. X.

Effectus unctionis regiæ communes, cum ecclesiasticos, tum civiles supra vidimus; sed quia Reges Galliæ singulari privilegio fulgent, quod oleo cœlitus misso inungi creduntur; hinc dona Spiritus Sancti ipsis uberius vulgo infundi ajunt, eosque, velut Reges Regum terrestrium, & Christianissimos, omnibus unctis præferendos esse. Gallorum ita ratiocinantium magna est nubes, nec opus est, eorum verba referamus; quia ubivis sunt obvia, & nimia præ affectu in suum Regem. Ipse nummus, in memoriam novissimæ unctionis cusus, atque a fecialibus in populum sparsus, abunde id testatur. In ejus altera parte, circum Regis effigiem, verba hæc sculpta leguntur: LUD. XV. REX CHRISTIANISSIMUS: in adversa: REX COELESTI OLEO UNCTUS. *Remis* 25. *Octob.* 1722. Alios ergo, & exteros maxime scriptores audiamus. Apud Græcos posteriores, tantæ dignationis visus fuit Rex Francorum, ut Βασιλεὺς Βασιλέων vocaretur, apud Annam Comnenam *lib. X. Alexiad. pag.* 288. solusque inter Principes Europæanos Ῥήξ per excellentiam indigitaretur, Suida auctore. Caussam aperit Matthæus Parisiensis, Monachus Albanensis, in Anglica historia ad A. 1254. *Dominus Rex Francorum*, inquit, *qui terrestrium Rex Regum est, tum propter ejus cœlestem inunctionem, cum propter sui potentiam, & militiæ eminentiam, in medio sedebat.* Idem ad A. 1257. *Archi-Episcopus Remensis, qui Regem Francorum cœlesti consecrat chrismate*

(qua-

(quapropter Rex Francorum Regum censetur dignissimus) est omnium Franciæ Parium primus, & excellentissimus. In Charta Amadei Comitis Sabaudiæ, apud Samuelem Guichenonium: *Le Roi de France, qui est le plus grand & le plus noble Roy des Chrestiens.* Michael etiam Surianus, Venetorum in Francia legatus, in relatione Francica A. 1562. per Auberium edita, rationes redditurus, cur Legatus Francicus, in Reipublicæ suæ aula, præcederet Hispanum, ad *sacram Ampullam* provocat, *quæ miraculosa ab omnibus censetur, cujus liquore Reges omnes successive inunguntur.* Huic rei argumento etiam sunt illustria Paparum de Francico regno judicia, quodque Baldus scripsit, Regem Francorum supra omnes Reges esse, ad *cap.* 1. §. *ult. de probib. feud. alien.* Ex eodem simpulo Remensi *Christianissimi* titulus repetitur a plerisque. Instar omnium sit Chassanæus in catalogo gloriæ mundi consid. 31. *Rex Franciæ*, inquit, *cum sit Christus, scilicet oleo sacro divinitus emisso unctus & sacratus, omnibus celsior est atque major, ex quo vocatur Christianissimus.* Verum enimvero licet religionis Christianæ apud Francos susceptæ antiquitas, & præclara in Ecclesiam sedemque Romanam merita, priscis Gallorum Regibus, in Conciliis, ad rem Christianam pertinentibus, prærogativam aliquam præ Hispanis, conciliare potuerint, more dudum recepto, ordinem servandum esse Nationum, ut quæque verbum Dei prius suscepit, qui Æneæ Sylvio placuit *lib.* 2. *de Gest. Concil. Basil.* Grotio *epist.* 722. & Pufendorfio *lib.* 8. *de Jure nat. c.* 4. §. 22. Quamvis dico, antiquus etiam titulorum ecclesiasticorum sit splendor, & Carolus Martellus, Pippini pater, *Christianissimus* a Gregorio III. epist. 5. vocetur; Pippini *Christianissimam excellentiam* laudet Stephanus III. ep. 6. & Carolus M. *Christianissimus* dicatur in Hadriani epist. 55. Nondum tamen id elogium hereditarium fuit Carolinis, qui *gloriosi, excellentissimi, præcellentissimi, illustres* passim in litteris Pontificum appellantur. Pius II. in epist. 385. ad Carolum VII. Regem *Christianissimi nomen illi hereditarium esse* scri-

psit:

psit: Paulus II. demum Ludovico XI. ejusque successoribus, singulari & perpetua prærogativa, illud asseruit. Vide Mabillon *lib. II. de re diplom. c.* 2. § 7. *& pag.* 384. Minus profecto prudenter decora illa, titulique excellentiores sæculo decimo tertio, ex fictitia ampulla incrustari cœpere, de cujus fide ipsi cordatiores Galli ambigunt, velut Thuanus *lib.* 109. Scipio du Pleixius, Claudius Fauchetus, Dionysius Petavius aliique: & Clodoveus denique vago tantum, ac omnibus Principibus orthodoxis communi titulo, *Catholicæ ecclesiæ filius*, a Patribus Concilii Aurelianensis primi appellatur. Recte Jacobus Gothofredus de jure præcedentiæ, *p.* 1. *c.* 3. §. 25. rituum solennia, pictoriis & tectoriis similia, utpote arbitraria, sæpe etiam commentitia, inter præcedentiæ titulos non valide numerari ait, addens. *Hoc in censu, quoque colloco διόπετη illa, quæ cœlitus delapsa memorant, Oleum, Flammulam, Lilia. Hoc etiam numero Unctionis regiæ prærogativam & ritum pono----quum sane Rex Franciæ certiores alios & indubitatos habeat præcedentiæ suæ titulos.* Jacobi quoque frater, Theodorus Gothofredus, in toto libro de præcedentia Regum Francorum, cœlestem unctionem non tantum silentio prætermisit, sed verba quoque auctorum, qui ab illa primarium argumentum prærogativæ Francorum hauserunt, data opera suppressit, id quod Joh. Jacobus Chifletius, in præfatione libri de ampulla Remensi, adversus Gallos urget vehementer.

§. XI.

His expositis, sequitur magnitudinem civilis potestatis, venerationem & eminentiam videamus, quam Rex felicitate, ad invidiam usque singulari, apud subjectos suos tenet, tanquam effectum sacræ & miraculosæ illius unctionis. Enimvero non multa sæcula effluxerunt, quum Galliæ status in plerisque Germaniæ similis, Regumque auctoritas pene precaria esset. At postquam Ducatus & Comitatus in Regum potestatem devenere, simulque pulsis Anglis, & emortua domo Burgundica, factiones cessarunt, Ludovicus XI. omnia

omnia suo arbitrio agere cœpit. Verum Borboniæ gentis Reges, e malis civilibus eluctati, opibus aucti & potentia formidandi absolutum imperium ita firmarunt, ut noto Maronis dicto locus esse possit IV. Georg. 210.

- - Regem non sic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Observant.

Caussas ejus rei varias adferunt, sed quas inter non postrema est, sanctitas regii nominis, indies magis magisque per Clerum & Aulicos inculcata; unde vulgi enata persuasio, divinum quendam vigorem Regibus suis, per oleum cœleste infusum esse. Ne res aperta testium multitudine obscuretur, satis erit recitasse unius Huberti Mori verba, ex libro ejus III. de sacris unctionibus c. 9. *Quod, præter ceteros populos, Reges suos Gens Francorum semper sit venerata, illisque pene serviliter hactenus sit obsecuta, nihil aliud nos, vel majores nostros impulit, nisi quod per cœlestem unctionem, qua soli ex omnibus Regibus perunguntur, credimus, præter ceteros mundi Principes, a Deo, ad nominis sui gloriam, & Ecclesiæ suæ subsidium specialiter electos, christosque Domini veraciter effectos, quibus non simpliciter, ut Regibus, sed ut sacris Deoque dicatis personis, quidvis obsequii, honoris & reverentiæ exhibere debeamus.* Hac igitur ratione, postquam via semel patefacta, quicquid ubivis illustre vel magnificum fuit, in summam Majestatem translatum est, fecitque unguenti sacri delibutio, ut quibus ea obvenit, sacrosancti in terris habeantur. Reges, ut Patroni Ecclesiarum, jus supremum circa sacra, & ordinationes Episcoporum sibi vindicant, restricta, immo exclusa Papali auctoritate. Ex quo enim crudelissimum illud Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri dissidium, in regni perniciem exortum est, Libertatibus suis tam strenue pugnarunt Galli, ut parum Romano Pontifici reliquum fuerit, omni potestate in clerum, cærimonias & religionem Principi suo asserta. Vid. Petrus de Marca de *concord. sacerd. & imp. lib. II. c.* 3. Plane sanctius aliquid

in his, quam in ceteris Regibus unctis inesse existimari, Eucharistia demonstrat, quæ sub utraque panis & vini specie Regi præbetur; id quod ex Pontificis summi lege sacerdotibus tantum competit, Vide P. Suavem *Hist. Conc. Trid. l. VI.* Sleidanum *comment. lib. IX.* & Cormer. *rer. gestar. Henr. II. lib. I. pag.* 19. Hoc etiam juris sibi reservarunt pii Reges Franciæ in quibusdam Ecclesiis, quod catalogis Canonicorum, honoris caussa, vel in tesseram juris patronatus, adscribuntur; & si quando istuc profecti, Regiis insignibus depositis & superpellicium induti, munere Ecclesiastico funguntur; sacerdotalem quasi dignitatem cum Regia Majestate conjungentes. Sic Canonici sunt Ecclesiæ S. Hilarii Pictavensis, & S. Joannis Lugdunensis: etiam in Ecclesiis Andegavensi, Cenomanensi, S Martini Turonensi, aliisque habent præbendam, ut præter Joannem Feraldum *de jur. & priv. Regni Franc. c.* 7. refert Choppinus *de sacra Politia lib. I. tit.* 4. *n.* 24. Infinitum foret omnia honoris, eminentiæ & potestatis emblemata, in Ecclesiasticis & secularibus referre, quibus Rex in regno suo gaudet. Huc enim pertinet, quod nulli homagium aut fidelitatem jurat, licet forte ex successione, emtione aliove titulo feudum acquirat, ut Baluzius ostendit, in notis ad Petri de Marca *lib. II. c.* 3. Nunquam præterea funeri intersunt, auctore Thuano, *lib.* 79. *Histor.* quod ipsum de Regibus Hebræorum Grotius observavit *ad* 2 *Sam. III. ℣.* 31.

§. XII.

Priusquam ab effectibus unctionis cœlestis discedamus, quædam de Regum virtute sanandi strumosos dicenda sunt, sed per indicem tantum; quia Andreas Laurentius, singulari libello *de mirabili strumas sanandi vi, solis Galliæ Regibus divinitus concessa*, rem omnem, sed multa cum adulatione superstitioni mixta, persecutus est. Priscis Regibus mos fuit, die quæ coronationem sequitur, solenni peregrinatione Corbiniacum, quod in pago Laudunensi situm est, proficisci; ubi in Ecclesia S. Petri sacræ Marculfi reliquiæ ser-

van-

vantur, quem gratiæ illius curandi ſtrumas ſequeſtrum ſemper habuerunt, ac velut præſidem ſuſpexerunt. Conſuetudinem hanc a S. Ludovico ad Ludovicum Juſtum continua fere ſerie oſtendit Oudardus, ejus loci Prior, in apologia pro Corbiniacenſibus. Res geſtas vero & miracula Sancti Marculfi, eruditiſſimus Mabillon recenſuit, in Actis SS. ord. Benedictini; ubi & ritum quo Francorum Reges, ſæculo XV. ad ejuſmodi curationes ſe accinxerint, ex Stephani de Contio libello manuſcripto, *ſæc. IV. parte 2. pag.* 516. memoravit. Verba Stephani ſunt ſequentia: *Poſtquam Rex audivit Miſſam, affertur ante eum vas aquæ plenum. Statim tunc facit orationem ſuam ante altare: & poſtea manu dextra tangit infirmitatem, & lavat in dicta aqua. Infirmi vero accipientes de dicta aqua, & potantes per novem dies jejuni cum devotione, ſine alia medicina omnino ſanantur. Et eſt rei veritas, quod innumerabiles ſic de dicta infirmitate fuerunt ſanati, per plures Reges Franciæ.* Hodiernus vero Ludovicus XV hujus rei cauſa Corbiniacum non adiit, ſed pariter ac Ludovicus XIV. Remis, in templo Remigii, quorſum Marculfi corpus Corbiniaco tranſlatum erat, ſacras reliquias veneratus eſt a. d. 29. Octobris, Miſſamque per novenos dies continuatam ibi audivit. Dein poſt communionem ſacram, non lotione, ſed ſolo dextræ contactu, pronunciatis ſolennibus verbis: *Dieu te gueriſſe, le Roy te touche*, ultra duo millia ægrotorum tetigit. Morbus ille Græcis χοιράς; Latinis gulæ tumor, ſtruma ſive ſcrophum; Gallis *Eſcrouelles*, & *le mal du Roy* vocatur. Hiſpanos, præ ceteris nationibus, eo laborare, ajunt, quia crudis & ſtagnantibus aquis utuntur. Unde autem poteſtas medicatrix Regibus obvenerit, & an eorum contactu vere ſanentur ſtrumoſi, varia ſunt hominum judicia. Doctiſſimus Maſſonus precibus Marculfi gratiam illam acceptam fert: *nam illius infirmitatis ſanandæ (quam regium morbum vocant) tanta ei gratia cœleſti dono acceſſit, ut non minus ex remotis ac barbaris, quam ex vicinis nationibus, ad eum ægrotantium catervæ perpetuo confluant*, ait ſcriptor ſæculi XII. in ſermone de S. Mar-

 cul-

culso, apud Mabillon. *d. l.* Hubertus Morus & Marlotus ad cœlestem inunctionem vim istam referunt. Ridicule Cardanus longo usui aromatum tribuit. Impie alii ad magicas causas, & nescio quam carminis solennis vim confugiunt. Rursus alii in saliva, alii in aere Gallico, alii in nota regiæ familiæ impressa, admirabilem istam virtutem latitare crediderunt: quorum opiniones Joannes Brodæus *lib. VIII. miscellan. c.* 10. & Morhofius in dissertat. *Princeps Medicus* examinarunt. Multi totam rem pro sophismate politico habent ægrosque a Medicis antea visitari, & medicamentis ad sanitatem præparari existimant. Verum quia tot Reges pios histrioniam egisse nemo credet, Becman *Notit. dign. diss. V. c.* 2. plurimum imaginationi & stupori plebis tribuendum censuit. Ad me quod attinet, malo quid alii sentiant referre, quam incertis conjecturis indulgere; harum enim pars magna in læsionem Regii nominis vergit, quod merito Tullius magnum & sanctum prædicavit. Semper gentes divini aliquid & salutaris majestati inesse crediderunt. Pyrrhi pollex lienosis medebatur, auctore Plinio *lib. VII. c.* 2. Vespasianum oris excremento visum restituisse cuidam Alexandrino, multi, sublato etiam mendacii pretio, memorarunt, apud Tacitum *lib. IV. Hist. c.* 81. Mulier & vir quidam, in somnio admoniti, ut contingerent Hadrianum Imperatorem, oculos recepisse feruntur; *quamvis Marius Maximus hæc per simulationem facta commemorarit*, ait Spartianus in Adriano c. 25. Huc pertinet, quod de S. Edwardo Anglorum Rege & Confessore, tradit Willelmus Malmesburiensis lib II. de gestis Regum Anglorum, adolescentulam quandam feminam sterilem, luxuriantibus circa collum humoribus, turpem valetudinem contraxisse, glandulis protuberantibus horrendam. Hanc in somnis admonitam, ut collum a Rege ablueretur, cœlitus ea re præstita, convaluisse. *Multoties*, addit, *eum in Normannia hanc pestem sedasse ferunt, qui interius vitam ejus noverunt. Unde in nostro tempore quidam falsam insumunt operam, qui asseverant, istius mor-*

morbi curationem, non ex sanctitate, sed ex regalis prosapiæ hereditate fluxisse.

§. XIII.

Corollarii loco, pauca quædam de tutela impuberum Regum Galliæ, eorumque legitima ætate adjicienda sunt; quia hoc ætas imperfecta Ludovici XV. cum maxime postulare videtur. Nemo autem ambigit, naturali rationi conveniens esse, ut Reges impuberes pariter, ac privati, alterius tutela regantur. Ac primum quidem hic obtinet, quod Paulus dicebat, in *l.* 36. *D. de Excusat. tut.* solere parentes amicissimos & fidelissimos tutores liberis eligere; ideoque Rex declarare potest, ad quem tutela successuri infantis pertinere debeat; quemadmodum Carolus Sapiens de tutela testamento disposuit, cujus judicium Proceres approbaverunt, teste P. Æmilio in Carolo V. & Carolo VI. Etiam Ludovicus XIII. administrationem regni in sex consiliarios divisit, quibus, præter Aurelianensem Ducem, Mazarinus præsideret, teste Vittorio Siri *t.* 3. *l.* 2. Quod si nullus testamento tutor datus fuerit, tutela legitima succedet. Inter propinquos nemo propius pupillum contingit matre, ideoque hanc aut aviam ceteris præferendam esse; & naturalis potestas & tenerrimus affectus jubent: præsertim quia matri, a morte vel a diminutione filii, minimum hic accedit emolumentum. Exempla innumera sunt: Brunichildis primum Childeberti filii, & post hujus mortem, nepotum tutrix fuit, in Austria & Burgundia; Ludovicus VII. Adelam uxorem, Ludovicus VIII. Blancam, Philippus IV. Janam, Ludovicus XII. Annam conjugem liberis tutricem & regni procuratricem constituit. Verum quemadmodum Majores domus tutores Regum, juxta matres, olim haberi cœperant; ita postea aliquis agnatorum, aut Magnatum, plerumque matri adjunctus fuit, qui rebus pro imperio moderaretur. Nam *feminarum ut successionem, lege regni nescit Gallia, sic imperium & administrationem semper fatalem experta est.* scribit Thuanus lib. 1. Desinit tutela, si

Rex ipse sufficit regno administrando; id quod antea quidem ex probabilibus conjecturis æstimandum erat; quoniam distinctio tutelæ a cura, & anni, quibus utraque jure Romano finitur, non sunt ex jure gentium, neque usum habent aliarum rerumpublicarum institutis. Veruntamen quia lubrica ista ætatis dijudicatio odiis serendis occasionem subministrabat, & gravis ea de re disputatio plus semel inter Reginam matrem & Principes sanguinis agitata erat; ideo Carolus V. Galliæ Rex sapientissimus A. 1374. pragmatica sanctione cavit, ut, quandocunque in Galliæ regno successor quartum decimum annum attigisset, pro majorenne, & tali quidem haberetur, qui regni administrationem gerere possit. Paternam hanc sanctionem Carolus VI. A. 1392. maxima Procerum frequentia, non modo confirmavit, sed & A. 1407. eam ita correxit, ut primogenitus, licet minor sit quatuordecim annorum, quacunque ætate coronari & sacrari possit, regni administratione interim matri vel tutoribus commissa. Vid. Choppin *de domanio Gallico lib. III. tit. 5.* Limn. *notit. Regni Franciæ l. 1. c. 8. lit. nn. 00.* & Hert. *de tutela Regia sect. 2. §. 4.* ubi Hispaniæ & Lusitaniæ Reges Caroli V. exemplum secutos tradit. Eadem Caroli lege Rectoribus regni, quos *Regentes* vocant, modus impositus est, ut ne in posterum eorum manu ac sigillo, leges, edicta jussaque sancirentur, sed Regium nomen & sigillum omnibus mandatis apponeretur. Qua de re judicium Bodini extat *lib. 1. de Rep. c. 8.* De malis regni tutorii multa dici possent, sed cui bono? Gallia sub Carolo VI. Lernam eorum experta est, & vere Ecclesiastes c. x. ℣. 16. *Va tibi terra, cujus Rex puer est!*

T A N T U M!

DIS-



DISSERTATIO OCTAVA,

DE

USUCAPIONE SERVITUTUM,

Ad L. IV. *§.* 29. *D. de Uſurpationibus & Uſucapionibus.*



Uod de Saturno fabuloſa finxit Antiquitas, hominem canum dextra ſerpentis imaginem portaſſe, ſiniſtra vero filium parvulum ad os applicuiſſe, eumque devoraſſe: id quidem Chriſtiani ad Satorem noſtrum Adamum referimus, qui aſtutia ſerpentis deceptus, comeſto malo, ſe una cum poſteris abſumſit, Orcique faucibus objecit. Gentiles vero Saturnum ſuum temporis auctorem eſſe voluerunt, quia curſum & converſionem ſpatiorum dimetiri, ſuaque edacitate res productas mox iterum devorare videbatur. Unde falx & alæ, in nummis & marmoribus, ipſi tribuuntur, & Lactantius lib. 1. c. 12. ſcribit, eum, uſitatiſſima omnium appellatione Κρόνος, quaſi Χρόνος, dici. Per ſe quidem tempus tantum quantitas durationis eſt, nullamque, ex ſuapte natura, vim effe-

effectricem habet; quapropter jus Civile illud inter modos finiendæ obligationis non numeravit *l.* 44. §. 1. *D. de O. & A.* Veruntamen, quia nihil non in tempore fit, tempusque longum vim moralem habet, ad legis favorem conciliandum, hinc merito χρόνος initii & finis rerum omnium habetur metator, in quo volvitur & revolvitur mundus:

Omnia tempus alit, tempus rapit, usus in arcto est.

Cernitur hoc in rebus innumeris, sed maxime in juribus & actionibus civilibus, quæ ut hominum instar certo temporis spatio nasci & vivere dicuntur; sic etiam decem, viginti vel triginta annis intereunt & moriuntur. Mirabilem hanc virtutem Lex XII. Tabularum Usucapioni, Principum vero constitutiones Præscriptioni tribuerunt, ut suffragio temporis omnem e medio tollerent materiam litium, ac longa die firmam stabilemque possessionem redderent. Inde ista *bono publico introducta* dicitur Cajo: *Finis solicitudinis & periculi litium* Ciceroni, *Patrona generis humani* Cassiodoro appellatur. Per hanc vero Valentinianus III. gloriatur, se profunda quiete humano generi prospexisse, ne jurgia, quæ avi & proavi nesciverunt, excitentur. Utriusque potestate res ipsæ varie permutant dominos, & rerum onera, sive servitutes, certo temporis lapsu nunc constituuntur, nunc, pristina libertate restituta, iterum extinguuntur. Pauli caput hanc in rem memorabile est, in *l. IV.* §. 29. *D. de Usurpationibus & usucapionibus*, cujus verba, ut Dissertationis hujus fundum, adscribo. Sunt autem ista: *Libertatem servitutium usucapi posse, verius est: quia eam usucapionem. sustulit lex Scribonia, quæ servitutem constituebat; non etiam eam, quæ libertatem præstat, sublata servitute. Itaque si cum tibi servitutem deberem, ne mibi (puta) liceret altius ædificare, & per statutum tempus altius ædificatum habuero, sublata erit servitus.* De auctore hujus legis Paulo, ut multis differamus, nihil necessum erit. Cui enim non dictus ille Prudentum Coryphæus? τῶν Νομικῶν Κορυφαῖος, ut eum, cum Scævola & Ulpiano, nuncupat Modestinus,

in

in *l.* 13. §. 2. *D. de Excusationibus*: quem & *Viri prudentissimi* elogio exornat Gordianus Imperator, in *l.* 6. *C. de Nuptiis* Libros in Jure civili tam multos scripsit, ut facile eo in genere omnibus palmam præripuisse videatur. Ex eorum numero præcipui sunt octoginta libri ad Prætoris Edictum, quorum laciniæ, velut pretiosæ ex naufragio tabulæ, passim in Pandectis occurrunt. Et Textus quidem noster, ut rubrica indicat, *ex libro ejus* 54. *ad Edictum* desumtus est: qui totus de possessionibus & usucapionibus conceptus fuit; sicut ex *l.* 1. & 3. *D. de Acquirenda vel omitt. poss. l.* 2. *pro emtore l. penult. ad L. Juliam Repetund.* sed maxime ex *l.* 2. *D. de Usurpationibus & usucap.* apparet: ubi cum de usurpatione tractasset, recte sub initium *l. nostræ* 4. infert. *Sequitur de usucapione dicere.* Dixit autem primo de personis, quæ usucapere possunt vel non; deinde de rebus; tum de tempore, & denique de actionibus. In tractatu de rebus, quæ usucapionem recipiunt, postremum locum dedit spinoso atque difficili argumento, de servitutum acquisitione & amissione: definit enim nulla usucapione eas constitui; libertatem verò servitutis usucapi posse. Vel clarius; usucapi servitutes, non ut constituantur, sed ut perimantur. Textus profecto est singularis, & meliore lapillo signandus. Solus ille sepultam legis Scriboniæ memoriam nobis conservavit, sed & variam Jurisconsultorum ingeniis fixit crucem: ideoque dignus, qui cum cura explicetur. Ad verum ejus intellectum hoc ordine pervenire tentabimus; ut primo de Usucapione libertatis: mox, occasione L. Scriboniæ, de præscriptione servitutum dicamus. Ipsa materiæ jucunditas, & ambitus late diffusus, & usus forensis Lectoris attentionem provocabunt. *Nec enim verum est, res non magni momenti servitutes prædiorum a juris auctoribus habitas esse, cum nullus in jure civili locus, majori cura & studio, ab eisdem tractatus reperiatur, & constet ex Ciceronis lib.* 1. *de Orat. causas, in quibus hæc prædiorum jura versarentur, olim Centumvirales, & inter*

gravissimas numerari solitas fuisse, scribit **Duarenus** ad l. 10. D. Si serv. vind.

CAPUT I.

DE

USUCAPIONE LIBERTATIS.

§. I. *Servitus rerum & hominum qui differant. Illius origo & fontes examinantur.* II. *Quid sit libertas servitutum: Fundus liber & servus.* III. *Usucapio libertatis explicatur & defenditur.* IV. *Phrasis* verius est *non solum rem notat controversam, sed & ad justitiam & æquitatem hic referenda.* V. *Requiritur ad hanc Usucapionem, ut nemo servitute sit usus.* VI. *Olim per spatium biennii; deinde longi temporis.* VII. *Rem porro usucapiens, tanquam liberam, possedisse debet bona fide. An tempora conjungantur disquisitum: Cujacii, Harmenopuli & aliorum conciliatio rejecta.* VIII. *Actus denique servituti contrarius suscipiendus, sed immobilis.* IX. *Motus arboris apud Pomponium, in l. 7. D. d. S. P. U. explicatur.* X. *Minus requiritur ad amissionem, quæ fit non utendo, quam ad Usucap. lib. L. 4. §. 27. D. de Usurpat. explicatur.* XI. *In quibus servitutibus Usucapio lib. necessaria sit, fluctuant Doctores; Communis sententia proponitur.* XII. *Eadem rejicitur, adductis exemplis rusticarum servitutum, in quibus obtineat, vel non.* XIII. *Distinctio inter servitutes affirmativas & negativas proponitur, & exemplo servitutis altius non tollendi illustratur.* XIV. *Justiniani novissimo jure hæc Usucapio non est sublata.* XV. *Moribus obtinet, etiam in juribus aliis.*

§. I.

Ait Paulus: *Libertatem Servitutium usucapi posse, verius est.* Servitutis vocabulum generaliter sumtum, & reales & personales comprehendit; hoc autem loco reales tantum, seu prædiales, in quibus res rei servit, designantur, pariter ac in rubrica tituli de *Servitutibus* & *Ser-*

Servitute legata. Neque enim de usucapione libertatis servitutum personalium, adeo laborandum videbatur; quia temporariæ sunt, & cum anima extinguuntur: ut vero onus prædialium sua natura perpetuum esset, utilitatis publicæ ratio effecit *l.* 20. §. 2. *d. S. P. R.* Dein longe alio significatu vox *servitutis* hic accipitur, quam servitus hominum alieno juri subjectorum. Nam in hac servit homo, in nostra res servit rei: illa ad statum, hæc ad utilitatem pertinet: ibi servus domino suo, hic res non domino officia præstare tenetur. Quemadmodum vero homo natura liber, constitutione juris gentium vel civilis, alteri fit obnoxius; sic varie accidit, ut libertas ædium vel fundorum coarctetur, & alteri jus in rebus nostris constituatur, cujus vi aliquid pati vel non facere in iis cogamur, quod libere alias liceret. In universum Paulus tria commemorat, per quæ unus locus serviat alteri: naturam loci, conventionem partium, & denique vetustatem, quæ, litium minuendarum causa, pro lege habetur. *l.* 2. *pr. D. de Aq. & aq. pluv. arc.* Quibus addi potest lex in *l.* 10. *&* 12. *D. de Relig. l. fin.* §. 1. *C. de Servit.* & adjudicatio judicis, in judiciis divisoriis *l.* 22. §. 3. *Fam. erc.* Primo conditio loci hujusmodi onera quandoque introducit, nam ager inferior, natura superiori servit, & aquam profluentem excipit, ut Ulpianus in *l.* 1. §. *fin. D. de Aqua & aq. pluv. arc.* eleganter explicavit. A quo diversum quidem sentit Hugo Grotius *in appendice Epist.* 5. contendens naturali ratione, non rei magis, quam hominis servitutem esse; præsertim cum aqua sponte sua defluat, non immittatur; & dominus prædii superioris aquam in prædio suo retinere, inferior eam opere facto excludere possit. Sed ipse Ulpianus *quasi servitutem* appellando anomaliam agnoscit, & Hertius ejus causam, mascule suscepit, in dissertatione *de servitute naturaliter constituta prolegom.* §. 5. Ceteræ sane rei servitutes non naturales, facto hominum introducuntur, contra nativam libertatem: nam quia sæpius contingit, ut sine nostro, vel

 non

non magno incommodo aliorum utilitatem promovere, aut damnum ab iis, aliquid non faciendo, avertere possimus; ideo urbanis exceptis, quas magnam partem luxus peperit, regulæ humanitatis, amicitiæ, commoditatis, necessitatis & vicinitatis postularunt, ut agros aliorum alii quandoque delibarent, & utilitatem ex iis consequerentur. *Servire* enim Latinis utilitatem præstare significat, & servitus proprie est juris nostri imminutio, alterius augmentum, *l.* 5 §. 9. *D. de Operis novi nunciat.* Unde respectu domini est onus, alterius respectu, in cujus gratiam comparata, Jus & facultas merito vocatur.

§. II.

Ab hoc incommodo & molestia si ædes & prædia liberantur, ut uni domino libere & ultro quasi præstent omnia, tum *libertas servitutium* enasci dicitur. Quemadmodum enim aliam vidimus, hominum esse servitutem, aliam rerum; sic etiam libertas alia personarum est, alia rerum. Illa res inæstimabilis est, hæc vero æstimationem recipit *l.* 12. *D. de Pignor. & hyp. l.* 106. *de Reg. Jur.* At sicut homo tum demum liber est, cum potestatem habet vivendi, ut velit, & aves feræque libertatem recepisse intelliguntur, quando in suam naturalem laxitatem redierunt; sic sublato jure alterius in fundo nostro, naturalis facultas utendi, ut lubet, reviviscit, & dominus jure libertatis, singulis concessæ, quidvis in suo facere potest. Libertas ergo servitutium est immunitas a servitutibus: ut fundus dicitur liber, qui nulli servit, qui nullam servitutem debet. *Ædes liberas esse, hoc est nulli servire*, ait Ulpianus in *l.* 90. *de V. S.* Hinc *liberæ* ædes & *servæ* invicem pugnant, *l.* 6. §. 3. *D. Communia præd.* Inde *servus* fundus opponitur *libero* in *l.* 8. *D. de Actionibus emt. l.* 20. §. 1. *D. de Acquirendo rer. dom.* Cicero de Lege Agraria: *Optimo jure ea sunt profecto prædia, quæ optima conditione sunt: libera meliore jure sunt, quam serva.* Hinc etiam vulgaris emtionibus & stipulationibus adjiciebatur clausula: *Fundus uti optimus*

optimus maximusque sit; cujus hæc vis erat, ut quod ita venditum, stipulatum, traditum esset, ab omni servitute liberum præstari deberet. *l. 59. D. de Contr. emt. l. 169. de V. S.* Illud præteriri non debet, Papinianum in *l.* 44. §. 5. *de Usurpationibus* simpliciter *usumfructum* dixisse, pro libertate ab usufructu, ut Cujacius ibi notavit.

§. III.

Variis autem modis naturalis illa prædiorum libertas restituitur, quos inter haud postremus est Usucapio: quæ hic nihil aliud est, quam exercitium facti alicujus continuum, & servituti contrarium: quando nimirum is, cui servitus debetur, per constitutum tempus, servitute non utitur; is vero qui servitutem debet, in suo aliquid positum habet, quo servitus constituta impediatur; tum enim hic, possessione prædii & usu haud limitato, libertatem fundi sui recipit, ex tacita quasi conventione, vel, si mavis, lege positiva, in præmium diligentiæ, & negligentiæ pœnam. Idque est, quod Paulus hic libertatem *usucapere* vocat: sicut Cajus, Pomponius, Julianus in *l. 6. l. 7. l.* 32. §. 1. *D. de S P. V.* & idem Paulus in *l.* 18. §. 2. *D. Quib. mod. serv. am.* Proprie quidem usucapio est adjectio dominii, id quod possessor prædii servientis jam ante habebat; nec incorporalia, quia tradi & possideri non possunt, usucapionem veram & ordinariam admittunt, *l.* 43. §. 1. *D. de Acquirendo rer. dom.* Quemadmodum vero, contra legum subtilitatem, utilitatis & litium inter vicinos minuendarum causa, hoc jure utebantur Romani, uti servitutes per se nusquam longo tempore capi possent, cum ædificiis, tanquam accessoriæ, possent, *l.* 10. §. 1. *D. de Usurpat.* Sic libertatis natura non in tantum obstabat, quo minus usucaperetur: licet enim res incorporalis sit, perinde tamen ac dominium, rem corporalem, prædium scilicet serviens, pro objecto habet. Deinde maximus libertatis naturalis favor hoc suadebat, ejusque exercitium & *usus*, per quietam possessionem ejus, quod ad impediendam servitutem positum vel ædificatum erat, satis de-

declaratus. Istius enim rei usus pro possessione à Prudentibus fuit habitus, ejusque colore pariter ac bonæ fidei prætextu, deinceps, ab Auctoribus Mediæ Jurisprudentiæ, introducta est Usucapio libertatis, ac post Legem Scriboniam, facilius retenta: quia non alia ad eam usucapionem possessio necessaria videbatur; dum sufficiebat fundum possedisse liberum omni servitute, ejusque indicium adfuisse: dubium autem non est, quin fundus possideri possit. Vide *l.* 32. §. 1. *D. de Servitutibus præd. urb.* Et quid aliud sunt jura prædiorum, quam prædia qualiter se habentia, ut bonitas, salubritas, amplitudo? inquit Celsus in *l.* 86. *D. de V. S.* junct. *l.* 12. *D. Quemadm. serv. amitt.*

§. IV.

Hæ fere rationes movebant Paulum, uti pronuntiaret, *verius esse* libertatem servitutium usucapi posse. Dudum observarunt alii, & innumeris locis evinci posset, si id ageremus, phrasin hanc in libris Jurisconsultorum ostendere, rem apud Veteres fuisse controversam; nec rationes dissentiendi heic aliis defuisse, ex superiore disputatione liquet. Et tamen vix refragabor, si quis particulam hanc simul ad æquitatem & justitiam referendam contendat; quemadmodum non modo nostri, sed & reliqui bonarum litterarum auctores *verum* pro æquo & justo sæpius posuerunt. Unicus Virgilius in præsens sufficiat, lib. XII. Æneid. ỳ. 694.

Quæcunque est fortuna, mea est: me verius unum
Pro vobis fœdus luere, & decernere ferro.

Enimvero ipsa æquitas dictabat, non tantum servitutis odium restringendum, sed & favórem libertatis ampliandum esse; quemadmodum semper, ubi de liberando quæritur, ad liberationem nos propensiores esse debere, Arrianus monet in *l.* 47. *D. de Obligat. & act.* Quinimo ut contra libertatem personarum servitus nullo tempore præscribitur, sed bene contra servitutem libertas, *l.* 1. 2. *& ult. C. de Longi temp. præscr. quæ pro lib.* sic argumento a personis ad

ad res ducto, æquum videbatur, ut prædiorum libertas usucapi posset, servitus non posset. Et quanquam dispar harum servitutum adferri poterat ratio; quod servitus personæ quodammodo naturæ videtur contraria, nec persona est in commercio, id quod fallit in prædiorum servitutibus: attamen satis esse videbatur, quod per usucapionem libertatis res ad statum naturalem revocatur, cujus privationem omnis generis servitus continere solet.

§. V.

Et hæc quidem ad explicationem verborum hactenus. Sequitur ex aliis textibus requisita hujus usucapionis investigemus, quæ ad quatuor capita satis commode revocari possunt: ut scilicet (1.) nemo servitute sit usus (2.) per tempus definitum. Is vero qui servitutem debet (3) interim rem possederit bona fide, tanquam liberam; & denique (4.) positum quid habuerit, quo servitus impediatur. De singulis agemus singillatim. Primum illud ad amissionem exigitur; ut constituta servitute nemo sit usus: id est, neque is cui servitus debetur; neque alius ejus nomine, ut mercenarius, amicus, hospes; neque is, qui est in possessione fundi dominantis, ut socius, fructuarius, bonæ vel malæ fidei possessor: hos enim, si usi fuerint, prædii nomine, & quasi debita servitute, usos sufficit. *l. 5. l. 20. & seqq. D. Quemadm. serv. amitt.* Non uti autem videtur, qui vel servitute omnino non utitur: vel qui utitur loco serviente, sed non tanquam servitute; ut si per constitutam servituti viam ivit longo tempore, tanquam per publicam aut vicinalem *l. ult. D. de itin. actuve priv.* Vel qui utitur quidem, & jure servitutis utitur, sed non ad modum constitutum. v. g. Si is, cui nocturnum iter concessum erat, usus sit de die, nocturnam servitutem amittit *l. 10. §. 1. l. 18. D. Quemadm serv. amitt. l. 17. D. de aqua & aquæ pl.* juncta *l. 5. §. 1. D. de aqua quot.* In alia causa est, qui fecit quidem id quod licuit, sed fecit amplius aliquid; ut si via latiore, vel alio vehiculi genere usus est, aut amplius oneris,

ris, quam licuit, vexit, aut majorem minoremvè aquæ copiam duxit, minime servitutem amittit, quia hic magis plus, quam aliud egisse censetur *l.* 11. *D. Quemadm. serv. amitt. l.* 1. §. 18. *D de aqua quot.* Præterea usus semel cœpti repetitio non requiritur; quia servitutes, quæ in superficie consistunt, possessione retinentur, *l.* 20. *D. de S. P. V.* Neque nocet non usus; si prædium dominans ad pupillum pertineat *l.* 10. *D. Quemadm serv am.* aut servitus promissa, necdum vero constituta sit *l.* 19. *eod.* Servitus denique itineris ad sepulchrum non utendo haud perit *l.* 4. *eod.* Cujus rei ratio non est favor religionis: sic enim remitti non posset, contra *l.* 14. § 1. *D de Servit.* sed quia ejus utendi occasio, non nisi superveniente mortalitate, cujus tempus incertum est, existit.

§. VI.

Alterum est, ut nemo usus sit per tempus definitum. *Statutum tempus* appellat Paulus *h. l* sicut in *l.* 18 § 2 *D. Quemadm. serv. amitt.* Statutum *tempus*, *quo servitus amittitur*, infit Proculus in *l.* 16. *D. eodem.* Pomponius *l.* 18. §. 2. *eodem.* & Julianus *l.* 32. *de S. P. V.* Vocatur & *constitutum* tempus in *l.* 34. §. *ult. D. de S. P. R. l.* 6. §. 1. *l.* 7. *l.* 10. & *l.* 19. §. 1. *D. Quemadm. serv. amitt.* Item *legitimum tempus*, *quo servitutes pereunt l.* 13. *D. eodem.* Legibus enim XII Tabularum usucapioni fundi, ceterarumque rerum immobilium, biennium præstitutum erat, quod Jurisconsulti dein ad usucapionem servitutum & libertatis extenderunt, ut ex Paulo *lib. I. Sent tit.* 17. & Ciceronis oratione pro Cæcina cap. 26. liquet, his verbis: *Sed rata harum rerum auctoritas a jure civili sumitur.* Hoc vero temporis spatium attendebatur, sive inter præsentes, sive inter absentes de usucapione quæreretur Nec interesse, idem Paulus noster docet, si servitutis usus ex conventione sit interruptus, dum vel alternis tantum diebus, vel horis alternis, vel tantum de die aut nocte uti liceat; nihilominus enim quotidianum & continuum tempus dicitur: dum videtur, quod

quod fit alternis diebus, etiam quotidie fieri; quia unius diei finis in initium sequentis incurrit. Plane si alternis annis, alternisve mensibus, vel sola æstate hiemevē sola, servitutis exercitium permissum sit, placet eam non nisi duplicato tempore amitti, *l.* 7. *D. Quemadm. serv. amitt.* Quid enim potest imputari ei, qui jure facere quid, etiamsi vellet, non potuit? infit idem *l.* 17. §. 3. *D. de Usuris.* Verumenimvero ne spatio nimis angusto servitutes, pretibus & pretio sæpius acquisitæ, amitterentur, præsertim cum dominis inquilinorum negligentia possit esse damnosa, ideo Justinianus novella constitutione *l. penult. C. de Servitut. & aqua* derogavit juri Pandectarum, sic ut servitutes non utendo X. annis inter præsentes, XX. inter absentes amittantur. *Qui enim, in tam longo prolixoque spatio, suum jus minime consecutus est, sera pœnitentia ad pristinam servitutem reverti desiderat*, ait idem Imperator in *l. fin. C. de Serv.*

§. VII.

Ad diutinam negligentiam ejus, cui servitus debetur, adhæc tertio usucapientis accedere debet *bona fides:* nimirum ut justo errore justaque ignorantia, intra illud solenne spatium, ædes tanquam liberas possederit, quia factum ejus hic desideratur, cui bona fides adjuncta esse debet *l. fin. D. Quemadmod. serv. amitt. l.* 1. *C. de Servit.* Adde, quod jura usucapionis, præter naturalem æquitatem, introducta fuerunt, colore bonæ fidei, quasi damnum inferre non videatur, qui usucapit, id quod nescit alterius esse, ut Marcianus ratiocinatur in *l.* 43. *D. de Acq. vel am.* Et generaliter Justinianus in l. un. C. de Usuc. transf. *Hoc tantummodo*, inquit, *observando, ut in his omnibus casibus ab initio eam bona fide capiat.* Corasius equidem ad *l.* 14. *de Servit.* libertatis favore opinionem illam, hic non desiderari contendebat: at vero is tantus non est, ut exceptionem inducere possit contra regulam, quæ ad initium omnis usucapionis bonam fidem requirit. Titulus non exigitur,

gitur, quia in incorporalibus patientia ejus vices subit; etiamsi agatur de acquirenda servitute, quanto magis ergo, ubi de usucapienda libertate tractatur. *l.* 11. §. 1. *de Publiciana in rem l.* 1. §. *f. D. de S. P. R.* Sufficit ergo bona fide possedisse. Quid autem si usucapiens intra tempus rem possidere desierit? Placet interpellatam videri usucapionem, quasi una cum ædibus & libertatem earum possidere desierit *l.* 32. §. 1. *D. de S. P. V.* Quod si a defuncto inchoata sit usucapio, haud ambigitur id tempus prodesse heredi; quandoquidem is, sicut in omnia jura, in usucapionem quoque succedit *l.* 11. *D. de Diversf. & temp. præscr.* Decessoris etiam tempora, prosunt successori singulari; ex quo Constitutione Severi & Caracallæ provisum fuit, ut ubique emtori tempus venditoris procederet ad usucapionem, §. *pen. I. l.* 14. *de Usurp. l.* 2. §. 20. *D. Pro emt.* Eoque collineat Paulus in *l.* 18. §. 1. *D. Quemadm. serv. amitt.* Julianus vero in *l.* 32. §. 1. *D. de S. P. V.* cum tempora conjungi negat; aut loquitur de casu, quo à veteri possessore possessio non statim ad usucapientem, sed intermedium pervenit: sic enim interpellata usucapione *postea* integro tempore opus est: aut dici potest, eum convenienter juri antiquo, suo, id est, Hadriani tempore, adhuc vigenti respondisse, de quo in *l.* 13. §. 4. *D. de Acquir. vel amitt. poss.* Quibus positis apparet, quam parum causæ fuerit, cur Cujacius, Wissenbachius & Huberus, ad differentiam servitutum urbanarum & rusticarum hic confugerent, quam vel sola generalis locutio Pauli refellit. Nihil etiam est in *d. l.* 32. aut in juris *αναλογια*, quod Illustris Thomasii interpretationem juvet, qui in scholiis ad Huberum ad tit. *Quemadm. serv. amitt.* Julianum intelligit de eo, qui citra voluntatem possessionem ædium amisit. Minus nos denique moratur distinctio Harmenopuli *lib.* 2. *tit.* 4. §. 143. inter usucapionem libertatis & amissionem per non usum; quia publice interest, ut usucapio facilius absolva-

tur

tur *l.* 1. *D. de Usurpat.* Alium ejusdem in hac materia errorem Merillius notavit lib. V. Obs. c. 31.

§. VIII.

Ultimum & palmarium usucapionis hujus extinctivæ requisitum est, ut is qui servitutem debet, in suo aliquid positum, factum aut ædificatum habeat, quo servitus constituta impediatur. Veluti si tigni immittendi servitutem ædes Titii Cajo debent, & Cajus exemerit tignum, hic ita demum jus suum amittit, si Titius foramen, unde exemtum est tignum, obturavit, & per tempus statutum ita habuit; alioquin si nihil novi fecit, integrum jus Cajo permanet, nec enim Titius dici potest libertatem ædium suarum usucepisse, qui jus suum nullo contrario facto interpellavit *l. 6. D. de S. P. U. l.* 18. §. *ult. D. Quemadm serv. amitt.* Vel, ut Pauli exemplo utamur: Fac, me tibi debere servitutem altius non tollendi, servitus non erit sublata hoc solo, quod tu per decennium non ædificaveris, verum ita demum, si ipse contra ædificaverim, & per legitimum tempus ædificium habuerim. Non autem sufficit aliquid factum esse, nisi id omnem simul servitutis usum tollat. V. gr. si plura essent foramina, & unum duntaxat clausum sit, tota servitus retinebitur, tanquam individua; ut bene concludit Accursius ex *l.* 18. *D. de S. P. R.* Dein id, quod ponitur, immotum sit oportet, & continuam habeat possessionem, ut paries, ædificium, & aliquid ejusmodi. Si mobile erit, nihil proderit ad libertatis usucapionem. Ut si quis v. gr. arborem in suo plantatam habuit, ex adverso luminum a vicino præclusorum; non ideo libertas adversus servitutem luminum usucapta erit, secundum Q. Mutii doctrinam. Et recte! *quia non ita in suo statu & loco manet arbor, quemadmodum paries, propter naturalem motum arboris*, infit Pomponius *l. 7. D. de Serv. præd. urb.*

§. IX.

Mira tamen hæc decisio videtur, quia arbor, dum terræ co-

cohæret, immobilis & pars fundi habetur Mutio, apud eundem Pomponium in *l.* 49. *D. de Act. emti.* Nec insuper convenit inter eruditos, quid per naturalem illum arboris motum intelligatur. Accursius, Duarenus & Strauchius ad ventorum agitationem & aëris impulsum referunt. Synopsis Basilicôn *lib* 58. *tit.* 28. & Radulph. Fornerius *lib. II. Rer. quotid. cap.* 12. transplantationem, translationem & ademtionem interpretantur, velut cum dicimus, movere Senatu. Janus a Costa *ad* §. 31. *I. de R. D.* post Mornacium, in subterraneis radicibus, quæ modo huc, modo illuc mittuntur, motum quærit. Galvanus *de usufr. cap.* 41. *n* 3. & Lynckerus in Analectis ad Struvium *lib.* 8. *tit.* 6. *th.* 58. varia motus genera, & intrinseca & extrinseca, considerata fuisse existimant. Verum optime Zoannettus *restitut. cap.* 25. Cujacius *lib.* 27. *Obs. c.* 14. & Balduinus in *Scævolis pag.* 283. ad vegetationem crescentis arboris hunc motum retulerunt: ea enim facit, ut quotidie nova velut arbor sit, & quæ olim luminibus non officiebat, nunc statu mutato officiat. Sic moveri ἀντὶ τοῦ crescere poni, multis exemplis docuit Vir Summus, Joh. Frid. Gronovius lib. III. Observat. cap 1. Ovidius lib. III. Trist.

Quoque loco est vitis, de palmite gemma movetur.

Hac ratione Celsus & Atticus apud Columellam ajunt, tres esse motus in vite naturales: unum, quo germinet; alterum, quo floreat; tertium, quo maturescat. Atque ita Philosophi omnes, teste Macrobio l. II. in Somn. Scip. c. 15. *Moventur arbores, quarum etsi non videtur agitator; a natura tamen eas interius latente constat agitari.* Sed hoc amplius, Q. Mutius pariter ac Pomponius jurati Stoici fuerunt; quorum hoc erat proprium, ut *Naturam* per totum orbem diffusam, motus & rerum omnium magistram crederent; iisdem arbores & corpora nostra mutari in horas, & ab illis, quæ a nascentibus fuerant, longe diversa videbantur. *Propterea quod ut Philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis consisteremus, hæ quotidie ex corpore decederent, aliæque extrinsecus,*

secus in earum locum succederent, inquit Alfenus Varus in *l. 76. D. de Judiciis*. Seneca Epist. LVIII. *Quæcunque videmus ac tangimus. Plato in illis non numerat, quæ esse proprie putat. Fluunt enim, & in assidua diminutione atque adjectione sunt. Nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit juvenis. Nemo est mane, qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur fluminum more. Quicquid vides, currit cum tempore, nihil ex his, quæ videmus, manet. Ego ipse, dum loquor mutari ista, mutatus sum.*

§. X.

Tantum de quatuor partibus, quæ ad usucapionem libertatis requiruntur. Absit vero putemus semper, ubi ex temporis lapsu recuperatur libertas a servitutibus, ea desiderari. Paulus generaliter hic loquens, alibi diserte distinguit inter usucapionem, & non usum, ac hoc solo, nonnullas amitti docet, *lib. I. Sent. tit. 17. Viam*, inquit, *iter, aquæductum, qui biennio usus non est, amisisse videtur: nec enim ea usucapi possunt, quæ non utendo amittuntur.* Minus desideratur ad amissionem, quæ fit non utendo, quam ad usucapionem libertatis. Ibi ejus, cui servitur, diuturna cessatio sufficit; hic facto ejus opus, qui servit. Illam non impedit mala fides domini prædii servientis, ad hanc bona fides usucapientis necessaria est omnino. Hinc si viam habeam per tuum fundum, & tu me ab ea expuleris, per longum tempus non utendo, viam amitto: quia nec possideri intelligitur jus incorporale, neque de via quis, quatenus jus merum est, dejicitur, *l. 4. §. 27. D. de Usurpat. & usuc.* Enimvero quasi possessio viæ præcipue in usu consistit, quo deficiente ipsam quoque possessionem deficere oportet. Causas juris & facti vis habuerat conjunctas, itaque sublato usu, qui facti est, solum merumque jus remanebat; hoc vero vi injusta statim detrusus non videor, sed ut tolleretur, juris auxilio opus erat. Confer *l. 19. D. Ex quibus caus. maj. l. 49. D. de Acquir. poss. l. 35. de R. J.* Ita obscurum istum Pauli locum recte explicavit Rævardus in

Triboniano §. 1. Male Gujacius & Brissonius per *merum jus* juris civilis subtilitatem intellexere, quod ab intentione Jurisconsulti, & proprietate vocis est alienum: merum enim antiquis idem erat quod solum. *Meram tunicam* Varro; *spem meram* Terentius, & *merum jus gentium* pro solo & simplici usurpavit Tryphoninus *l.* 31. *D. Depositi.*

§. XI.

Age vero distinctius, quænam servitutes tantum non utendo pereant, & in quibus insuper desideretur usucapio libertatis, proponamus. Non una hac in re Doctorum est fluctuatio. Casparus Manzius in tractatu de servitutibus *tit.* 6. *n.* 92. differentiam inter servitutes continuas & discontinuas ponit; in illis factum hominis, in his solum inusum requirens. Communis vero schola, in amittendis servitutibus urbanorum prædiorum, continuum usum libertatis postulat, in servitutibus rusticorum prædiorum non item. Patrocinari his inprimis videtur Cajus, in *l.* 6. *D. de S. P. V.* tum ceteri Juris auctores, qui quoties de usucapione loquuntur, exempla ab urbanis, in *l.* 7. *D. l.* 32. §. 1. *D. de S. P. V.* contra, ubi de non usu sermo est, a rusticis petitum eunt, *l.* 17. *l.* 19. *Quemad. serv.* Quos item Paulus noster hac *l.* 4. §. 27. *&* 29. *D. de Usurpat.* in utraque specie secutus est. Eoque pertinet quam maxime Ulpiani caput, in *l.* 6. *D. de Fundo dotali*, ubi inquit: *Sed nec libertas servitutis urbano prædio dotali debitæ competit, ne per hoc deterior conditio prædii fiat.* Hæc sunt fundamenta, quibus vulgaris innititur sententia, a summis pariter ac imis, jam a Castrensi, ad nostrum usque ævum, propugnata. At discriminis istius rationes si quis requirat, in alia omnia eos abire deprehendet. Vir magnus, Jacobus Cujacius ad *h. l.* respexit ad regulam juris vulgatam, nihil tam naturale esse, quam unumquodque eo genere dissolvi, quo colligatum est; ideoque urbanarum libertatem usucapi ait; quia & servitus urbana ante legem Scriboniam usucapioni erat subjecta; rusticam usucapi haud potuisse, sed solo usu acquisitam;

ram; non mirum ergo, si & solo non usu, sine interventu facti contrarii extinguatur. Ait autem posterius tantum, non probat, ut caput sequens docebit. Schneidewinus *ad* §. *fin. Inst. de Serv. n.* 28. urbanas caussatur nobiliores esse rusticis, & difficilius amitti, ne urbs ruinis deformetur. Sed invertendum est potius, quod ait; nam, rusticæ erant mancipi, auctore Ulpiano *tit.* 19. & majoris pretii, majorisque æstimationis, quod fructuum gratia comparabantur: ut vere de illis dici possit, quod Plinius lib. XVIII. H. N. c. 3. de tribubus scribit, rusticas honoratiores fuisse urbanis, & Varro lib. I. de Re rust. c. 13. *Villæ rusticæ erant majoris, quam urbanæ.* Struvius *S. J. C. Exerc.* 13. §. 58. caussam assignat hanc, quod illæ in facto personæ consistunt; in his nuda subest patientia prædii servientis. Quasi vero nonnullæ urbanæ, ut oneris ferendi, cloacæ vel rivi in patiendo vicini facto non consistant. Accursii, Bartoli & Forcatuli ineptias refert, & simul refellit Joh Harprechtus *ad* §. *fin. I. de servit.* qui tamen ipse, quo se verteret nescius, ad ignorantiæ illud asylum in *l.* 20. *D. de LL.* confugit. Saniores rationes dederunt Connanus *lib. IV. cap.* 12. *n.* 7. Donellus Comment. *lib. XI. c. ult.* Galvanus *diss. cap.* 41. *n.* 3. & Wesenbecius *de Servitut. n.* 5. sed quæ omnes huc fere redeunt, quod rusticarum exercitium consistit in facto eundi, agendi, vehendi, aquam ducendi, pascendi, coquendi, quibus actibus omissis manifesto negligentia arguitur, & quasi possessio perit *l.* 14. *D. de Servitut. l.* 4. §. 27. *D. de Usurpat.* Urbanæ vero non in mero facto versantur; sed simul per se aliquid necessario mutant in ædibus vicini, & cessante ad tempus usu, ejus indicium vestigiumque relinquunt, quibus abolendis facto opus esse contrario judicatum sit, ne alias cum ædibus earum possessio retineatur, *l.* 20. & *l.* 32. §. 1. *D. de S. P. V.*

§. XII.

Verum enimvero, etsi non negem, hanc rationem efficere, ut in urbanis potissimum usucapionis ratio habeatur, de

de quibus etiam Jurisconsulti, tanquam ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ut plurimum accidentibus, exempla desumsere; secuti exemplum Theophrasti, in *l.* 3. *&* 6. *D. de Legibus.* Nil tamen obstare, quo minus libertatis usucapionem in rusticis nonnunquam necessariam dicamus, jam dudum sensit Illustris Thomasius *Dissertat. de Servit. stillicid.* §. 23. Finge, te habere aquæductum per fundum Cornelianum, ibique canales, tubulos & fistulas, per quas aqua ducatur, posuisse: licet aqua longo tempore non sis usus, minime tamen Cornelii fundus liber erit, nisi is fistulas eximendo libertatem usuceperit. Vel hoc modo: Servitus viæ mihi debetur per locum paludosum, quo uti non licet, nisi glarea vel silice sternatur; fundum stravi, sed per legitimum tempus, forte quia commodum non erat, via usus non sum; profecto durabit servitus, quamdiu superest stratum, tanquam vestigium constitutæ servitutis. Nec aliud dicendum, si ad calcem coquendam calcariam dominans paraverit; vel ad aquam hauriendam situlas suspenderit fontesque refecerit: sibi enim imputet serviens, quod structuram, exercendæ servituti necessariam, non sustulerit. Atque ist hoc pacto, in hac materia, carere possumus otiosis concertationibus, tam veterum quam recentiorum, quænam servitus urbana vel rustica dici debeat. Non inficiamur, discrimina quædam inter servitutes rusticorum & urbanorum prædiorum intercessisse v. c. illæ mancipi erant, & hypothecæ obligari poterant, hæ non item, auctore Ulpiano *tit.* 19. §. 1. *l.* 11. §. *f. l.* 12. *D. de Pignor.* qua de re Merillius *lib. VI. Obs. c.* 4. Faber *lib. XIX. Conj. c.* 7. & Binckershoek *de rebus mancipi c.* 8. Argumento tamen tituli ***Communia prædiorum tam urbanorum quam rusticorum*** satis constat, & inductione ostendi potest, communia eis, isto discrimine sublato, regulariter jura esse; iisdemque modis eas constitui, iisdem finiri. Nihilominus unde rusticum prædium discernatur ab urbano, varie senserunt Jurisconsulti. Alii a materia prædia distinxerunt, in *l.* 3. *D. de Servit. l.* 1. *D. Comm. præd. l.* 198.

D.

D. de V. S. Alii a loco, ut Neratius *l.* 2. *D. de S. P. R. l.* 4. *D. In quib. cauſ. pign.* Alii rurſus, ut Bachovius & Vinnius, ab intrinſeca ſui natura: alii, ut Voetius & Lauterbachius, ab uſu ſervitutes æſtimari voluerunt. Quid? quod Iter etiam circa urbana prædia conſtitui potuit, *l.* 20. §. 1. *l. ult. D. de S. P. V. l.* 14. *D. Comm. præd. l. pen. D. de Servit. leg.* & ſervitus cloacæ immittendæ, nunc inter urbanorum, nunc inter ruſticorum prædiorum ſervitutes numeratur, prout vel urbano vel ruſtico fuerit prædio conſtituta. §. 1 *I. de Servit. l.* 2. *de S. P. R.* Nec quicquam frequentius apud Germanos, quam ut aquæductus & aquæhauſtus prædio debeantur urbano.

§. XIII.

Ceterum ut argumentis, quibus contraria ſententia quam maxime innititur, ſatisfiat, adhibenda eſt diſtinctio, inter ſervitutes affirmativas & negativas, quam non totidem quidem verbis Cajus adfert; is enim magis diſtinguit inter ſervitutes ruſticorum & urbanorum prædiorum, in *l.* 6. *D. de S. P. V.* quacum jungenda eſt ejusdem *l.* 2. *eod.* ſed quam ratio, & analogia juris ſuppeditat, & exemplum, quod Paulus noſter habet, confirmat. *Affirmativæ* ſunt, quæ patiendo utilitatem præſtant; atque hæ, ſi in mero facto conſiſtunt, ut iter, actus, via, non utendo pereunt; ſin vero ſtructuram aliquam præſupponunt, ut oneris ferendi, tigni immittendi, ſtructuræ remotione libertas uſucapi debet. *Negativæ* ſunt, quæ in non faciendo conſiſtunt, ut altius non tollendi, ſtillicidii aut fluminis non recipiendi: atque hæ per rerum naturam non niſi facto aboleri poſſunt, quia actus ſervituti contrarius ſuſcipiendus eſt, cui dominus prædii dominantis non contradicat. Juvat hanc diſtinctionem exemplum a Cajo in *l.* 6. *D. de S. P. V.* & a Juliano in *l.* 32. §. 1. *D. eod.* a ſervitute altius non tollendi petitum, quo & Paulus noſter in hac *l.* 4. §. 29. *D. de Uſurpat.* uti voluit: *Itaque*, inquit, *ſi cum tibi ſervitutem deberem, ne mihi liceret altius ædificare, & per ſtatutum tem-*

pus altius ædificatum habuero, sublata erit servitus. Non hic ingrediar prolixam disputationem, de servitute altius tollendi & non tollendi, quæ variis opinionum fluctibus ventilata est. Missis aliorum sententiis, duæ hæ servitutes, ex modo altitudinis, quem Augustus, Nero & Trajanus, ad ruinas evitandas, ædificiis imposuerunt, mihi enatæ videntur. Nostra & aliorum auctorum loca, huc pertinentia, Barnabas Brissonius *lib.* 1. *sel. Ant. c.* 1. Petrus Faber *ad l.* 61. *de R. J.* & Rævardus *lib. III. Conject. c.* 12. diligenter collegerunt. Hominum quippe multitudo, undique Romam convolantium, effecisse videtur, ut Principum illæ sanctiones tacitam exceptionem admitterent, nisi vicini, solida jaci fundamenta videntes, consenserint, ut formam definitam excedere liceret, atque ita *pactum vel stipulatio ædificanti suffragetur*, ut Zeno inquit *l.* 12. §. 1. *C. de Ædific. priv.* & ante hunc Ulpianus in *l.* 11. §. 1. *D. de S. P. V. Si inter te & vicinum tuum non convenit, ad quam altitudinem extolli ædificia* &c. Plane Tiberii tempore, de *maxima ædificiorum altitudine* queritur Seneca Rhetor. Petronius, Neroni familiaris, *sedesque ad sidera mitti* canit. Juvenalis, sub Domitiano, avarum jubet respicere, *quod spatium tectis sublimibus.* Prudentius, tempore Arcadii & Honorii, *celsa cœnacula vulgi* celebravit. Non equidem diffiteor, hæc aliave loca, de ædificiis ante Augustum exstructis, accipi posse; sed ferali Neronis incendio, bona pars Urbis conflagravit, & Augusti edictum, mox a potentibus spretum, sine moribus fuisse, Neronis & Trajani iterata constitutio, tum *l.* 1. & 8. *C. de Servitut.* ut credamus suadent. Falluntur utique, qui cum Zasio, Cæpolla & Schneidewino, servitute altius tollendi, id agi volunt, ut vicinus ædes suas altius tollere debeat, si mea forte intersit, ejus ædes altiores esse, ne meæ ventis perflentur, aut soli nimis liquido exponantur, aut quod meas repercusso lumine (κατὰ ἀντανάκλασιν Ulpianus vocat) illustrari velim. His enim refragatur natura servitutum, a Pomponio memorata in *l.* 15. §. 1. *D. de Serv.* & Nera-

Neratius in *l. 2. de S. P. R.* aperte scribit: *licere altius tollere*, item Paulus in *l. 7. §. 1. D. Comm. præd. ut altius tollere vel non tollere liceat.* Neque Viros Celeberrimos Voetium, Pagenstecherum & Stryckium sequor, ad *tit. de Serv. præd. urb.* existimantes, non aliam, in verbis allatis, Jurisconsultos denotasse altius tollendi licentiam, quam qua ego vicini ædes, meis sumtibus, altius tollere possum, ad mei prædii utilitatem: hos enim vel unus Justinianus refellit, scribens, confessoria agi, *jus sibi esse altius ædes SUAS tollendi*, in §. 2. *I de Action.* Si quis regerat, neque sic satis liquidam videri hujus servitutis rationem; quia pacto, etiam contra Principum edicta, & jus publicum admisso, non servitus inducitur, sed libertas tantum naturalis restituitur, quæ prius fuerat, per impositam a lege servitutem, ademta. Respondeo; omnis servitus altius tollendi simul continet servitutem, seu jus luminibus vicini officiendi. non quidem infinitum, sed ad boni viri arbitrium reductum: illa enim duo Cajus & Paulus, uno quasi spiritu conjunxerunt in *l. 2. & 4. D. de S. P. U.* Unde Cujacii opinio enata est, servitutem ne quis ædes suas altius tollat, & ne luminibus vicini officiat, unam esse *lib. XVII. Obs. c. 35.* Modus tamen diversus est, ut Marcellus indicavit & Ulpianus in *l. 10. 11. D. eod.* Verius ergo puto, servitutem *altius tollendi* præsupponere legem, edictum, constitutionem aut statutum, quo ultra certam altitudinem, vicino invito, nulli ædificare licet: qualia statuta Uratislaviæ & in Bavaria alii observarunt. Contra altius *non tollendi* servitus est, qua vicinus non potest in suo altius ædificare, quam nunc ædificatum habet, licet infra modum, lege concessum, subsistat. Auctor tamen est Javolenus, eum, qui hanc servitutem patitur, viridia supra eam altitudinem habere posse *l. 12. D. de S. P. U.* ubi *viridia* non tam sunt herbæ virides, sed horti, arbores & silvæ, quæ in tectis planis, & sine fastigio, a ditioribus habebantur. Seneca pater lib. V. contr. 5. *Alunt in summis culminibus nemora.* Seneca filius epist. 122. *Poma-*

 ria

ria in summis turribus serunt, quorum silvæ in tectis domorum ac fastigiis nutant. Vide ibi Lipsium in notis, Merillium *lib. I. Obs. c.* 34. & omnino Casaubonum ad Athenæum *lib. IV, c.* 12. Ceterum quod Justinianus in *l. ult.* §. 1. *C. de Servitut.* generaliter constituit, nemini licere, prope aream alterius triturariam sublimiorem, tam alte ædificare, ut idoneum ventum infringat, id ad usum & privilegia agriculturæ pertinet, quo ventus frumenta a paleis purgare possit, ut ex multis docuit amplisf. Cuperus *lib. II. Obs. c.* 14.

§. XIV.

Verum cui bono, inquis, tam subtilis & anxia, distinctionis inter non usum & usucapionem libertatis, investigatio, si Justiniani nova constitutione, in *l. pen. C. de Servitut. & aqua*, jam A. C. 531. in universum de omnibus realibus servitutibus cautum fuit, ut non utendo decem aut viginti annis amitterentur? Verba ejus sunt ista: *Ita & in ceteris servitutibus obtinendum esse censuimus; ut omnes servitutes non utendo amittantur: non biennio (quia tantummodo soli rebus annexæ sunt) sed decennio contra præsentes, vel viginti spatio annorum contra absentes: ut sit in omnibus hujusmodi rebus causa similis, differentiis explosis.* Trifariam hic videtur Imperator jus vetus emendasse: primum, quod pro biennio substituit longum tempus. Tum quod præsentiæ & absentiæ rationem haberi jussit. Deinceps omnes vult non utendo, nullas per usucapionem amitti. At si verum amamus, duas tantum correctiones priores instituit Justinianus, quoad tempus amittendi: non posteriorem, quoad modum: nam & Cajus in *l. 6. D. de S. P. V.* similiter dixerat, omnes servitutes certo tempore *non utendo* perire; sed cum hac dissimilitudine, ut in quibusdam cum omissione dominantis conjungatur usucapio servientis. Eadem restrictione nisi Constitutio illa suppleatur, frustra dici posset, post biennium, quam lata erat, tot loca Pandectis esse inserta, quibus libertatis usucapio continetur.

Quod

Quod autem ad introductum illud præsentiæ & absentiæ discrimen attinet, sciendum est, olim nil interfuisse, præsens an absens esset is, cui servitus debebatur. Nec enim in his servitutibus absentiæ ratio habita, quia non ad personas, verum ad prædia vicina se referebant. Et quamvis dein longi temporis præscriptio, vel quasi, in servitutibus admissa, decennium tamen sufficere videbatur, *l.* 10. *D. Si serv. vind.* Id quod corrigit Justinianus, absentibus tempora duplicari jubens, sicut ea jam ante duplicarat Paulus; si cui alternis tantum annis vel mensibus servitute uti liceret *l.* 7. *D. Quemadm. serv. amitt.* Finge autem. Hoc pacto servitus itineris est constituta, ut singulis quinqenniis uno die liceat ire, agere; an quot anni sunt intervallares, toties multiplicabitur tempus amissioni præscriptum? Ita somniant multi: sed Imperator nec in hac quidem specie plus semel duplicat tempus, & 20. annos præscribit, in *l. ult. C. de Servitut.* Isthæc etiam maximi momenti est Justiniani mutatio, quod cum olim servitutes personales, ut ususfructus, solo non usu perirent, etiamsi rei libertatem non possideret proprietarius, *l.* 44. §. 5. *D. de Usurpat. & usuc. l.* 20. *l.* 75. *Quib. mod. ususfr.* Paul. *l. III. Sent. tit.* 6. §. 30. hodie, præter illius cessationem, adhuc istius necessaria sit possessio, sine qua præscriptio non currit. *l. pen. C. de Usufr. l.* 2. *l.* 4. *l.* 7. *C. de Præscript. long. temp.* Atque hæc Usucapio libertatis Justinianea vocari posset, post *l. un. C. de Usucap. transf.*

§. XV.

Hoc ipsum denique & Mores constanter servant, ut in supradictis speciebus animus, de prohibendo servitutis usu, declarandus sit, prout præjudiciis confirmat Carpzovius *part. III. Dec.* 288. & *P. II. Const.* 4. *def.* 13. Item Responsa Jctor. Holl. *part. I. Cons.* 199. *in medio.* Barth. Cæpolla, non vilis auctor in materia servitutum, ideo disputationem suam hac de re *cap.* 24. *n.* 7. institutam, concludit his verbis: *Unde propter hoc tene omnia, quæ supra di-*

xi observanda esse, tam de jure Canonico, quam Civili, & tam in terris. Ecclesiæ, quam in terris Imperii. Mornacius etiam *ad l. 6. de S. P. V.* magni hoc discrimen fieri a scientissimis & peritissimis patronis, se vidisse ait, cum de ejusmodi præscriptione orta esset quæstio. Nec ad servitutes tantum hæc pertinet observatio, sed ad jura omnia, quæ in alieno exerceri possunt: ut patronatus, decimarum, operarum, servitiorum, venationis, molendini bannari &c. de quibus Stryck. in disp. *de non usu juris quæsiti.* Sic si quis per mille annos non fuerit venatus, haud amisit jus venandi, nisi vicinus semel prohibuerit, & in ea prohibitione alter acquieverit per longum tempus. Vide Carpz. *lib. I. Resp.* 36. *n.* 8. & *Resp.* 43. *n.* 15. Brunn. ad *l.* 1. *C. de Servitut. n.* 11. Lyncker. *Decis.* 961. An vero, ad præscribendam libertatem ab onere collectarum, necessaria sit interpellatio ex parte collectantis, & recusatio ex parte collectandi, discrepantes sunt Doctorum sententiæ, quas examinat Klockius *de Contribut. cap.* 16. *n.* 83. *seqq.* Cui jungatur Mevius *p. VIII. decis.* 312. & Harprecht *de Præscript. immunit. a collectis.* Illud forte monere supervacuum, apud Saxones, Belgas & alios, non nisi longissimo tempore libertatem usucapi. Richt. *p. I. dec.* 21, *n.* 59. Grot. *lib. II. Introd. cap.* 37. *n. ult.* Leeuwen *Cens. for. p. I. lib.* 2. *c.* 14. *in fin.* Omnes quoque norunt, Juris Canonici Philosophiam, quod ad bonam fidem attinet, juri civili, ubivis fere locorum, hodie præferri, ex *c. f. X. de Præscript.* Mynf. *Cent. IV. Obs.* 6. Mev. *P. II. dec.* 102. Recte, an secus, nunc non disquiro. Valde autem placet Jacobi Cujacii, Jurisconsultorum Phœnicis, & sedi Romanæ addicti, in *c.* 5. *in fin. X. de Præscript.* ea de re judicium: *Hunc locum,* inquit, *serva interim, ut probes, quam Cynici & fusci olim fuerint, quæve imperitia & incuria sit Curiæ Romanæ.*

C A-

CAPUT II.

DE

PRÆSCRIPTIONE SERVITUTUM.

§. I. *De Usucapione libertatis Pauli ratio firmatur, & Caji l. 9. D. de Usurpat. explicatur.* II. *In præsenti quæstione sex juris tempora sunt observanda. Secundum Legem XII. Tabb. Usucapio servitutum non fuit admissa. Verba legis aliter, quam ab Hotmano, Salmasio & Grævio explicantur.* III. *Media Jurisprudentia Usucapionem servitutum permisit, tam rusticorum, quàm urbanorum prædiorum. Cicero illustratur, Cujacius reprehensus.* IV. *Rursus Tiberii tempore, jus antiquum reduxit Lex Scribonia; quæ Consularis, non Tribunitia videtur.* V. *Quæ ejus legis fuerint rationes disquisitum: a Sabino & Paulo allatæ rejiciuntur; alia profertur, & conjectura fulcitur.* VI. *Post Scribonium nunquam usucapio servitutum reducta. Seneca, Aggenus & l. 14. D. de Servitut. illustrantur.* VII. *Fundo usucapto, etiam servitutes, quæ ei debentur, sunt usucaptæ. L. 10. §. 1. de Usurpat. variæ emendationes & explicationes. Pauli sententia cum aliis capitibus conciliatur.* VIII. *Prætor mox temporis diuturni præscriptionem indulsit, cujus requisita enarrantur.* IX. *Eam fuisse anomalam, & ab ordinaria præscriptione longe diversam; sola item Prætoris tuitione constitisse. L. 10. D. Si serv. vind. explicata.* X. *Ex Justiniani constitutione servitutes non usucapi, sed longo tempore præscribi. Titulus & bona fides requiruntur; scientia servientis non item.* XI. *Vulgaris error, dividentium servitutes in continuas & discontinuas, refutatus.* XII. *Moribus hanc distinctionem tenendam, ut continuæ longo tempore, discontinuæ immemoriali præscriptione acquirantur. Quid sit tempus memoriam hominum excedens. Cur annus & dies Saxonibus, triens sæculi placuerit Batavis.* XIII. *De remediis præscribenti competentibus, & natura præscriptionis.*

§. I.

POstulat nunc ordinis, quem ipse Paulus nobis præscripsit, ratio, ut de Lege Scribonia, atque ejus occasione,

ne, de præscriptione servitutum dicamus. Quæ pars etsi haud minore difficultate prematur, quam prior: enitar tamen pro virili, ut qualicunque modo provincia suscepta exornetur. Sed prius est, ut Paulum audiamus; qui ita pergit: *Quia eam Usucapionem sustulit Lex Scribonia, quæ servitutem constituebat, non etiam eam, quæ libertatem præstat, sublata servitute.* Quibus in verbis, & ratio præcedentis sententiæ continetur, & simul novi aliquid affertur de Lege Scribonia, quam frustra alibi quæras. Dixerat antea verius esse, libertatem servitutium usucapi posse; id vero, contra dissentientes, nunc muniendum erat ratione, quam animam & medullam legum, non ab re Rhetor quidam antiquus appellavit. More igitur suo hanc apponit elegantissimam: quia libertatis usucapio, lege illa correctoria, non fuit sublata, quæ servitutes usucapi vetuit, omnemque Mediæ Jurisprudentiæ disciplinam in hac materia purgavit; ergo quod mutatum non est, cur stare prohibeatur? Sane libertatis favor, pariter ac odiosa servitutis natura, hanc interpretationem suadebant. Facilius enim admitti potuit usucapio libertatis, per quam nihil novi fit, sed res ad pristinum statum naturalem revocatur, hunc vero conservari publice interest. Dispar etiam alia adhuc ratio videbatur: servitutes solæ, tanquam res incorporales, possessionem, &, quæ per eam fit, usucapionem respuebant. *l.* 25. *D. de Usurpat.* Qui vero libertatem usucapit, is non modo fundum vel ædes, ceu libertatis objectum, sed & id, quod contra servitutem positum vel ædificatum est, possidet omnino. Ita Julianus in *l.* 32. §. 1. *D. de S. P. U.* inquit: *Libertas servitutis usucapitur, si ædes possideantur. quare si is, qui altius ædificatum habebat, ante statutum tempus ædes possidere desiit, interpellata usucapio est: is autem, qui postea easdem ædes possidere cœperit, integro statuto tempore, libertatem usucapiet. natura enim servitutum ea est, ut possideri non possint, sed intelligatur earum possessionem habere, qui ædes possidet.* Atque ad hanc differentiam respexit Gajus in *l.* 9. *D. de*
Usur-

Usurpat. & usucap. quando ait: *Usucapionem recipiunt maxime res corporales.* Id est præcipue & principaliter, quemadmodum in *l.* 11. *D. de Rebus cred. l.* 90. *de Reg. Jur.* atque innumeris locis aliis hæc particula usurpatur: nam & libertas ædium, quæ incorporalis est, Hadriani ævo, quo Cajus vixit, usucapionem admittebat. Nil igitur opus, ut τὸ *maxime*, cum Cujacio ad *l.* 4. §. 1. *de Usurpat.* ad emblemata & emplastra Triboniani referamus: vel cum Brissonio lib. XI. de V. S. illud per *utique*, seu *ita demum* explicemus; quasi solæ corporales usucapionem recipiant: vel denique cum Wissenbachio in *Embl. Trib.* dicamus, post Legem Scriboniam servitutes usucaptas esse, quo nihil a juris ratione magis est alienum, ut ex iis, quæ nunc dicemus, apparebit.

§. II.

Sed quia non unus Wissenbachius hic lapsus est, & præter confusionem pauca in themate nostro promittunt Doctorum commentarii; omnino tempora, cum Galvano, distinguamus oportet; quo planius omnia percipiantur, quidve ante & post Legem Scriboniam, circa usucapionem servitutum obtinuerit, intelligatur. Primum esto XII. Tabularum: Alterum mediæ Jurisprudentiæ: Tertium Legis Scriboniæ: Quartum ab ea lege ad Justinianum: Quintum ipsius Justiniani: Et Sextum denique a tempore restauratæ Jurisprudentiæ ad mores hodiernos, quorsum labores nostros inprimis dirigamus oportet. Sequimur enim hac in re consilium Aristippi Philosophi, qui consultus, quid adolescentibus discendum putaret, id respondit, quod cum viri evasissent, ad usum vitæ maxime commodum esset futurum. *Quotus enim quisque tam patiens, ut velit discere, quod in usu non sit habiturus?* ad Aristonem Jurisconsultum, Plinius scribebat *lib. VIII. Ep.* 14. Quemadmodum vero in aliis disciplinis, sic & in Jurisprudentia, usu rerum vix potimur, nisi tota quæstio a primis initiis, & velut ab ovo repetatur. A Legibus itaque XII. Tabb. ceu omnis pu-

blici privatique juris fonte, ordiamur, quibus etiam Usucapio introducta est. Nota satis earum est formula, apud Ciceronem in Topicis, & pro Cæcina c. 19. USUS AUCTORITAS FUNDI BIENNIUM, CETERARUM RERUM OMNIUM ANNUUS USUS ESTO. Obscura sunt verba Decemvirorum priora, sed gratia vetustatis retenta, ut eorum multa alia, quæ ne Ciceronis quidem temporibus, a Romanis intelligebantur. Salmasius cap. 8. de Usur. pag. 210. legis verba ita interpungit: *Usus, auctoritas fundi biennium esto: ceterarum omnium rerum usus auctoritas annus esto.* deinde explicat, non ultra biennium patere locum auctoritati, id est actioni pro evictione, atque adeo evictioni ipsi. Hotmanus in comm. ad orat. pro Cæcina, *biennis* legit, & post *usus* comma quoque ponit. Verum tantum abest, eis ut accedam, ut potius *usus-auctoritas*, conjunctis vocabulis, mihi pronuntiata videatur. nam in Topicis connectendi particula abest, & in ea pro Cæcina perperam retinetur. Sic pignoris capio, capitis minutio, aliaque apud Ærodium ad Quintiliani decl. 295. & Gronovium avum in Observ. ad Hist. Eccl. script. c. 14. pag. 153. Duo hic sunt genitivi, qui a voce *auctoritas* reguntur, & *auctoritas usus* significat dominium ex possessione fundi quæsitum. Celeberrimus Grævius ordinem verborum hunc constituit, *usus fundi biennium auctoritas esto*, eaque interpretatur: usus seu usura fundi per biennium parit jus possessionis legitimæ. Sed quia dura locutio est, *usus biennium*, id est utentes per biennium, mihi *biennium* nominativus videtur, pariter ac *annuus usus*, qui ei opponitur, ut ordo sit talis: biennium pariet auctoritatem usus fundi, annus erit usus auctoritas ceterarum rerum; vel possessione dominium in rebus immobilibus biennio, in mobilibus seque moventibus anno acquiratur. Nullam vero Decemviri rerum incorporalium, ut servitutum, habuerunt rationem, quia fundamentum Usucapionis ponebant in usu, sive possessione; incorporalia vero possideri non possunt,

sunt. Utrumque & ratio dictitat, & multiplex testimonium Juris Auctorum, quos inter & Ælius Gallus apud Festum definit: *Possessio est* usus *quidam agri aut ædificii, non ipse fundus aut ager: non enim possessio est, nisi in iis rebus, quæ tangi possunt.* Javolenus quoque possessionem usum esse tradit in *l.* 115. *de V. S.* Nec usucapere aliud est, quam per possessionem dominium acquirere, & usu suum facere, ut ait Prætor in *l.* 21. *D. Ex quib. caus. maj.* Atque ex his satis, opinor, liquet, servitutem a non domino constitutam, vel ultro tentatam, cum fundo vel sine fundo, per Leges Decemvirales, usu acquiri non potuisse: idque jus, ut incredibili veneratione populi erat acceptum, antiqua Jurisprudentia, aspera illa & tenebricosa, ad Ciceronis fere ætatem, servasse videtur.

§. III.

Tum vero humanior ætas media successit: quippe Jurisconsulti posteriores, ad Augusti usque imperium, magis utilitate communi, quam verborum potestate, negotia moderabantur, multaque Legum capita in melius & æquius producebant. Hos inter haud postremus fuit Q. Mutius Scævolà, qui, Pomponio teste, jus civile primus generatim constituit: hic vero, libertatis usucapionem in mediam Jurisprudentiam, suo tempore, receptam esse, confirmat in *l.* 7. *D. S. P. V.* Quidni etiam credamus, ab iisdem juris Auctoribus usucapionem servitutis sine lege introductam fuisse? Nec multis opus est; rem omnem declarat disertissimus Scævolæ discipulorum Tullius, in Oratione pro Cæcina cap. XXVI. verbis quæ sequuntur: *Fundus a patre relinqui potest, at usucapio fundi, hoc est finis sollicitudinis & periculi litium, non a patre relinquitur, sed a legibus. Aquæductus, haustus, iter, actus a patre; sed rata auctoritas harum rerum omnium a jure civili sumitur.* Ecce! Leges XII. opponit juri civili, illisque usucapionem fundi, huic usucapionem servitutum adscribit, si Budæum sequimur ad *l. ult. D. de Evict.* Hotmanus in comment. ad hanc Cice-

 ronis

ronis orat. *ratam auctoritatem*, jus dominii firmum & fixum interpretatur, quod quomodo ad servitutes pertineat, non video. Potius *rata auctoritas* vindicationem servitutum & robur denotat, quod Jcti iis accommodarunt, si cum fundis possessæ & usu acquisitæ fuerint; nemo enim est, qui nesciat, eam Juris partem, quæ sine scripto in sola Prudentum interpretatione consistit, *Juris Civilis* nomen commune, suum ac proprium fecisse. *l. 2. § 1. D. de Orig. Jur.* Atque ita Emundus Merillius Justiniani verba explicat, in *pr. Inst. de Usucap. Jure civili constitutum fuerat*, id est ab antiquioribus Jurisconsultis: qui inter alia legem, de fundo loquentem, ad fundi qualitates extenderunt. Movebat eos, quod Decemviri ad Usucapionem exegerant *usum*, quem & quodammodo recipiunt servitutes, *l. 20. D. de S. P. V. l. 10. Si serv. vind. l. 1. §. ult. D. de Aqua & aquæ pluv.* Et sicut Usucapio rerum corporalium bono publico introducta erat, ut dominia rerum essent certa, sic & Reip. intererat, jura rerum in incerto non fluctuare. Possessionis igitur fictione; seu potius (ut Senecæ verbis utar) imagine, & translatione quadam, biennalis usucapio fuit admissa, exemplo rerum immobilium, auctore Paulo lib. 1. Sent. tit. 17. §. 2. *Servitus hauriendæ aquæ vel deducendæ biennio omissa intercidit, & biennio usurpata recipitur.* Nec in servitutibus urbanis tantum, ut Cujacius ad *h. l.* & cum eo Gravina, Cisnerus, Vinnius, Voetius, ac plerique alii voluere, sed & quam maxime in rusticis; quia Cicero & Paulus locis citatis exempla rusticarum tantum attulerunt, & magis erat, ut hæ usucaperentur, quia mancipi res erant, urbanæ non item, auctore Ulpiano *tit. XIX. §. 1.* Res vero nec mancipi, mobiles tantum, non immobiles usucapionem admittebant. *pr. Inst. de Usucap. l. 12. § 2. D. de Public. in rem act.* Veruntamen quia Paulus absolute ait, usucapionem servitutum deinde sublatam, verius est, & rusticas & urbanas usucapi potuisse.

§. IV.

§. IV.

Hæc ita obtinuerunt, ad Augusti usque vel Tiberii tempora, quorum sub imperio *Lex Scribonia eam usucapionem sustulit, quæ servitutem constituebat*, infit Paulus noster. Male Haloander *Lex Voconia* legit; hæc enim de hereditatibus mulierum lata erat, nihilque de usucapione sanciebat. Pessime item Robertus verba isthæc ita explicat, quasi Lex Scribonia sustulerit servitutum usucapionem, non quod ante usucapi potuerint; sed quia definiverit, eas non posse usucapi, quum juris regulæ & natura usucapionis sint impedimento. Quid vero est Lectorem ablegare ad capras sylvestres, si hoc non est? Sane pueri sciunt, qui nondum ære lavantur, id quod tollitur, antea obtinuisse oportere, & licet ficta ac impropria servitutum fuerit usucapio, tamen usucapio fuit; sicut Cicero, pleraque Jurisconsultorum ex fictis & commentitiis rebus constare, dixit in oratione pro Murena, c. 12. Illud autem apud Eruditos valde incertum est, lex nostra Consularis, an Tribunitia fuerit. Posterius placuit Cujacio, Hotmano & Balduino, quia Cicecero *in Bruto cap.* 23. & Livius *Epit.* 49. Scribonii Tribuni meminere. At hic de libertate Lusitanorum rogationem tulit, quæ nullo modo huc trahi potest, nec silentio eam præteriisset Tullius in ea pro Cæcina, ubi multis differit de usucapione servitutum, tum certe nondum sublata. Magis igitur in illorum sententiam propendeo, qui Legem nostram post ætatem Ciceronis a Consule quodam Scribonio latam existimant. Quanquam vix dici possit, num is fuerit L. Scribonius Libo, qui anno ab V. C. DCCXIX. cum Antonio, consulatum gessit, decimo fere post mortem Tullii, quæ Galvani sententia est *cap.* 12. *de Usufructu.* An nepos ejus, L. Scribonius L. F. Libo, qui cum T. Statilio Sisenna Tauro, Consul fuit sub Tiberio A.V.C. DCCLXVIII. ut Rævardus contendit *lib. sing. ad L. Scrib.* Galvanum movebat, quod uno tantum nomine hæc lex designatur, quum leges alias a binis Consulibus nomen ferant; tum quo-

quoque, quod Scribonium Sisenna auctoritate antecesserit, ut Dio indicat lib. 57. adeoque ejus nomen omitti non debuerit. Quicquid ejus est, scio, gloriosum fuisse, legem proprio nomine inscriptam promulgasse, sed & sæpe invidia, odium, aut vis legum latarum cognomen suppressit, ut ex facto Catonis discimus apud Dionem lib. 38. De gente Scribonia vid. Ryckium ad Tacit. *lib. II. cap.* 27.

§. V.

At vero quid impulit, inquis, Scribonium, ut usucapionem tolleret, prudentiore usu tot annos jam approbatam? Duplicem rationem adfert Paulus, unam Sabini, alteram suam, *quia*, inquit, *incorporales sunt servitutes*, *vel ideo*, *quia tales sunt*, *ut non habeant certam continuamque possessionem*, in *l.* 14. *D de Servitut.* Hæsitat Paulus, tanquam sententiæ incertus; & diffidens quasi rationi Sabini, ad quem scribebat, aliam statim πραγματικως, & in vulgus usitatam adnectit; ferme ac Ulpianus in *l.* 63. *D. de Ædilit. edict.* In prima Sabinus tanquam certum supponit, sine possessione nullam esse usucapionem; servitutes autem possideri non posse, cum sint incorporales *l.* 32. §. 1. *d. S. P. V. l* 25. *D. de Usurp.* at Paulus statim rationem magis specialem addit, nimirum quod tales sunt, ut non habeant certam & continuam possessionem: ideoque secundum naturam rei evenire, ut possessione amissa, usucapio interrumpatur. Maxime id apparere in rusticis, minus in urbanis, videbatur: nemo enim tam perpetuo & continenter ire agere potest, ut nullo momento possessio ejus interpellari videatur. *l.* 13. *D. de Usu leg.* At qui tignum semel immisit in ædes vicini, servitute semper utitur, etiam cum dormit; immo licet tignum exemtum sit, dummodo non sit obturatum foramen, in quod fuerat immissum; & tamen ne quidem urbanæ usucapi potuere. Verum Bachovio ad Wesenbecium *tit de Servit. n.* 6. neutra placet ratio. Schilterus etiam *Exerc. ad D. XVIII.* §. 5. utramque inadæquatam vocat: primam, quia post hanc Legem libertas servitutum usucapi potuit, quæ utique incorpora-

poralis est: alteram, quod à specie argumentatur ad genus, invita Dialectica; idem enim observari in servitutibus prædiorum urbanorum mox addit, quarum tamen possessionem magis esse continuam, ipse agnoscit in *l.* 28. *de S. P. V.* Eundem fere in modum contra Paulum ratiocinatur Vir Cl. van de Water *lib. II. Obs. cap.* 18. tandemque concludit, Jurisconsultum aut veram revocati juris veteris rationem ignorasse, aut ei, quæ Scriboniæ legi occasionem dedit, consulto substituisse alias, quæ & servitutum & usucapionis indoli accommodatiores videbantur. Quicquid est, ego Paulum neque cum Eguinario Barone injuria afficiam, nec cum Rævardo defendam: qui didici, unius rei plures posse dari causas, & JCtos rationibus probabilibus plerumque contentos esse, si de eo, quod juris certi & explorati est, agunt. *Nec enim fere ullæ sunt rationes juris auctorum, quæ non ex aliqua parte claudicant*, ait Cujacius ad tit. Inst de fiduc. tut. Itaque, omnibus rite expensis, vera Legis Scriboniæ causa, temporis brevitas fuisse videtur. Iniquum enim existimavit Scribonius, dominis ignorantibus, fundos & ædes spatio biennii servituti aliorum subjici: istis præsertim temporibus turbulentis, ubi inter tot bella civilia patrifamilias rebus suis invigilare non licebat, et media quoque in pace negligentia colonorum inquilinorumque, dominis absentibus plerumque, & rebus urbanis addictis, sic poterat esse damnosa. Nunc quippe, propagatis in immensum Imperii finibus, amplius sic in Italia non continebantur Quirites, ut eam non nisi voti, vel exilii causa egrederentur, pulsisque hostibus, ferro statim posito, rastrum manu sumerent, ut ante; sed contra accidebat ut, qui Romæ domos, in provinciis prædia possiderent, ibique mercaturæ gratia commorarentur. Placuit ergo S. P. Q. R. revocare strictam XII. Tabb. rationem, spreta æquitate mediæ Jurisprudentiæ, litibus pariendis idonea; quamobrem Paulus in usucapione libertatis aliquando duplicatum tempus concessit *l* 7. *Quemadm. serv. amit.* & Justinianus usucapionem *compendio-*

sam

sam dominii jacturam appellavit, *l. un C. de Usuc. transform.* Hac etiam ratione defendi posset, quod Hotmanus malo mori civitatis illam usucapionis concessionem adscribit *lib. IV. Obs. cap.* 7. Immo parum abest, quin suspicer, conceptam tum fuisse, in disputatione Fori, conditionem longioris temporis inducendi, quod & revera a Prætore mox substitutum est; nec enim Edictum hujus merum, juri civili tum recepto derogare potuisset *arg. l.* 1. §. 1. *D. de Fer. l.* 12. *D. de Publ. in rem act.* Hæc conjectura, ni fallor, aliorum rationibus præferenda erit, inprimis Goveani, Viri alias docti & ingeniosi, qui *lib. I. var. lect.* 14. ideo existimat, servitutes non usucaptas, quod in bonis non essent; tempus autem modum esse eas acquirendi, sicut pactum, stipulatio, legatum. At *l.* 1. *de Us. leg.* longe alium habet sensum; nec tempus, ullius rei est acquirendi modus *l.* 44. §. 1. *D. de Obl. & act.* Ut adeo ad Saliorum carmina hoc referri mereatur, quæ Fabius scribit, ne ab iis quidem, qui canebant, intellecta fuisse, judice Hotmano *lib. VIII. Obs. c.* 10.

§ VI.

Illud satis constat, lata Lege Scribonia effectum esse, ut ne servitutes inposterum a civibus Romanis usucapi possent. Nec quicquam opus est, ut huic rei firmandæ, argumentum a Seneca petamus, qui Neronis temporibus, *lib. VI. de benef. c.* 5. scribebat. *Jurisconsultorum istæ acutæ ineptiæ sunt, qui hereditatem negant usucapi posse*: quamvis enim servitus, pariter ac hereditas, sit res incorporalis, attamen discriminis rationem jam observavit Huberus *lib. II. Digress. cap.* 16. quod usucapio rerum est singularium, non universitatis rerum, qualis hereditas habetur. Non magis Aggenum Urbicum ad partes vocabo, quamvis de *itinere non usucapiendo* sermonem faciat, & nonnulli ad ipsius Tiberii tempora eum referant, saltem ante Pium vixisse constet. En tibi ejus verba, ex Comment. in Frontinum de limit. agr. pag. m. 53. *De fine enim lex Mamilia quinque aut sex pedum lati-*

latitudinem præscribit, quoniam hanc latitudinem vel iter ad culturas accedentium occupat, vel circum actus aratri, quod usucapi non potest. Non enim iter, qua ad culturas pervenitur, capitur usu, sed id quod in usu biennio fuit. Iter fundo hic oppositum, non præcise notat servitutem itineris, sed magis locum, per quem iter fit; ut verba præcedentia indicant, & Vir longe Celeb. Schultingius me monuit ad Paulum *lib. I. Sent. tit.* 17. §. 2. Rectius ergo sola Jurisconsultorum auctoritate hic utemur, in quorum libris plus semel regula juris repetita legitur, servitutes in universum usucapi non posse. Memorabilia hanc in rem sunt verba Masurii Sabini, apud Paulum lib. XV. ad Sabinum in l. 14. D. de Serv. *Servitutes prædiorum rusticorum etiamsi corporibus accedunt, incorporales tamen sunt; & ideo usu non capiuntur. Idem & in servitutibus prædiorum urbanorum observatur.* Intercalaris ratio heic omissa soli Paulo debetur, cetera Sabini sunt: pariter ac Ulpianus lib 41. ad Sabinum in *l.* 43. §. 4. *D. de Furtis* ipsa Sabini verba protulit, ut ex iis quæ Gellius habet *l. X. Noct. Attic. c. ult.* cognoscitur. Jam vero Sabinum sub Tiberio Cæsare vixisse, certus auctor est Pomponius *l.* 2. §. 47. *D. de Orig. juris.* nec peccabo forsitan, si auctorem & suasorem Legis Scriboniæ dicam Sabinum. Huic Titum Cajum adjungo, qui sub Hadriano & post Adrianum clarus, in *l.* 43. §. 1. *de Acq. rer. dom.* generaliter scripsit: *Incorporales res traditionem & usucapionem non recipere, manifestum est.*

§. VII.

Duo pulcherrima Ulpiani & Pauli loca cum his conferenda sunt, sed quæ difficiliorem inspectionem habent. Primas dabo Ulpiano; quia & regulam confirmat, & ex consuetudine ævi sui, exceptionem subjungit, in l. 10. §. 1. D de Usurpat *Hoc jure utimur*, inquit, *ut servitutes per se nusquam longo tempore capi possint, cum ædificiis possint.* Ex sententia Cujacii, Goveani & Fabri Domitius scripserat *nusquam usucapi.* Janus a Costa ad decret. pag. 422. post legem

Scriboniam, servitutes usucapi, nuspiam scriptum vel constitutum esse ait, ideoque *præscribi* non usucapi legendum esse contendit. M. Lyklama l. 2. Membr. ecl. 6. *nusquam* interpretatur, nec ruri, nec in Urbe. Sed utut voces *longo tempore* infarsisse Tribonianum non invitus largiar, hoc amplius tamen nihil peccavit; quia servitutes solæ usucapi non poterant, cum ædibus vero, ut bonitas, salubritas, ceteræque qualitates, sunt usucaptæ: quia multa per consequentiam fiunt, quæ directo non conceduntur, *arg. l.* 62. §. 2. *D de Acq. rer. dom.* Sic spatium quinque pedum, licet ex lege Manilia nullo modo usucapi potuerit, cum alieni tamen agri parte, longi temporis possessione, acquisitio ejus procedebat *l.* 2. §. 6. *l.* 7. §. 1. *D. pro emtore.* Atque hoc ipsum Ulpianus satis indicat per formulam *Hoc jure utimur*, qua Jcti significare solent, aliud oblique, & per circuitum in foro observari, quam per se juris ratio ferat. Vid. *l.* 1. §. 11. *l.* 3. *D. de Aqua quot. l.* 18. *pr. de His quæ ut ind.* juncta *l.* 51. §. 2. *D. Ad leg. Aquil.* At si hæc vera sunt, qui suo ævo potuit scribere Paulus lib. 1. sent. tit. 17. in fin. *Servitus hauriendæ aquæ vel deducendæ biennio omissa intercidit, & biennio usurpata recipitur*? Galvanus cum Cujacio respondit, Paulum loqui, non de nova servitute acquirenda, sed de veteri recuperanda: facilius enim rem reverti ad pristinam conditionem, quam de novo constitui. Wissenbach *ad D. Disp.* 20. §. 22. satis habet respondisse; Pauli sententiam, quia in Pandectas non est relata, juris auctoritate destitui. Giphanius ad *l.* 2. *C. de Servit.* eo delabitur, ut nihil hic certi propter librorum amissionem cognosci aut definiri posse credat. Verum Cl. Schultingius in notis *ad. h. locum*, Julium loqui, ait, de illa, quæ plane amissa est usurpanda, sive usu acquirenda: nec enim jus sublatum amplius durat, per *l.* 98. §. 8. *D. de Solut.* Accipit autem hæc verba de jure antiquo, quod obtinuit ante Legem Scriboniam; quemadmodum Paulus passim ex jure civili sententias his libris inserere amat.

§. VIII

§. VIII.

In locum sublatæ usucapionis, mox humanitas Prætoris temporis diuturni præscriptionem introduxit. Multa alia sunt hujusmodi, quæ usucapionem effugiunt, & præscriptionem tamen admittunt, quæ diligenter & erudite collegit Janus a Costa *ad pr. & §. 7. Inst. de Usucap. & ad decretal. p.* 421. Sic intervallum illud quinque pedum, de quo in *l. 5. C. Fin. reg.* res fisci, vel civitatis, prædia provincialia, & agri vectigales, tam in Italia quam in provinciis, usucapi non poterant, in quibus tamen locum habuit præscriptio longi temporis, tanquam remedium subsidiarium usucapionis, ne bonæ fidei possessori tanto tempore quæsita possessio temere auferatur. Unde Dioclet. & Maximianus in *l. 2. C. In quib. caus. cessat.* eleganter Dionysio rescribunt, in negotiis, ubi usucapio procedit, ad quæstionem longi temporis præscriptionis superfluo perveniri. Sed in his exemplis beneficio Principum præscriptio concessa erat; nostra a Prætore introducta est, sedemque habet in famosa *l. 10. D. Si serv. vind.* cujus verba adscribo: *Si quis diuturno usu & longa quasi possessione, jus aquæ ducendæ nactus sit, non est ei necesse docere de jure, quo aqua constituta est, veluti ex legato, vel alio modo: sed utilem habet actionem, ut ostendat per annos fere tot, rem se non vi, non clam, non precario possedisse.* Inscriptio legis *Ulpianus lib. 53. ad Edictum*, & mentio *utilis* actionis satis arguunt Prætorium hoc remedium esse; unde & Magistratibus, qui jurisdictioni præsunt, illud tributum videas, ut tueantur ductus aquæ, quibus auctoritatem vetustas daret, tametsi jus non probaretur, in *l. fin. D. de Aqua & aq. pluv.* & officio Prætoris nominatim in *l. 1. §. ult. D. de S. P. R.* Quatuor autem, ut officium suum impertiatur, exigit Prætor, (1.) ut præscribens ultro usus sit fundo alieno (2.) tanquam serviente, (3.) non vi, clam vel precario (4.) per tempus diuturnum. Titulus ad hanc usurpationem non requiritur, non quod servitutes modici sunt præjudicii, ut Dynus & Bartolus ajebant: quid enim

 gra-

gravius est, quam fundum nostrum affici servitute? sed quia nititur ipsius domini patientia, qua nullus titulus magis naturalis est. *l.* 28. *D. d. V. S.* quam rationem Faber *lib. XIX. Conject. c.* 10. una cum laudatis requisitis, pluribus illustravit. Duareno autem dissentienti *lib.* 1. *Disp. c.* 34. satisfecit Donellus *lib. XI. cap.* 12. Schifordegerus *lib. I. tract.* 6. *qu.* 1. *seqq.* & Vinnius *l.* 1 *Sel. quæst* 31. Nec bona fide opus est; quia tertium requisitum diluit quicquid a mala fide labis vel vitii adspergi præscriptioni potest. Unde summa præscriptionis hujus æquitas simul & utilitas intelligitur; nominatim enim ait Paulus: *minuendarum litium causa*, quæ frequentissimæ inter vicinos oriri poterant, vetustatem semper hic pro lege haberi *l.* 2. *pr. D. de Aqua & aq.* & Ulpianus *vetustatem vicem legis tenere* in *l.* 1. §. *f. eod.* Nonne enim verisimile est, dominum, qui in fundo suo, quem possidet, alium servitutem palam exercentem & fistulas v. gr. tubosve ponentem, nunquam prohibuit, imo ne solennem quidem testationem interposuit, patientia & silentio suo, in servitutem consensisse? Aut si tam perdite supinus fuerit, ut quem ceteri omnes eo in fundo ire ambulare videbant, servitutem sibi quærere non intellexerit, sic merito negligentiæ suæ pœnas luit, ne melioris sit conditionis stultus, quam peritus, ait Venulejus in *l.* 4. *D. Quod vi aut clam.* Junge *l.* 6. *pr. D. de Usuris l.* 9. §. *f. D. de Juris & facti ign* Egregie dicebat Varro: *Boni patrisfamilias esse, singulis annis rerum suarum rationes inire, &, si quid desit, altero anno requirere; mobilium singulis quoque semestribus.*

§. IX.

Ad hanc præscriptionem omnia Pandectarum loca referenda sunt, in quibus dicitur, servitutes ex usu temporis acquiri. Notandum autem valde, Jurisconsultos timide & verenter de ea loqui, tanquam longius recedente a ratione juris; unde nuspiam præscriptionis vocabulo, sed *patientiæ* & aliis ejusmodi vocibus eam designarunt. Ulpianus in l.

11.

11. §. 1. D. de Public. in rem act. *Servitutibus urbanorum prædiorum per traditionem constitutis vel per patientiam.* Idem in l. 1. §. ult. D. de S. P. R. *Traditio plane & patientia servitutium inducet officium Prætoris.* Plane anomala & extraordinaria prorsus est hæc præscriptio: ut Illustris Coccejus, disputatione singulari, eam nominavit, & esse ostendit. Quum enim in ordinaria Constitutionibus Principum tempus longum esset definitum, inter præsentes 10. inter absentes 20. anni *l. 76. §. 1. D. de Contrab. emt.* Extraordinariæ tempus Prætoris judicio relictum fuisse videtur, qui vetustatem, & longam consuetudinem, cujus initii memoria non extaret, plerumque requirebat, per *l. 1. §. ult. l. 2. pr. & § 7. l ult. de Aqua & aquæ pluv l. 3. §. 4. de Aqua quotid.* Hos vero textus auctor *l 2. C. Th. de Præscr. long. temp.* in animo habuisse videtur, quando ait, in legibus anterioribus, præscriptionem quadraginta annorum *vetustatem* appellari. Summus Cujacius, in alia omnia abiens, vetustatem in *dd. ll* accipit pro spatio viginti annorum, & *l. 2* corruptam pronunciat *lib XVIII. Observ. c. 28.* sed Janus a Costa *ad Decret. p.* 424. & Jacobus Gothofredus ad *l. 2. C. Th. de Longi temp. præscript.* quantum satis est, ejus argumenta excusserunt. Porro ad ordinariam possessio erat necessaria, quæ rerum tantum est corporalium, nec sine justo titulo contingebat. Contra ad hanc usurpationem sufficit quasi possessio rerum incorporalium, nec titulus requiritur, cujus vicem domini patientia subit. Proinde JCti non usu longo impositam servitutem, sed velut jure impositam; non servitutem quæsitam, sed quasi servitutem, &, quod idem valet, longæ possessionis prærogativam ac consuetudinem per quasi possessionem acquiri dixerunt. Sic Ulpianus in l. 1. in fin. D. de Aqua & aquæ pluv. *Ubi servitus*, inquit, *non invenitur imposita, qui diu usus est servitute, neque vi, neque precario, neque clam, habuisse longa consuetudine vel ex jure impositam servitutem videtur, eritque ista* quasi *servitus.* Rursus in l. 5. §. pen. D. de Itin. act. priv. ita loquitur:

Si quis servitutem jure impositam non habeat; *habeat autem velut longae possessionis praerogativam*; & Antoninus Caracalla in l. 1. C. de Servitut. *Is, qui judex erit, longi temporis consuetudinem vicem servitutis obtinere sciet.* Idem in l. 2. eodem. *Servitutem, exemplo rerum immobilium, tempore quaesisti.* Tuetur igitur Praetor hanc acquisitionem, quia in servitutibus usus pro possessione esse videtur *l. ult. D. de Servit.* & earum quasi possessio est *l.* 10. *D. Si serv. vind.* immo, quoad effectum juris, nonnunquam absolute & naturaliter possideri dicuntur *l. ult. D. de Itin. act. priv. l.* 20. *D. de S. P. V. l.* 2. *D. Comm. praed. l.* 12. *D. de Acq. poss.*

§. X.

Haec praescriptionis hujus fuerunt fata, usque ad Justinianum. Is vero transformata licet praescriptione in usucapionem in *l. un. C. de Usuc. transf.* servitutes retro usucapi noluit, quemadmodum nonnulli cum Graecis loquuntur. Hos inter Cujacius olim fuit, sed is rectius sententiam mutavit, ut ex *Parat. Cod. de Praescript. longi temp.* colligi posse videtur. Adaequatio enim ista ad tempus & loca, ut & res mancipi & nec mancipi, non ad discrimen rerum corporalium & incorporalium pertinuit; qua de re Janus a Costa *ad tit.* 26. *lib.* 11. *Decretal. pag.* 423. & Galvanus *cap. XI. Diss. de Usufr. n.* 17. conferantur. Porro ex *dd. l.* 1. *&* 2. *C. de Serv.* colligi quidem posse videtur, jam tempore Antonini, ordinariam praescriptionem in servitutibus esse admissam: nil certi tamen ex verbis, *exemplo rerum immobilium*, definiri potest; quia scimus, rescripta Imperatorum ad species nobis ignotas dari consuevisse, nec verba eorum omnia continere decisionem. Nunc vero plenius Imperator praescriptioni extraordinariae superaddidit ordinariam; hoc effectu, ut decem annis inter praesentes, viginti inter absentes servitus acquiri possit. Quum enim in *l. ult. C. de Praescript. long. temp.* multa constituisset, circa praescriptionem longi temporis, tandem in fine subjicit: *Eadem observanda & si res non soli sint, sed incorporales, quae*

in

in jure consistunt, veluti ususfructus, & ceteræ servitutes Quod si ergo patiente vicino aquam ex ejus puteo hauriam, non præcedente contractu, locus adhuc est præscriptioni anomalæ, de qua tollenda Justinianus nihil dixit. Sin vero a vicino non domino servitus est vendita, legata, donata, aut alio titulo mihi constituta, qui ignoro vicinum verum non esse fundi dominum, præscriptio ordinaria obtinebit Atque in hac titulo & bona fide omnino opus est: bona fide, quia servitute usus non videtur, nisi is qui jure suo uti se credidit *l. fin. D. Quemadm. serv. amitt.* Titulo, propter *l.* 27. *D. de Usucap. l.* 24. *C. de Rei vind. l.* 4. *C. de Præscript. long. temp. l.* 8. *C. de Præscript.* 30. *annor.* quibus ita demum dicitur præscriptio procedere, si quis emtionis, legati vel alio titulo possedit. Et ratio adstipulatur, quoniam traditio sine titulo alias foret nuda, quæ jus in re non transfert, & sic precario servitute possessor uteretur. Nihil etiam notius, quam, titulo deficiente, præscriptionem longissimi temporis & triginta annorum decursum desiderari, per *d. l.* 8. §. 1. *C. de Præscr.* 30. *ann.* Ceterum scientia veri domini, neque in ordinaria neque extraordinaria præscriptione, necessaria videtur: non in hac, quia *l.* 10. *D. si serv. vind.* nihil aliud, quam usum diuturni temporis exigit: nec in illa, quia *l. fin. C. de præscript. long. temp.* scientiam vel ignorantiam non attendi docet, illis verbis: *Nulla scientia vel ignorantia expectanda.* Accedit Paulus in *l.* 28. *D. de V. S.* *Alienationis*, inquit, *verbum etiam usucapionem continet: vix est enim, ut non videatur alienare, qui patitur usucapi.* Idem *longioris temporis silentio finita* judicio terminatis, & transactione compositis comparavit in *l.* 230. *D. de V. S.* Ipsa denique præscriptionis ratio hoc dictitat, quæ ad puniendam desidiam dominorum, sive scientium, sive res suas non curantium, introducta est. Ad *l.* 16. *D. Si serv. vind.* & *l.* 2. *C. de Servit.* quibus Corasius, Connanus, Giphanius & Bachovius in omnia alia euntes, nituntur, videatur Galvanus *Diss. de Usufr.* *cap.*

cap. 21. §. 9. Bronchorstio autem Zacharias Huberus satisfecit, in Diss. An usucapio perimat jura in re, *c* 4. §. 3. Sit igitur conclusio, jure novissimo tribus modis servitutes per præscriptionem acquiri (1.) modo illo extraordinario, si quis fundo alieno utitur non vi, non clam, non precario (2.) Præscriptione ordinaria longi temporis, si bona fides & justus titulus adsint. (3.) Triginta annorum possessione, si a non domino accepit & titulo destituitur præscribens. Quartus modus addi posset, cum id prædium usucapitur, cui servitus debetur *l.* 10. § 1. *de Usucap.* Sed revera tum nova servitus non constituitur, quia prædium suæ conditiones sequuntur *l.* 23. §. 2. *D. de S. P. R.*

§. XI.

Hoc pacto si quinque illa tempora hactenus recensita distinguantur, omnia tranquilla sunt, quæ deinde superiorum temporum interpretes rursus turbarunt, adeo ut vulgaris error lubrico lapsu pervaserit in mores regionum. Tres diversas sententias recensuit Hertius, & confutavit in Diss. de Servit. facto const. *Sect.* 2. qui tamen ipse non satis præscriptionem ordinariam ab extraordinaria discrevit. Practicorum vero antesignani Bartolus & Baldus famosam in hac quæstione distinctionem, inter servitutes continuas & discontinuas introduxerunt, quos deinde Balbus *de præsc.* 4. *part.* 2. *qu.* 1. Cæpolla *de Servitut. urb. præd. cap.* 20. Fachinæus *l.* 8. *controv. c.* 22. & plerique alii, ut grus gruem, secuti sunt. Continuas vocant, quæ sine facto hominis exercentur: ut sunt pleræque servitutes urbanorum prædiorum; tigni immittendi, oneris ferendi, & id genus aliæ. Discontinuas, quarum usus non est, nisi hominis facto intercedente; veluti iter, de quo Paulus scriptum reliquit, neminem tam continenter tamque perpetuo ire posse, ut nullo momento ejus possessio interpellari videatur, *l.* 14. *D. de Servit.* & alibi: *viæ servitus una est*; *quia natura sui habet intermissionem*, in *l.* 13. *D. de Usu & usufr. leg.* Illas longo tempore; has, si titulus absit, immemoriali

riali præscriptione acquiri volunt. Non equidem negari debet, alias servitutes continuum usum & possessionem habere, alias non item: nec enim in æternum pluit, nec jus pascendi hieme exerceri potest; & fontis alia, quam stillicidii est ratio. Id vero ad præscriptionem facit nihil: tum quia sufficit omnium servitutum causam esse perpetuam, id est aptas esse, ad utilitatem recipiendam & præstandam; tum quia earum possessio, cum semel cœperit, animo retinetur. *l.* 28. *D. de S. P. V. l.* 9. *D. de S. P. R. l.* 3. § 7. *D. de Acq. possess. l.* 1. §. 2. *D. de Itin. act. priv.* Hactenus igitur recte ea distinctio primum a Johanne Longovallo, in tractatu suo ad *l.* 3. *D. de Jurisd.* tentata, deinde conspirantibus suffragiis a Barone, Duareno, Connano, Fabro, Donello, Schiffordegkero, & Cisnero rejecta est & repudiata. Inaudita enim Prudentibus nostris sunt nomina continuarum & discontinuarum servitutum: deinde aquæductus ex earum numero est, quas discontinuas vocant, & tamen, exemplo rerum immobilium, longo tempore acquiri potest *l.* 2. *C. de Servit.* Quinimo de omnibus servitutibus generalis definitio est, quod longo tempore acquirantur in *l. ult. in f. C. de Præscr. long. temp.* ubi nominatim quoque cavetur, usumfructum hoc temporis spatio præscribi, cum tamen idem fere, quod de itinere Paulus scribit, in hanc servitutem quadret. Certe dormiens non magis uti frui dici potest, quam actus animi & voluntatis non nisi in vigilantem cadunt. Vide tamen ad dict. *l.* 13. *D. de Usu & usufr. leg.* Cujacium *l. XIV. Obs. cap.* 18. Adde quod servitutes, etiam discontinuæ, longo tempore amittuntur *l. pen. C. de Serv.* ergo eodem ut acquirantur, & ratio suadet, & arg. *l.* 35. *D. de R. J.* Si quæras, quibus locis & rationibus veteres illi dissentientes, in re tam perspicua, decepti sint? Scias velim, hos potissimum textus in eorum sententiam detorqueri, *l.* 14. *D. de Serv. l.* 28. *D. de S. P. V. l.* 3. §. 4. *D. de Aqua cottid. l.* 1. *l.* 2. *C.* de

de Servit. & verba, *per annos fere tot*, in *l.* 10. *D. Si serv. vind.* At si curatius ea omnia inspicias, collectiones & argumenta inde desumta, non modo pro istorum sententia non facere, sed vehementer eam quoque oppugnare animadvertes, ut Antonius Faber *lib. XIX. Conject. c.* 9. 10. & 11. solide demonstravit; licet nec is distinctam & plenam praescriptionis extraordinariae habuerit ideam. Ad usum item regulae *l.* 28. quod attinet, neque in ejus applicatione, quoad praedia dominantia sibi constitisse Jurisconsultos, neque quod ad servientia eam foro placuisse Viri Clarissimi Thomasius *in Dissert. Lips. de Servit. stillic.* §. 26. *seqq.* & Titius *Obs.* 244. *ad Laut.* ostenderunt, quorum scrinia non compilo.

§. XII.

At quid in praxi? Error jus fecit. Siquidem unanimi Pragmaticorum calculo approbata est sententia, solas continuas longo tempore acquiri, in discontinuis seu rusticis vero opus esse praescriptione immemoriali. Ita Carpzov. *p.* 2. *c.* 4. *def.* 8. Brunnem. *ad l. f. C. de Servit.* Kœppen *decis.* 97. Lauterb. *Concl. for.* 2. *exerc.* 18. Hancque sententiam in Camera Imperiali receptam, confirmant Gail. *l.* 2. *Obs.* 66. *n.* 7. Mynf. *cent.* 4. *Obs.* 53. Klock. *Vot. Cam. relat.* 131. *n.* 24. Et de usu ejus in Hispania, Delphinatu & Bavaria Dd. apud Struckium *Us. Mod. lib.* 8. *tit.* 1. §. 6. testantur. Certe quum ipsa ratio prudentiae civilis, quae Legem Scriboniam suasit, heic quoque adsit, ne compendiosa libertatis jactura frequentetur: quumque durum sit, ut dominus invitus in re sua aliquid patiatur: nec servitutes, velut stricti juris, ulla interpretatione juvari debeant: & usus denique optimus legum interpres habeatur: ideo consultius duco, cum prudentissimo Schiltero, receptam hanc in foro sententiam sequi, quam cornicum oculos effodere, *Exercit.* 18. *ad ff.* §. 7. Inprimis, si restringatur ad casum, ubi de titulo non constat: nam si titulo servitus sit acquisita, bonaque fide possessa, etiam discontinuas longo tempore acquiri, concedunt Brunn. *ad l.* 2. *C.* de

de Servit. Wurmſ. *tit.* 27. *Obſ.* 5. Bene Mevius p. 9. deciſ. 164. *Nimis*, inquit, *durum & iniquum judicarunt, ut dominus, qui ex jure dominii fundatam intentionem habet, ſervitutem perpetuam ideo tolerare cogeretur, quod per illud tempus alter ſuo fundo uſus eſt, cum id ſeu vi, ſeu clam, ſeu precario, ſeu vicinitatis occaſione, ſeu familiaritatis cauſa fieri potuerit: viſumque eſt, nec cum bona fide aliquem, qui ejus titulum non habet, hoc prætendere, ideoque nec præſcribere poſſe. Non aliter igitur ſine titulo præſcriptionem admiſerunt, quam ſi per tempus, cujus non exſtat memoria, quis ſervitute uſus eſſet. Quam opinionem, ut rationi convenientiorem, æquiorem, communiorem, & cum alibi in praxi forenſi, tum in Camera Imp. receptam, in ſummo Tribunali ſequi placuit.* Quid autem ſit præſcriptio immemorialis, qua discontinuæ acquiruntur, non convenit inter Doctores. Alii centum annos requirunt, alii centenaria majorem tantum admittunt. Verum bene notatum eſt a prudentioribus Jurisconſultis, certum tempus hic definiri non poſſe, quia ſufficit neminem, qui initii meminerit, ſupereſſe. Id enim tempus, licet limites certos habeat, per humanam imbecillitatem pro infinito habetur *l.* 3. §. 4. *D. de Aq. & aq. pluv. c.* 26. *X. de V. S.* Grotius videatur *lib.* II. *d. J. B. & P. c.* 4. §. 7. & Coccejus *jur. contr. lib.* 41. *tit.* 3. *qu.* 32. In Saxonia præſcriptiones longi temporis extenſæ ſunt ad 31. annos, 6 ſeptimanas & 3. dies, ideoque ſervitutes ruſticas tot annis etiam acquiri, communiter aſſeritur. Carpz. *l.* 1. *Reſp.* 36. *n.* 3. Richter. *p.* 1. *deciſ.* 21. *n.* 59. Berlich. *part.* 2. *concl.* 6. *n.* 13. Anni, hebdomadum & dierum additio facta, ut exacta licet præſcriptione, modicum adhuc ſpatium haberent deſides, quo actionem inſtituere, moramque purgare poſſent; qua de re pleniſſime Eruditiſſimus Gundlingius, parte XXVI. Gundling. Apud Batavos præſcriptio ſervitutum & continuarum & diſcontinuarum triente ſæculi adimpletur. Grotius *Manud. ad Juriſpr. Holl. lib.* 2. *cap.* 36. *n.* 4. Sæ-

Iii 2 cu-

culum enim *tres* ferme hominum ætates continere, aut *γενεὰς* tres efficere folet, ut poft Herodotum in Euterpe, & Plutarch. de defectu oracul. Herodianus lib. III. cap. 8. & Porphyrius in Homericis quæft. notarunt. Servius annos triginta *fæculum brevius* appellari quibufdam ait, ad V. Æn. 508. Gallis *fexta Luna principia fæculi facit, poft tricefimum annum*, ait Plinius lib. XVI. H. N. c. 44. Illud quoque variorum locorum ftatutis & confuetudinibus obtinuit, ut fi quis fciente vicino aliquid ædificaverit, vel cum eo ignorante opus perfectum effet, is deinde intra annum & diem non contradixerit, deftructio deinde non impetretur, fed is, qui ædificavit, ad id quod intereft, vicino tantum condemnetur. Argentreus *ad conf. Brit. art.* 371. Voet. *ad ff. lib.* 8. *tit.* 4. §. 6. Nec hoc monere prætermittam, fi alter vicinorum jus quoddam ex libertate naturali exerceat, alter vero jure fuo contrario longo tempore vel immemoriali ufus non fit, inde fervitutem non acquiri. V. gr. fi Cajus parietem fuum aperuerit, & feneftras confecerit, Titius vicinus autem lumina iftæc non obfcuraverit, nec arbores plantaverit, nec altius fuftulerit ædes fuas, perperam inde Cajus fervitutem ne luminibus officiatur, vel altius non tollendi fibi afferet, quia rebus meræ facultatis, non præfcribitur, ut conftat ex *l.* 8. *&* 9. *C. de Servit.* & pluribus deduxit Heroldus *Obf. for. dec.* 29. Idem dicendum, fi quis ex familiaritate, vel ad preces vicini, jure aliquo longo vel longiffimo temporis fpatio non utatur *l.* 2. §. 2. *l.* 15. *D. de Precar.* Mev. *p.* 9. *decif.* 165. *n.* 6.

§. XIII.

Supereft de remediis agamus, quæ præfcriptione fervitutis adimpleta conceduntur. Equidem præfcriptio fui natura tantum eft exceptio, non actio: nihilque intereft, five exceptionem rei judicatæ, doli, metus, rei venditæ, litigiofi, pacti, temporis, jurisjurandi dixeris, five præfcriptionem, *l.* 11. *D. de Except. l.* 91. *D. de Solut. l.* 5. *D. de Ac-*

Accusat. Hoc significatu Tertullianus librum *de Præscriptionibus*, id est, exceptionibus & defensionibus *adversus hæreticos* scripsit: & Cicero lib. II. ad Herennium: *Præscriptio sive translatio esse videtur quædam exceptio.* Item Fortunatianus Rhetor lib. I. *Quid interest*, inquit, *inter Præscriptionem & Translationem? quod Præscriptio excludit actionem: Translatio autem differt.* Ratio appellationis a Græcis petita est, qui exceptionem vocabant παραγραφὴν, id est, *præscriptionem*, eo quod tota facti series verbis judici præscriptis erat demonstranda. Ita plus semel usurpavit Demosthenes *contra Midiam*, aliique Oratores. Sed optime notavit Suidas, peremtoriam exceptionem hoc nomine magis significari, quam dilatoriam, v. c. si res jam prius judicata esset: quod & Plutarchus in Quæstionibus Romanis confirmat. In libris autem nostris, temporum exceptiones regulariter & frequentius præscriptiones dicuntur. Cum enim vindicanti rem suam domino possessio longi temporis objicitur, præscribi ei dicitur, præcisa & imperfecta locutione. Ulpianus in l. 5. §. 1. D. de Diversf. temp. præscr. *Exceptione longæ possessionis uti possit*; & Justinianus l. 11. C. de Præscr. long. temp. *memorata longi temporis exceptio.* Adeo autem Præscriptio exceptionem tantum parit, ut ex sola tantum 30. annorum præscriptione actio directa detur, cum bona fide subnixa est. *l.* 8. §. 1. *C. de Præscr.* 30. *ann.* Ei vero qui non vi, clam vel precario usus est, conceditur a Prætore utilis confessoria, perinde ut ex servitutibus *l.* 10. *D. si serv. vind.* eaque non servitutes modo, sed publica quoque jura, quæ usu, inprimis Germaniæ, patrimonialia sunt facta, & quæ instar servitutum in alieno exercentur, uti jura patronatus, venationum, piscationum, quin ipsæ jurisdictiones, etiam criminales, seu merum imperium, ceteris paribus, vindicantur. Brunn. *ad d. l.* 10. *n.* 2. Gail. *l.* 2. *Obs.* 66. *n.* 1. *& seqq.* Zas. *l.* 1. *sing.* *c.* 11. ubi *innominatas servitutes* vocat. Denique & inter-

dicta eadem dantur præscribenti, quæ ex servitute dari solent. *l.* 1. §. *ult. D. de Aqua & aquæ pluv. l.* 1. §. 2. *D. de Itin. actuque l.* 3. §. 4. *D. de Aqua cot. & æstiva.* Conferatur Illustris Cocceji Disputatio *de Præscriptione extraordinaria ad l.* 10. *Si serv. vind.* §. 83. *& seqq.*

FINIS.



DIS-



DISSERTATIONIS NONÆ, DE CONSULIBUS, QUI EXTRA ROMAM,

Occasio & scopus.

DE Consulibus Romanis eorumque officio, dignitate & insignibus anquisite satis satisque sollicite egerunt multi, iique Antiquitatum Romanarum peritissimi Viri; sed majore cum apparatu & diligentia eos exornavit Petrus Faber, Jurisconsultus: quia Marcellum & Ulpianum libros de Officio Consulis scripsisse, & Jus Publicum in Sacris, Sacerdotibus & Magistratibus consistere sciebat. Subit vero animum cogitatio, qui factum sit, ut plerique Romanis tantum fuerint intenti; reperiatur autem nemo, qui Consules extra Romam professâ opera probarit, & iverit illustratum. Quamobrem Officia Consulum, quibus libens meritoque interfui non pridem, & Urbis Trajecti dies, quam vidimus, natalis me monebat, uti curatius paulo & diligentius, quam olim, in libro de Ædilibus coloniarum singulari, feceram, Consules hosce in lucem proferrem. Non quod verebar, ne nobilissimæ hujus Metropoleos Rectores no-

nominis controverfiam a rigidis Ariftarchis paterentur, quibus nullus, nifi Conful Romanus placet: fed partim, ut ex antiqua formula, *Avete Ampliffimi Confules* acclamarem; partim etiam, ut res fcitu jucundiffima, ex lapidibus litteratis, & varii ævi auctoribus, & noftris, id eft Jurisconfultorum thefauris confirmaretur. Qui enim horis fubfecivis in Philologorum caftra, non ut transfuga, fed tanquam explorator, tranfire foleo, nonnulla videbar obfervaffe; ex quibus hoc fubitarium paucorum dierum dicam, an noctium, fchediafma decerpendum duxi. Stimulos addebat Arcadii & Honorii conftitutio, qua *votis communibus* annum felicem olim apertum teftantur, *l. un. C. de Oblat. vot.* Ipfe feftas Romanis fuiffe Kalendas Januarias, totasque in lætitia & gratulationibus pofitas, in mentem mihi revocabam. Tunc maxime Quirites gratam recuperatæ libertatis memoriam recolebant, & præftito folenni jurejurando, pro æternitate Reipublicæ, pro honore Senatus, pro Civium falute vota nuncupabant & perfolvebant. Et quid vetat, Mufas noftras, prifcum illud Confulare carmen: *Quod bonum, fauftum, felix, fortunatumque fit* concinuiffe? Major equidem, in illa terrarum Dea gentiumque Roma, Confulatus fuit fplendor; fumma ejus domi auctoritas, & militiæ poteftas. In liberis tamen Rebuspublicis Confules eandem hodie in fluvio fuo gubernant navem, quam olim Duumviri in mari Ægeo Populi Romani. Illorum nomina annos fignabant, & rebus geftis ad memoriam temporum præfcribebantur: Chriftianos autem, inde a Caroli Magni ufque & Caroli Craffi temporibus, non puduit a nato Servatore fuo, fato ad invidiam felici, annos numeraffe. Ceffent licet formidata illa Orbi Romano infignia, veftis palmata, fcipio eburneus, calcei aurati, fella curulis, aliaque Imperatoria, vel certe triumphalia ornamenta: noftrates animo, fide, gravitate, cura & vigilantia Confules agunt, nec fafcibus, aut fecuri vim minantur. Quinimo ficut Clariffimis olim toga vel fago Viris,

ris, ad memoriam apud posteros prodendam, nihil amplius visum fuit, quam ebur illud curule in nobilissimas familias aut intulisse; aut partum a majoribus conservasse; aut, quod nummis & saxis insculpere gaudebant, iterum, tertium aut quartum obtinuisse: sic & nostris temporibus, haud postrema felicitatis pars est, admoveri ad Reipublicæ clavum, capessere curas Civitatis, Patriæ utilitatibus invigilare, & publico cunctorum testimonio intelligere, recte atque ordine personam, in partibus creditis, hactenus gestam esse, Urbisque dignitatem porro prudentiæ nostræ commendari. *Gubernacula Urbium probatos administrare, ipsa magnitudo deposcit*, Honorii vox erat, in l. 171. C. Th. de Decurion. & *Fasces repetitos virtutis merita comprobare*, Theodosius & Valentinianus Augusti rescripserunt, in l. 1. C. de Consulibus. Ceterum falletur, qui tribunitios furores, & alia longo ævo sepulta, in hoc scripto a me expectat: nam didici a Platone, bono civi nihil magis convenire, quam a civilibus controversiis abesse. Nolim etiam quisquam existimet, me adeo esse amantem mei, ut ea, quæ viros in hoc studiorum genere versatissimos latuerunt, a me proferri posse credam. Id tantum censeo, quæ ad antiquitates Consulares pertinent, necdum exhausta esse omnia, neque supervacuum in iis laborem poni longiorem: licuit & licebit meliora investigare præceptis. Si qua vero severis Catonibus audacior aliquando videatur conjectura nostra, non tantum veteris ævi caligo causam orabit; verum Urbis quoque amor perfugio erit, cujus memoriam cupio ire propagatum. Sed longa præfatio, longum malum; ad rem ipsam accedamus. In hujus tractatione ordinem istum sequar: ut capite primo, originem propagati nominis Consularis in coloniis & municipiis ostendam. Altero autem summos antiquæ Batavorum civitatis, & urbium Germaniæ Magistratus, una cum eorum insignibus, fatis & nominibus complectar. David Mevius, non videns, qui titulum Consulis, liberæ in Imperio civitatis capitibus, ex antiquitatum

 moni-

monimentis assereret, morose satis scribebat in comm. ad jus Lubec. lib. 1. tit. 1. n. 12. *Postquam usus, quo voces non secus ac nummi valent, ea vulgavit nomina, & dignitates priscas abolevit, otiosum est, rebus elapsis & immutatis, antiquitatem & subtiles significationes aucupari, præsertim ubi ipsum nomen ejusque virtus ad præsentia quadrat. Qua in re multos sine fructu operosos, scrutinio suo lepidos deprehendes, qui dum verba quærunt, rerum inscitiam profitentur.* Verum cum titulus sit index dignitatis, & verborum pariter ac rerum cura sit habenda, non puto, me otio abusurum, si curatius in nominis Consularis fata inquiram:

Ne pereat tam priscus honos, qui portus honorum
Semper erat.

CAPUT I.

DE

Consulibus Coloniarum & Municipiorum.

§. I. *Argumenta hos negantium, Velseri, Reinesii & Ruperti.* II. *Coloniæ simiæ urbis dominantis in omnibus, etiam in voce Senatus & Senatorum. Dodwellus notatur.* III. *Simulacra ornamentorum Consularium in municipiis, bisellium, prætexta, tribunal, batillus & fasces. Horatio lux.* IV. *Prætores, Censores, Dictatores municipales.* V. *Capuæ pro Medixtuticis Duumviri, ex his Consules Campani.* VI. *Carthago pro Suffetibus Duumviros, pro his Consules accepit. Vaillantii lapsus.* VII. *Nubes Consulum municipalium ex lapidibus, nummis, historia.* VIII. *Lapides, ad quos offendit Scaliger, excutiuntur.* IX. *Consules in l. 3. D. de Minoribus & l. 30. D. de Acq. vel. om. her. expensi.* X. *Florus, Ausonius, Prudentius illustrati. Velserus & Aldus reprehensi.* XI. *Respondetur ad dissentientium argumenta. Titulus D. de Officio Consulis illustratur.*

§. I.

QUæsitum fuit apud paucos, sed Principes Philologorum, an Duumviri vel Quatuorviri, qui splendidas olim

olim colonias, aut florentissima commerciis municipia rexerunt, Consulum nomen affectarint, illudque saltem domi suae obtinuerint, stante imperio Romano? Nullo modo id sibi persuaderi posse, profitetur Velserus lib. V. Rer. Aug. Vindelic. pag. 272. Solam quoque Romam Consules, cum aliis non communicandos, habuisse, ait Vir summus, ac minime credulus, Thomas Reinesius lib. III. Var. lect. c. 16. cujus sententiae, praeter Rupertum ep. XXVIII. subscribit Vir Celeberrimus, & hujus Academiae quondam ornamentum singulare, ad Ausonii claras urbes pag. 262. notans: *Rectores primos urbium provincialium, coloniarum & municipiorum*, NUNQUAM *Consules appellatos esse.* Scaliger contra, Summontius, Capacius, & Frenius rectius id affirmarunt; sed testimoniis minus idoneis, certe quae non sunt omni exceptione majora. Bipartita ergo contra utrosque disputatio nostra erit, & quidem rationes, quae tantos Viros moverunt, aut movere potuerunt, ut nomen hoc in dubium vocarent, primo loco proponemus. Causantur, incredibile videri, Duumviros adeo omnem exuisse pudorem, ut summum illud Consulare nomen affectarint, qui cum suis colonis eundem conditoribus honorem, quem liberi parentibus debebant, ut Livius lib. XXVII. c. 9. & Curtius lib. III. c. 2. docuere. Consulum praeterea nominibus publica instrumenta colonos signasse, iisque statuas, signa aliaque opera publica dedicasse, ad obsequium testandum. Nequaquam vero eorum rectores ausos fuisse, sibi arrogare nominis decus, quod velut peculium adsciverat Roma; quum libertas recuperata, exactis regibus, non aliud aptum magis, & civile & patrium reperiebat? Addunt, vix esse, ut Patritii ferre potuerint, cum Equite municipali, aut cum Duumviro coloniae communicari summum honorem, ad quem ipsi, tanquam ad portum, precibus & pretio, adspirabant. Hoc amplius Pomponius & Zonaras testantur, maluisse Patres olim plebi consularem concedere potestatem, quam Consulum nomen; ceu apicem Aristocraticae auctori-

 tatis,

tatis, quique non parum de regio imperio retinebat. Multo minus igitur id largiri voluisse videntur, ignotis & obscuro loco prognatis, quos *municipaliter natos*, *municipale vulgus*, *homines municipales*, *Oratores & Poëtas municipales* contemtim appellabant, quorumque Magistratus pariter, ac Deos, pro minus legitimis habebant, ut Tertullianus in Apolog. c. 4. testatur. Quid? quod ipsi Imperatores, consortis impatientes, perpetuo hoc dominationis arcano, vel si mavis, legitimæ potestatis simulacro usi sunt: quia nulla Romæ dignitas, etiam post imminutum & enervatum consulare robur, isthac habebatur major; qua si caruisset Princeps, privatus in Republica primas tenere visus fuisset. Julianus sane, ubi Principes refert alias Reip. dignitates abolevisse, alias retinuisse, Consulatus tamen dignitatem adeo parum ab iis contemtam, ait, ut eadem ad annum unum assumta gauderent, Orat. III. pag. 108. *Jugis quidam & indefinens Consulatus* Imperatori tribuitur a Justiniano Novella 105. c. 2. & Jornandes de Rebus Geticis c. 57. pronunciavit: *Factusque est Consul ordinarius; quod summum bonum primumque in mundo decus dicitur.* Sic ergo Quatuorviri illi, Criticorum principes, forsan nunc quærent cum Claudiano in pr. Cons. Stilich. ỽ. 288.

- - - Titulumque levem parvique nitoris
Credimus, Augusti quem se decorare fatentur?

§. II.

Verumenimvero licet ex his satis verisimile fiat, Duumviros a Romanis summum illud dignitatis nomen haud obtinuisse: metuo tamen, ne qui in universum coloniis & municipiis illud auferunt, pro Junone nebulas amplectantur. Principio constat, colonias, per omnes mundi tum cogniti partes late dispersas, omni cultu, usque ad ambitionem, id egisse, ut cunctarum rerum similitudine speciem Urbis parentis apud se effingerent, & fugientem deinceps Romani nominis umbram, intra mœnia sua tuerentur. Solenni enim more receptum erat, ut coloniæ linguam, Deorum

rum ſimulacra, formam templorum, ſacra, ritus, antiſtites, ſymbola, feſta, leges, veſtitum, habitum, circos, ſtadia, capitolia, theatra, maxime vero Magiſtratus antiquæ patriæ ſuæ adſumerent & retinerent; ut Valeſius ad Excerpta Polybii & Spanhemius de Præſtantia numiſm. præclaris exemplis docuerunt. Nobis ſufficiat, quod *coloniæ quaſi effigies parvæ, ſimulacraque populi Romani* appellantur apud Gellium lib. XVI cap. 13. Bene Lipſius lib. I. de Magn. Rom. c. 6. *Coloniis formam quaſi novæ reip. dabant. Sic tamen ut omnia Romam & urbem matrem referrent. Ipſis quoque locis Fora, Capitolia, Templa, Curiæ pro illa imagine eſſent; & in gubernatione Duumviri pleriſque locis, quaſi duo CONSULES; Ædiles item & Decuriones pro Senatu.* Municipia ſimiliter eadem, aut ſimilia Magiſtratuum nomina, quibus Urbs urbium, illa *communis omnium patria*, ut Modeſtino, & τῆς οἰκουμένης ἐπιτομή, ut Athenæo vocatur, ſplendebat, partim adulandi calliditate, partim ambitionis ſenſu Magiſtratibus imponebant ſuis, ut ita ſenſim totus Romanus orbis uno Magiſtratuum genere regeretur. Nec inepte Juſtinianus in Novella Conſtitutione 38. generaliter ait, curias in unaquaque civitate κατὰ τὴν τῆς βασιλευούσης πόλεως μίμησιν, *ad imitationem urbis dominantis*, veteris ſcilicet & novæ Romæ, a majoribus ordinatas eſſe, earumque mores & ritus ſequi debere. Enimvero quemadmodum Romæ maximum illud Patrum Conſcriptorum Concilium Senatus, ejuſque decreta Senatuſconſulta appellata, ſic in civitatibus, præſertim majoribus, Romano imperio ſubjectis, Decurionum Ordo *Senatus*, curiales *Senatores*, & pſephiſmata bules *Senatuſconſulta* dicebantur, non in lapidibus municipalibus tantum ambitioſis, ſed apud ipſos ſcriptores Romanos, Cæſarem, Ciceronem, Livium, Tacitum, Plinium alioſque. Nec quicquam cauſæ fuit, cur Henricus Dodwellus prælect. III. ad Spartianum id in dubium vocaret, aut Taciti interpretes lib. XIII. Ann. 48. ad vocem *Senatoris* tam vehementer æſtuarent. Adeo enim id frequens & uſu pertritum poſte-

sterioribus temporibus, etiam tum, quando Imperatorum avaritia onus curialium fecerat intolerabile, permansit, ut Senatores Romani, discriminis caussa, *Senatores Urbis* vel *Populi Romani*; eorumque Senatus *Maximus*, municipiorum vero *minor* debuerit in legibus ipsis appellari, *l.* 27. *C. Th. de Decurion.* Cassiodor. *lib.* VI. *var.* 3. Non me fugit multos Provincialium Curiæ Romanæ Senatores, honoris caussa, inde usque ab Augusti temporibus, allectos esse, licet nunquam fere Romam vidissent. Sed hos Capitolinus in Philosopho *Peregrinos* vocat; *Senatores Populi Romani*, Spartianus in Hadriano; *Senatores Romanos* Avitus Viennensis Episcopus epist. 31. Ausonius de patre, utriusque Romæ Senatore honorario:

Curia me duplex, & uterque Senatus habebat,
Muneris exortem, nomine participem.

Nec tamen dubitandum est, ipsos civitatum curiales Senatores fuisse dictos. *Viennensis Senatus* meminit Avitus in Homilia de Rogationibus; ipsaque Vienna *Urbs Senatoria* appellabatur, ut Savaro docuit ad Sidonii lib. IV. epist. 2. Affinis nimirum Senatorum & Decurionum videbatur dignitas; in utrisque eligendis, ætas, census, honestas, quæstus & alia, diligenter à Gulielmo Fornerio lib. I. select. c. 12. exposita, spectabantur. Nec injuria ergo curiales, nervi & viscera civitatum, idem mite ætatis nomen, quo Senatores Romani in celeberrimo orbis theatro fulgebant, in suis civitatibus sunt aucupati. Quinimo sicut Senatus Romanus *Amplissimus Ordo*, & Senatusconsulta *Amplissimi ordinis Decreta consultaque*, & Consules *Amplissimi*, in Pandectis & Codice appellantur; pari modo *amplissimum ordinem* Puteolanorum laudat Cicero pro Cælio c. 11. *Senatum amplissimum Trevirorum.* Vopiscus in Floriano, & ORDO. MUNICIP. AMPL. LICITANORUM est apud Gruter. pag. 421. n. 7.

§. III.

Haud leve porro momentum demonstrationi nostræ conci-

ciliabit, quod eadem fere, quibus Romani Consules ceterive Magistratus majores usi sunt, honoris insignia, aut saltem eorum imitationes, in coloniis & municipiis reperiantur. Ebur curule licet cum Duumviris non fuerit communicatum, ejus tamen simulacrum habebant ***Bisellium***, quod Valerius Chimentellius ipsis libro singulari vindicavit. Togam purpura ***prætextam***, Livius tam manifeste ***magistratibus in coloniis municipiisque*** tribuit, ut nullus ea de re ambigere possit lib. XXXIV. c. 7. Ambrosii autem tempore, habitus Senatorum Romæ penula erat, etiam in municipiis. Ita ille II. ad Timotheum: ***Quos constat in societatem Romanorum receptos, ut de cetero appellarentur Romani; idcirco necesse est, eos Curiam habere, in quam more Romanorum penulati conveniant.*** Quemadmodum mixto imperio destituti fuerunt Duumviri, sic Tribunali caruerunt; suggestus tamen editior, quem jus dicentes occupabant, ut ab omnibus videri possent, vulgo ***Tribunal*** appellatur, apud Suetonium de claris Rhet. c. 6. Petronium c. 71. & in lapide Veronensi apud Reinesium cl. VI. n. 44. Porro Consules Romanos, ab ipsa institutione prima, tempus notasse, & scipionem eburneum gessisse, ex Livio, Valerio Maximo, Dionysio, & Juvenale notum est; etiam numi testantur, inter quos rarior est ille Cl. Caldii Cos. apud Guillelmum du Choul, ***de la Religion des anciens Romains pag.*** 261. Similiter vero Aufidius Luscus, Prætor Fundanus, ut amplitudinem & dignitatem fastigii Romani æquaret, ***Prætextam, & latum clavum prunæque batillum*** assumsit, & nomine suo annum signavit, Horatio ridente ***lib.*** 1. ***sat.*** 5. Male Turnebus lib. 1. Adv. c. 29. eumque secuti interpretes Horatiani, Lambinus & Torrentius, Aufidium exagitari putant, quod, supra humanam conditionem, ignem sibi præferri voluerit; quum tamen ignis, ante Antoninorum tempora, ne Majestatis quidem symbolum, nec batillus, sed lampas fuerit, ut Lipsius Excursu A. ad Tacitum eleganter demonstravit. Verisimilius Casaubonus, ad Pollionis Claudium, & Rutgersius

pru-

prunæ batillum ansati & gestatilis foculi genus fuisse, existimarunt, quod pruna plenum principibus viris, a πυρφόρῳ præferebatur, ad odores incendendos. Sed quid si batillum, pro instrumento, quo prunæ componuntur, a Satyrico venuste dictum putemus? ut nullam potestatem civilem, sed usum domesticum, scipioni isti tantum adhæsisse indicaret. Id enim firmat Cicero orat. II. contra Rullum c. 34. *Anteibant Capuæ lictores, non cum batillis, sed ut hic Prætoribus anteeunt, cum fascibus duobus.* Denique quis nescit lictores cum fascibus, inter prima insignia Consulum fuisse? At Lucas in Actis c xvi. ỷ. 35. Magistratibus coloniæ Philippensis ῥαβδούχους tribuit; *annuos fasces* Narboni coloniæ. Martialis lib. VIII. epigr. 72. *lixas & virgas* Apulejus lib. 1. Metam. Quinimo ipsi Impp. Arcadius & Honorius in l. 53. C. de Decurionibus: *Duumvirum impune non liceat extollere potestatem fascium, extra metas territorii propriæ civitatis.* De Asiæ urbe Cyzicenorum Propertius lib. 1. Eleg 6.

Tu patriæ meritas conare anteire secures,
Et vetera oblitis reddere jura foris.

§. IV.

Sed ut propius ad Consules municipales veniamus, hoc amplius, ὡς ἐν προθεωρίᾳ *in modum prævie inspectionis*, ut Theophilus præfari solet, observandum est, pleraque Magistratus vocabula, quibus Romanorum honorati superbiebant, in municipiis etiam & coloniis usitata fuisse. Nec mirum! coloniæ *jure ac dignatione urbi quodammodo, pro parte aliqua, erant adæquatæ*, auctore Suetonio in Augusto c. 46. Cives earum, cives erant Romani, aut civitate donati; ordo primus, qui his præpositus, ex nobilibus patritiisque Romanis erat lectus, qui simiarum instar Urbis matricis instituta, populo & Principe connivente, imitabantur. Mitto *Ædiles* municipales professa opera a me expositos. *Prætoris* nomen Justinianus *proprium*, ait, *fuisse imperii Romani*, ac initio Consulibus, postea eorum collegis usurpatum, qui, quod Consules aberant, consulare munus, more majorum su-

sustinebant. *Nov. const.* 24. 25. At Cato in fragmento libri 1. Originum apud Festum: *Clœlius*, ait, *Prætor Albanus Oratores misit Romam.* Livius epit. lib. 73. Herium Asinium, *Prætorem Marucinorum* habet: idem lib XXIII. c. 19. cum Plinio lib. XVII. Hist. nat. c. 11. *Prænestinorum Prætorem* laudat. Inscriptio apud Sponium misc. erud. pag 182. PRÆTORIS *Puteolani*, aliæ aliorum meminerunt. Deinde *Censoris* munere quid, quæso, Romæ fuit præstantius? Plutarchus in Catone summum ei tribuit culmen, & κορυφην τινα τιμης απασης, *fastigium quoddam omnium honorum.* Et tamen singulis civitatibus sui fuerunt Censores, qui ad exemplum urbanorum Quinquennales dicebantur, auctore Cicerone II in Verrem c. 53. Livio lib. XXIX. c. 15. Plinio lib. X epist. 113. lapidibus apud Gruterum pag 366. 2. 432. 5. & Sponium pag. 169. BALBIO CENSORI REIP. NEAP. Deinceps tirones norunt, *Dictatorem* summum in republica Romana fuisse magistrum, qui extra ordinem quidem, ac ad tempus constitutus, fascibus tamen & potestate Consules superabat, quibus eum *moderatorem & magistrum adpositum* Livius ait lib. 21. c. 18. quique obviam sibi factos Consules, sine fascibus ad se venire jubebat, ut refert idem lib. XXII. c. 11. Duplo ampliorem ejus Consulari auctoritatem fuisse, docet Pæanius Metaphr. ad Eutropium lib. I. c. 11. Eodem autem nomine Tusculum, Cære ac Lanuvium, antiquissima municipia, summum rectorem suum nominarunt. Cato *Dictatoris Latini* meminit, in Originibus apud Priscianum, DICTATOR ALBANVS in lapide apud Reines. pag. 361. & Spartianus in Hadriano c. XIX. *In Hetruria Præturam Imperator egit. Per Latina oppida Dictator, & Ædilis, & Duumvir fuit. Apud Neapolim Demarchus, in patria sua Quinquennalis.*

§. V.

Quid ergo causæ est, cur dubitemus, quin in municipiis & coloniis splendidioribus Consulum quoque nomen Duumviri assumserint, & ab obnoxiis acceperint? Neque enim

rectores imaginarii erant, & in speciem civitatibus præfecti; neque Consules λογοθεώρητοι, pomeridiani & otiosi: sed annuam jurisdictionem exercebant, ordinem cogebant, decuriones consulebant, & sicut Consules bini Duumviri Romæ, sic hi pro Consulibus apud suos. Plane vocis notatio non repugnat; sive quod consulerent Senatum, id est rogarent; sive quod civibus consulerent, id est prospicerent, Consules dictos putemus. Posterior placuit Pomponio, Floro, Capellæ, Theophilo; Varro lib. IV. de L. L. utramque conjunxit, & Actium in Bruto dixisse refert: *Qui recte consulat, consul fuat.* Mihi autem prior probabilior videtur, nec vereor judicium Quintiliani, qui lib. I Inst. Orat. c. 6. quosdam pravis ingeniis ad fœdissima ludibria dilapsos culpat: *Sitne Consul a consulendo, an a judicando.* Mitius Varro lib. VI. de L.L. si de originibus verborum quis multa dixerit commode, potius *boni consulendum*, quam eum qui aliquid nequiverit, reprehendendum esse, judicavit. Quicquid est, optimus auctor Tullius Duumviros Romanos & municipales miscet lib. II. ad Atticum epist. 6. *Dubitem, an hic an Antii considam, & hoc tempus consumam: ubi quidem ego mallem Duumvirum, quam Romæ fuisse.* Simili prorsus figura vel joco, quo Macrobius II. Saturn. 3. ipsummet facundissimum facetiarum patrem refert usum: quum enim ab hospite suo P. Mallio rogatus, ut decurionatum privigno ejus in municipio expediret, assistente frequentia, dixit: *Romæ si vis habebit, Pompejis difficile est.* Sed mittamus conjecturas, quibus minime opus est, ubi plura rerum testimonia sunt in promtu. Primas dabo eidem Ciceroni, qui summos Magistratus Campanos initio Prætoris, postea Consulis nomen, ait, affectasse: quum Capua, sui juris civitas, Medixtuticis ante paruisset. Livius lib. XXIII. c. 35. *Marius Alfius Medixtuticus, summus Magistratus erat Campanis.* & lib. XXVI. c. 6. *Medixtuticus, qui summus Magistratus apud Campanos.* puto a μήδων regnator, & *tuticus* magnus. *Summus ibi capitur Medix* Ennius dixit. At quamprimum Capua coloniam Roma-

manam accepit, Magistratus ad formam Urbis matris inflecti cœperunt. Docet Cicero II. Agrar. c. 34. *Nam primum id quod dixi, cum in ceteris coloniis Duumviri appellentur, hi se Prætores appellari volebant.* Capua enim, propter ubertatem agrorum & omnium rerum abundantiam, Urbis erat æmula, hinc supinis ejus Duumviris duo lictores cum fascibus præibant; inde *Campana superbia* proverbio innotuit, *Capua superbiam genuisse* dicitur eidem Tullio I. Agrar. c. 6. & Ausonius de ea: *Roma altera quondam.* Laudant Ciceronem Cornelius Nepos & Plutarchus, quod ope prudentiæ civilis sæpiuscule futura prædixerit, & quæ postea usu venerunt cecinerit, ut vates; idem vero Capuam, & ejus exemplo, felices alias colonias ambituras esse nomen consulare conjecerat d. II. Agrar. c. 34. *Quibus primus annus hanc cupiditatem attulisset, nonne arbitramini paucis annis fuisse Consulum nomen appetituros?* Lucius enim Piso a C. Cæsare, genero suo, agro Campano dividendo præfectus, & imaginis formandæ causa Duumvir Capuæ creatus, Consulis sibi nomen arrogaverat. Cicero in Pisonem cap. XI. *Seplasia mehercle, ut dici audiebam, te, ut primum adspexit, Campanum Consulem repudiavit.* & post reditum in Senat. c. VII. *Capuæne te putabas, in qua urbe domicilium quondam superbiæ fuit, Consulem esse; sicut eras eo tempore; an Romæ, in qua civitate omnes ante vos Consules Senatui paruerunt?*

§. VI.

Dedimus unum exemplum adoptati nominis Consularis. Nunc aliud videamus, ab altera Romæ æmula Carthagine petitum: sic enim sensim sublucebit, quod demonstrandum suscepimus, per colonias & municipia inprimis, una cum linguæ Latinæ usu, propagatum quoque fuisse, & per hæc cum vicinis communicatum Consulare nomen. Vetus autem Carthago, dum stabat, jam Magistratus Romanis similes habuisse, videri posset; quia Cato in originibus apud Gellium X. c. 24. Hannibalem *Dictatorem* Carthaginiensem, & Justinus eundem Carthaginis *Consulem* vocat lib. XXXII.

c. 2. Nepos quoque *præfecti morum*, sive Censoris, apud eos meminit in Hamilcare c. 3. sub quo titulo Cæsar eundem honorem admisit, auctore Sueton. Cæs. c. 76. Sed quilibet satis videt, quod Berneccerus ad Justini lib. XIX. c. 1. recte observavit, Romano more locutos Romanos scriptores, & vim potius ejus potestatis, quam proprium vocabulum respexisse: sed & diversam fuisse Dictatoris Pœni auctoritatem, ex Livio docuit Cl. Clericus Art. crit. p. 11. s. 1. c. 13. Alia ergo vetus Carthago Magistratuum nomina habuit, & quidem Suffetes, quibus *Consulare imperium* Livius dedit lib. XXX. c. 7. Neque illa sola Consules suos ita vocavit, sed & Tyrus, unde vocem acceperant, al æque Africanæ civitates, Timiligena, Stagitana, quod ex inscriptionibus Seldenus de Synedriis, & Bochartus in Chanaan erudite docuerunt. Sive autem Suffetum nomen a *Sophetim*, sive, ut Scaliger & Drusius voluerunt, a *Tzuffe, seu Suffe* descendat, hoc certum est, ut Romæ quotannis Consules, sic Carthagine binos annuos Magistratus cum regio imperio creatos esse. Hos Aristoteles II. Polit. 9. & Polybius Hist. VI. c. 49. pariter ac Solinus c. 56 *Reges* appellarunt; *Ut Romæ Consules, sic Carthagine quotannis bini Reges creabantur*, inquit Cornelius Nepos in Hannibale: sed qui magis cum auctoritate suadendi, quam cum jubendi potestate, apud suos valuerunt, ut monuit Grotius I. de J. B. & P. c. 3. § 10. Idem vero nomen non mansit, postquam, in vestigiis Carthaginis deletæ, colonia a Romanis deducta est; statim enim Duumviros, Ædiles, Quæstores accepit, ut nummi & lapides testantur. *Duumvirum splendidissimæ Coloniæ Carthaginiensium* legas in Gestis Purgationis Cæciliani c. 4. Nihilominus Joh. Vaillantius in nummis coloniar. pag. 72. & 131 Suffetes coloniæ Carthaginiensis, ex nummis sub Augusto & Tiberio cusis, se reperisse existimat, ideoque hasce litteras P. S. S. C. *Posuere Suffetes Carthaginienses* explicuit. Rectius tamen Celeberrimus Perizonius, in elegante illa ad Andream Morellium de nummis consularibus epistola, negat

gat in his ullum ejus coloniæ vestigium, aut Suffetum memoriam superesse, quum potius sigla illa sic exponenda sint: *Pecunia signata Senatus consulto*; quomodo & ipse Vaillantius in alio nummo eadem, sed mutato paululum ordine, interpretatur. Quid autem, an Carthaginienses coloni nominibus Duumvirorum contenti fuerunt? Nequaquam. nam Salvianus lib. VII. de Providentia: *Carthago*, inquit, *universarum Africæ urbium princeps & quasi mater, & in Africano orbe, quasi Roma.* Eadem *una Urbe Roma inferior* apud Herodianum appellatur lib. 7. Apud Prosperum legimus: *Asperum VI. Consulem Carthagini constitutum esse.* Is sufficit: nam Apuleji in Apologia locus: *Carthaginem pergit, ubi jam prope exacto Consulatus sui munere, Lollianus Avitus te, Maxime, opperiebatur*, ad Lollianum Avitum Africæ Proconsulem pertinet; quem Capitolinus in Pertinace, *virum consularem*, Ulpianus *Bithyniæ Præsidem* appellavit, l. 3. D. de Decurion. Cicero & Strabo similiter Consulem & ὕπατον pro Proconsule dixerunt. Casaubonus ad dictum Apuleji locum scribit, apud Poetam veterem, qui epigramma fecit in Laodicen, ὕπατος Ἀσίης, pro Præside provinciæ Asiæ dici; at consulem appellari, qui proconsulari imperio provinciam aliquam regat, alibi se legisse non meminit; sed Cl. Perizonius plena manu exempla dedit c. VII. Animadv. Histor. pag. 309. Similiter Prætorem pro Proprætore in *l.* 13. § 1. *D. de jurisdict.* dici, Vir. Clariss. Gerardus Noodt observavit lib. I. Probabil. c. 6.

§. VII.

Dices, ambitionis causa in binis illis superbiæ domiciliis id nominis appetitum esse, renitentibus Romanis, & tolerari posse, quia Florus lib. 1. c. 16. Capuam *caput urbium* vocat, quondam inter tres maximas, *Romam*, *Carthaginemque* numeratam. Veritatem tamen, rerum & vocabulorum ostentatione, aut magniloquentia minime vitiari. Audio. Sed nihil causæ est, cur solos Campanos & Carthaginienses ambitiosiores fuisse credamus; raro enim subsistunt ex-

empla, ubi cœperunt; & quidni idem tentasset *Atina potens, Tiburque superbum*? ut Virgilius cecinit lib. VII. Æneid. 630. Quidni *Arelas*, uberrimum *Galliæ* emporium? quæ eo sublimitatis venit, ut Ausonius eam *Gallulam Romam* vocarit, titulo æmulis Urbis Romæ tantum tributo. Quidni denique Tyrus *splendidissima colonia?* ut Ulpianus vocat, & *splendidissima Italiæ municipia* apud Florum l. III. c. II. Immo fides habenda est scriptoribus fidissimis, & lapidibus litteratis, qui alibi etiam municipales nobis Consules tam clare promittunt, ut non detur exceptio. De antiquissimo municipio Tusculano Plinius lib. VII. Hist. nat. c. 43. *Est & L. Fulvius Tusculanorum rebellantium Consul, eodemque bonore, quum transiisset, exornatus confestim à Pop. Romano: qui solus eodem anno, quo fuerat hostis, Romæ triumphavit ex iis, quorum Consul fuerat.* Similiter Aquileja, nobilissima colonia, & primaria Fori Julii civitas, a divitiis Pomponio Melæ celebrata, Quatuorviros suos Consules appellavit: ut ex quatuor inscriptionibus ibi repertis, docuit eruditissimus vir, Philippus a Turre de colonia Forojuliensi pag. 360. ubi tria marmora FABIANUM. COS. quartum QUINTIAN. COS. pronuntiant. Ut minime mirandum sit, cur Aquileja a quibusdam *Romania*, [ab aliis *Roma secunda* fuerit dicta; quodque Justinianus in præf. Novell. 29. *Aquileja, omnium sub Occidentem urbium maxima, & quæ multoties cum ipsis etiam Regiis* (Roma & Constantinopoli) *certamen susceperit.* Apud Gruterum pag. 351. porro SEXTO ÆLIO. MAMERCO COLONIÆ. ASTIGITANÆ. CONSULI, Ilienses statuam dedicarunt. Fortissimum præterea, pro Consulibus municipalibus, argumentum præbet inscriptio Pisana, quam eminentissimus Norisius, cui plurimum debent antiquitates municipales, produxit ad Pisana Cæsarum fratrum Cenotaphia diss. I. c. 3. in qua FELIX. HERCULEO. AED. II. COS. I. PONT. PERP. REIP. PISIS. dicitur fuisse. Rursus apud Fabrettum cap. X. inscript. num. 439. Duumvir Aufidenæ, Samni-

mniticæ urbis, consul appellatur: L. TVRCI. FÆSASI. APRONIANI. COS. AUFIDENATES. DD. Pariter in vita S. Felicis Archi-Episcopi Trevirensis, *Consules*, *Patritii & Senatores Urbis Trevirensis*, occurrunt. In nummo quoque apud Cl. Harduinum, inter numismata sæculi Constantinei laudato, M. Aurelius Romulus bis urbis Remensis Consul vocatur: DIVO. ROMULO. N. V. BIS. CONS. Denique Græcis recentioribus usitatissimum fuisse videtur, Magistratus municipales υπατυς appellasse. Ex Philostrati vitis Sophistarum aliquot loca eam in rem Casaubonus indicavit, in notis ad Apulejum; quibus summa aliis in urbibus dignitas indicatur. Hoc amplius Olearius ad Philostratum in vita Herodis p. 546. ostendit, non infrequens fuisse, ut Magistratus nobiliores, urbibus regundis præfecti, sese Διυπατυς, *bis Consules* appellarent; quamvis Ill. Spanhemius in Orb Rom. Exerc. 11. c. 20. Marathonium bis Consulem, ceterosque a Philostrato memoratos, inter peregrinos Consules numerandos esse contendat, quos Imperatores ad Consulare fastigium Romæ evexerunt. Ego illud addam, vocem υπατος recentioribus non modo Consulem significare, sed quemlibet virum in dignitate constitutum. Sic Psellus passim υπατος των φιλοσοφων dicitur; απο διυπατων apud Anonymum, Theophani subjunctum pag. 440. non bis Consulem, sed Expræfectum notat; quamvis απο υπατων, consules etiam *codicillares* & honorarii dicerentur, ut Nicolaus Alemannus ad Procopii Anecdota observavit. Interim ex superioribus Latinorum testimoniis liquere arbitror, municipes & colonos, rectores suos summumque magistratum, aliquando Consules salutasse; id quod ipse etiam Reinesius consuetudine seculorum inferiorum agnoscit Epist. XXXI. ad Rupertum, & ad Daumium ep. XXXIII.

§. VIII.

Nunc, age, aliorum argumenta excutiamus, quibus Consules municipales demonstrare conati sunt: quæ tamen ad Lydium critices lapidem admota, vix examen sustinere vide-

debantur, ideoque maxima, quæ supra a nobis diffidere diximus, nomina, ut in alia omnia abirent, opinor, impulerunt. Non hic immorabimur lapidibus litteratis, in quibus Jul Cæs. Capacius lib. 1. Hist. Neap. c. 9. se Consules Neapolitanos reperisse existimabat: quæ enim profert nomina in fastis Consularibus Romanis occurrunt; unde lolio eum tum victitasse, & non adhibuisse berillos, oculatus Reinesius ostendit lib. 111. Var. lect. c 16. Cum maximo autem litterarum chorago, Josepho Scaligero, nobis res erit, qui capite v. Indicis ad Gruteri corpus Inscriptionum, aliquot nobis Consules obtrusit, cavea non applaudente. Quod enim inscriptionis Comensis pag 438. n. 7. litteras has COS. PONTI. *Consul*, *Pontifex* interpretatur, displicuit Cl. Marquardo Gudio in notis: licet ab illius partibus stent Massonius & Eduardus Holthenus in corrigendis. Mihi sane Comenses, a Julio Cæsare deducti coloni, Vespasiani tempore, ad eum magnificentiæ gradum nondum pervenisse videntur, ut Duumvirum suum Consulem appellarint; qui Latii jure sic tantum donati erant, ut qui annuum Novi Comi Magistratum gessisset, jus civium in Urbe haberet, auctore Appiano Alexandrino lib. 11. Civil. pag. 730. Magis aperto errore *Claudium Pacatum* V. C. COS. CAP. Consulem Capuæ esse auguratur pag. 390. 1. quum omnia non loquantur, sed clament, eum Consularem fuisse in Campaniam missum. Id enim titulus *Viri Cl.* ostendit, & qui sequuntur FASCES DEPOSITI, Consularium insignia, *l. ult. C. Th. ad L. Jul. de Ambitu*. Ex eodem quoque lapide accuratius descripto, in eodem opere pag. 424. n. 1. & aliis id genus inscriptionum notis, Scaliger convincitur, in quibus ipse Campaniæ Consulares vidit & agnovit. Sic Postumius Lampadius V. C. CONS. CAMP. in 1. pag. 193. & elementis expressis, Decimius Geminianus, VIR. CLARISS. CONSULARIS provinciæ Bæticæ appellatur pag. 283. 8. Hadrianus vero quatuor Consulares, per omnem Italiam, Judices constituit, quos inter

ter Claudius ille Pacatus. Vide Spartianum in ejus vita c. 22. ubi Salmasius in notis etiam Consulares ex lapidibus produxit, ad quos alii offenderunt eruditi. Ill. vero Spanhemius de Præst. & usu num. diss. XIII pag. 611. eundem Scaligerum notavit, quod Acta concilii Chalchedonensis male interpretatus est, in quibus Tyrus ὑπατικὴ appellatur; non quod a Consulibus, libera adhuc Republica, deducta; sed quia nunc a Consulari regebatur, sicut Carthago *Proconsularis* ante appellabatur *l. 2. C. de Off. Præf. Præt. Afr.* Alios titulos, in quibus eruditissimus du Frene Consules municipales, post Scaligerum, se reperisse putabat, sub examen vocavit Amplissl. Cuperus monum. antiq. pag. 224. ad quem adi. Nos enim missis saxis ad fragmenta Jurisconsultorum, auro quovis cariora, properamus; ne professionis nostræ obliti, in alienis circulis agere, vel ut Plutarchus ait, ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα τίθεσθαι, pedem in alieno choro ponere videamur.

§. IX.

Non multum difficultatis habet Ulpianus, in l. 3. pr. D. de minor. *Denique Divus Severus & Imperator noster hujusmodi Consulum, vel Præsidum decreta, quasi ambitiosa esse, interpretati sunt: ipsi autem perraro minoribus rerum suarum administrationem extra ordinem indulserunt.* Dubitatum tamen fuit, num recte, sub Antonino Caracalla, Urbis Consulibus tribuatur datio aut remissio curatoris, quam Marcus Antoninus in Prætorem tutelarem contulerat dudum. Non satis digna Cujacio est responsio: *quoniam ad Coss. olim tutorum curatorumque datio pertinebat.* Fuit, qui loco *Consulum* reponeret *Proconsulum*; alii alia commenti sunt, quibus Vir Præclarus, Jacobus Gothofredus cap. IV. Animadvers. linguam occlusit. Nostra hæc tantum cautio erit, ne quis stilo Jurisconsulti, Duumviros municipiorum Consules dici putet; quorum, *decreta* itidem *ambitiosa*, apud eundem Ulpianum appellantur in *l. 4. de Decret. ab ord. fac.* Sed nullæ hac in re partes magistratuum; quibus ea quæ magis

imperii, quam jurisdictionis erant, ne quidem sunt concessa *l. 26. D. ad municip.* & clara est mens Ulpiani; Principes solis sibi reservasse jus veniam ætatis indulgendi minoribus, eosque legibus solvendi; quia soli legibus erant soluti. Consulum vero in Urbe, & Præsidum in provinciis decreta, quia non jure, sed facto, per gratiam & ambitionem interposita erant, ipsis ambitiosa visa fuisse, ut Fornerius 1. select. c 17. interpretatur. Majus præsidium Consulibus nostris peti videtur ex. *l* 30. *de Acquir. vel omitt. hered.* ubi Ulpianus D. Pium refert *Consulibus* rescripsisse, subvenire oportere ei, qui filium, in *provincia* agentem, non potuerat jubere adire. Plane magistratus municipales eo nomine intelligi posse, existimavit Scipio Gentilis lib. II. de jurisd. c. 5. Hotmanus autem lib. VII. Obs. c. 8. *consulentibus* legi jubet; ex more & instituto eorum magistratuum, qui Principes de incerto jure consulebant, cujus vestigia extant in *l.* 31. *D. de Re jud. l.* 3. *de Test. l.* 7. *de in int. restit.* Verum ut prius ab Ulpiani, ceterorumque Jurisconsultorum, scribendi more est alienum, ita emendationem illam, seu minime necessariam, repudio. Nam licet Proconsules intelligendos putemus, hi quoque, ut supra vidimus, Consules dicebantur. Sed Consules in provincias etiam imperium habebant; sique Papinianus & Celsus Prætoribus rescripserunt: *l.* 2. *de Pact. dotal. l.* 3. §. 1. *D. de minor.* quidni credamus Principem a Consulibus Romanis fuisse consultum? cujus judicia ab æquitate & justitia magnopere Aristides laudavit, Encomio Romæ pag. 363. Sane Divi fratres Proculo & Munatio rescripserunt Consulibus; ut colligo ex inscriptione *l. Divi* 27. *de Liber. caus.* Iidem Celerem ad competentem judicem ablegant, in rescripto IPSIS ET COSS. dato, *l.* 2. *C. de alendis lib.* Judices autem de alimentis erant Consules, ut Viri eruditi ex *l.* 5. *D. de Agnosc. & al. lib.* docuerunt, quæ ex Ulpiani *lib.* 2. *de officio Consulis* desumta est. Quanquam posterius exemplum magis eruditum, quam verum esse putem; quia Divi fratres anno

no eodem, quo obiit Antoninus, Consules memorantur apud Dionem, *tuncque primum Romanum Imperium duos Augustos habere cœpit*, inquit Capitolinus in Marco cap. 7. Samuel Petitus ad LL. Atticas pag. 165. reponit, IPSIS ETIAM COSS. nec hoc quidem omni dubio carere veretur. Ego nihil mutandum censeo, ob emphasin in dictione *&*, quæ alibi quoque pro *etiam* usurpatur, vide *l.* 9. §. *ult. D. de Off. proconf.*

§. X.

Nunc cetera pro Consulibus municipalibus inania, dubia, aut minus stringentia veterum auctorum capita, per saturam colligamus. Primas tenebit Florus, qui lib. III. c. 18. in descriptione belli Socialis: *Quum omne*, inquit, *robur fortissimorum fidelissimorumque sociorum sub suis quoque signis haberent, municipalia illa prodigia; Popedius Marsos, & Latinos Afranius; Umbros totus Senatus & CONSULES, Samnium, Lucaniamque Telesinus.* Doctissimo Freinshemio sententia male cohærere videbatur; unde nomen ducis cujusdam quærendum putavit. Sed minime de hoc laborandum censuit Reinesius epist. 31. quia omnis Italia & socii Romanorum, propter jus civitatis injuste sibi negatum, contra matrem ac parentem suam Romam tumultuantes, quingentos viros rerum summæ præfecerant, ex quibus quotannis duo Consules, exemplo Romanorum, & duodecim Imperatores legerentur; totus vero ille seditiosus Senatus & Consules vitio creati, simulac communio armis obtenta est, æternum cessarunt, auctore Strabone lib. V. Quanquam ne sic quidem reliqua satis plana sunt; unde locum hunc pro desperato habet Clariss. Collega meus Dukerus, in eruditis notis. Haud minorem difficultatem habet Ausonius, qui in claris urbibus XIII. Burdigalæ se Consulem, pariter ac Romæ, fuisse gloriatur:

Diligo Burdigalam; Romam colo: civis in hac sum,
Consul in ambabus. Cunæ hic, ibi sella curulis.

Firmat hunc Consulatum municipalem Josephus Scaliger

 lib.

lib. II. Auson. lect. c. 23. ex veteri saxo, in quo eundem Burdigalensem honorem, ex instituto municipiorum, per Olympiadas indicari putat, hoc modo; DEC. AVSON. COS. OLYMPIADE. Petrus Pithœus in eandem sententiam pedibus ivit. & civitates quasdam Galliæ consules habuisse, fidenter pronuntiat lib. II. Adverf. c. 18. Isaacus quoque Casaubonus, in Apuleji apologiam, his verbis suffragatur: *Evilùit tandem superbum Consulis nomen: adeo ut etiam Magistratus municipales consules appellari non erubuerint. Sic ait Ausonius, se Burdigalæ Consulem fuisse.* Contra, majorem Ausonio pudorem tribuendum existimavit Velserus Rer. Aug. Vind. lib. V. quam ut Duumvir Burdigalæ lectus, elate se ipsum Consulem prædicaret: quum & ad veritatem expeditius sit, & proximo hemistichio firmetur, si vocibus trajectis, *civis in hac sum, Consul in ambabus* legamus. Velsero adsentitur Scipio Gentilis lib. II. de jurisd. c. 5. & ad Apuleji apolog. n. 930. nihil hunc locum, ad consules municipales probandos, facere scribit, quæ etiam aliorum in notis ad Ausonium sententia fuit. Sed ipse Reinesius, licet a nobis dissentiens, retinendam suadet Ausonii lectionem, omnium codicum fide nixam: quum Poëta fortassis hoc dederit patriæ, ut summum ejus magistratum, tanquam Romani simulacrum, potiore nomine complecteretur, vel licentioso genere Duumvirum Consulem appellarit. Illud memorabile est, quod Scaliger ad Velserum lib. II. epist. 145. ita scripsit: *Apud nostratem Ausonium* Consul in ambabus *recte habet, quod municipales magistratus per totam Aquitaniam & Provinciam Romanam ita vocarentur, & ita ad hanc usque diem vocentur.* Respondit Velserus epist. v. ad Scaligerum, palinodiam prope canens: *Ut Ausonium paulo aliter, quam tu, & de Consulatu Romano proprie caperem, illud etiam in causa fuit, sellæ quod curulis meminit, quam nescio, an minutis istis provincialibus Consulibus recte tribuamus.* Sed levis ratio; cunas patriæ Burdigalæ, sellam vero curulem Romæ acceptam fert Ausonius, ergo Duumviri nobilissimæ civitatis Consules non

sun

sunt vocati. Mihi sane si inter tantos Senatores suffragii jus est, vincet Scaliger, cujus dicta Vinetus etiam firmavit, testatus civitatum Galliæ Narbonensis binos, ternos, quaternos annuos summos magistratus *Cossos* & *Consules* appellari, licet Burdigalensium Senatus princeps *Major* vocetur. Addo Æduorum civitatem adeo ad splendorem Romanum compositam fuisse, ut de ea Erricus Monachus lib. I. *Celtica Roma dein voluit cœpitque appellari*. Tantum de Ausonio. Jungamus huic Prudentii consulatum Massiliæ, quem Aldus in vita Prudentii, editioni Antverpiensi præfixa, ex notis litterarum V. C. & præfat. Cathemerinon, ubi *veteris Messaliæ Consulis* meminit, exsculpsit, Lilio applaudente. Georgius Remus in Hispania Cæsaraugustæ Consulatu eum defunctum rebatur. Sed nusquam Aurelius, ubi cuncta vitæ munia recenset, Consulatus sui meminit, quidque de litterarum illo compendio habendum sit, Alciatus docuit III. dispunct. 4. Victor autem Giselinus in notis, & Aubertus Miræus ad Gennadium *Salia & Philippo* Consulibus Prudentium natum esse ostenderunt A. Chr. CCCXLVIII. unde locus ille mendosus, ab aliis jam, ex melioribus libris, diu correctus est. Vide Ill. Ludewigii vitam Prudentii §. 5.

§. XI.

Hæc poterant scopo nostro sufficere; ne quem vero dubia, sub initium capitis hujus mota, suspensum teneant, quod intrivimus nobis exedendum erit. Fatemur magnam Consulum sub Republica fuisse majestatem, nec Martiam Romam ullum imperium altius summo Consulatu vidisse. At quis nescit, quantopere liberrima illa potestas a Cæsaribus fracta, atque adeo per alios Magistratus, Præfectum Prætorio puta, & Præfectum Urbi, exinanita fuerit, ut Præsides tantum senatus manerent; rari toto anno, plerique duobus mensibus magistratum gererent, & paucos tantum voluntariæ & contentiosæ jurisdictionis actus exercerent. Quod si ex titulo Pandectarum, de officio Consulis, indicium sumamus, consilium tantum præbuerunt manumittere volen-

tibus, prætereaque nihil: sed alia fugitiva Ulpiani capita, ex tribus ejus de Officio Consulis libris servata, plura nobis promittunt. Tandem vero *bonos sine labore* mansit, ut Mamertinus ait, qui variis in speciem, etiam exteris, pro lubitu Imperatorum mandabatur. Non dicam Caligulam, monstrum hominis, equo suo e rarioribus consulatum destinasse; Commodum quinque & viginti in unum annum creasse. Sed passim libertini & flagitiosi homines, pariter ac pueri, Consules proclamabantur. Hinc Ulpianus Senatusconsulto Macedoniano locum esse dicit, *etiamsi Consul sit*, *l.* 1. §. 3. *de SCto Maced.* Idem Consulis *minoris annis viginti* meminit *l. un.* §. 2. *D. de Off. cons. l.* 20. *D. de Man. vind.* & pueri Nobilissimi Consules, ex Augusta domo, memorantur; in *l.* 14. *C. d. Relig. l.* 112. *C. Th. de Decur.* Hos inter Varronianus, admodum parvulus, & vagiens in cunis, cum patre iniit Consulatum, auctore Ammiano lib. XXV. c. 10. Hieronymus Olybrium, Valentiniani generum, *Consulem in pueritia* appellavit, ad Demetriad. epist. 97. Prætereo dona, missilia, ludos, & profusam liberalitatem, in processibus consulum exercendam, propter quam alii, inopiæ causa, sine impendio creandi, aliis donatio *honoris causa* inter virum & uxorem permittenda, *l.* 41. *l.* 42. *D. de Donat. inter vir. & ux.* rursus aliorum immensitati modus ponendus fuit, ne per ludos ad pauperiem redigerentur. *Nov.* 105. Certe sarcina virorum honestorum postremis temporibus, & onus magis, quam honos mansit, *factumque ut divitiarum, non hominum esset Consulatus, quia utique si virtutibus defertur, editorem spoliare non debet*, Flavii Vopisci querela erat, in Aureliano. Justiniani tempore, levis tantum imago pristini splendoris civibus supererat, & adumbrata quædam dignitatis insignia, in minimis ponebantur. Ipse Basilium postremum Consulem privatum creavit. Quid prærogativæ deinde manserit Urbi, quæ totum ceperat orbem, postquam toties a barbaris capta, vexata, direpta est, quilibet facile videt? Attila totam exscindere, Ataulphus nomen

quoque ejus delere, & Gothiam appellare voluit. Memorandum sane aliis civitatibus ante oppressis ludibrium fuit, urbium regina, *barbarorum municipium* facta. Leo Imp. Nov. 94. consularis dignitatis magnificentiam, e pristina gloria & amplitudine, *in abjectam speciem*, temporis cursu, mutatam esse testatur. Et tamen servatus, post ruinam ejus, perpetuo nominis Consularis honos, ac Regibus Francorum, Episcopis, Ducibus, Comitibus, supremis classium præfectis, & deinceps Rectoribus civitatum liberarum tributus, ut capite sequente ostendemus. Illud certum, post Fl. Basilii junioris Consulatum, solos Imperatores Græcos Consules ordinarios fuisse. Corippus Afric. lib. 2.

Ditabo plebes opibus, nomenque negatum
Consulibus, Consul post tempora cuncta novabo,
Gaudeat ut totus Justini munere mundus.

CAPUT II.

DE

Summis Batavarum & Germanicarum Civitatum Magistratibus.

§. I. *Hercules Macsusanus quis fuerit dubium; non tamen Enchusanus, ut Valesius existimabat.* II. *Ejus cultor Flavius Vihtirmatis filius, nobili genere ortus.* III. *Non videtur Dux Gentis, nec Magistratus oppidi Batavorum, neque Consul Neomagi fuisse, contra Smetium & Cuperum.* IV. *Civitas Batavorum, an Trajectum nostrum sit, inquiritur.* V. *Ejus antiquitas & vera nominis origo demonstrata.* VI. *Summus Magistratus Romanorum lingua est Consul.* VII. *In medio ævo Reges, Duces, Episcopi, Comites, Classium præfecti & Senatores Consules dicti.* VIII. *Urbium Rectores Potestates, Abbates, Capitolini, Scabini, & Aldermanni appellati.* IX. *Batavi & Franci suos, canitie venerabiles, Meergrevios, Meieros, Majores & Villicos vocarunt.* X. *Quando Civium Magistri & Burgimagistri nomen exortum, & quare? Conringius & Lambecius notantur.* XI. *Nominis Consularis & Proconsula-*

ris

ris prima vestigia apud Germanos, Batavos, aliosque, sub Saxonum imperio. XII. *Ab Advocatis, Præfectis & Scultetis Imperialibus civitates diu gubernatæ: earum regimen politicum hodiernum.* XIII. *Inter insignia consularia baculus.* XIV. *Togæ cum tintinnabulis, quondam Consulum Trajectinorum, antiquitas & ratio.*

§. I.

IN Coloniis & municipiis Romanorum, per totam Europam dispersis, Magistratus principes, Consulare nomen sibi mature adscivisse, in superiori capite satis probabiliter ostensum esse, existimo. Nunc de ceterarum urbium summo Magistratu dicturis; pulcherrimam materiam præbebit marmor antiquum, & omnium facile, quæ his in oris reperta sunt, elegantissimum, quod felix harum rerum perscrutator, Gisbertus Cuperus in monumentis antiquis pag. 218. produxit. Verba ejus sunt ista:

- - - ACSUSA
NO. HERCULI
SACRV. FLAVS
VIHTIRMATIS FIL
S. MMUS. MAGISTRA
.IVITATIS. BATAVOR
V. S. L. M.

Topicus Deus, *Hercules Macsusanus*, in principio nostri lapidis, tertio, ut videtur, seculo cælati, occurrit; de cujus patria multa differere, titulus hujus dissertationis vetat. Sive igitur, in *Castris Herculis*, hodie *Malburg* dictis, ei votum hoc solutum fuerit: an vero *'t Land van Arckel* ab eo tulerit nomen: an denique idem sit, qui MARCUSANUS, in inscriptione Westcapellæ inventa nominatur, nobis æque perinde est, quam unde, an a *Magusa*, *Magen.* vel ab Orientalium *Mago* sapientissimo derivetur? Eyndius in Chr. Zelandiæ, & Goropius, in Gigantomachia, ea de re prolixe egerunt. Hadrianus Valesius lib. I. Rer. Francic. pag. 6.

Cex

ex Posthumianis nummis, HERCULI MACUSANO inscriptis, collegit, Postumum Macusam oppidum Batavorum, quod hodie Ancusam vocant, recepisse, ibique idoli hujus lares fuisse: sed licebit ei opponere Ampl. Altingii auctoritatem; cui urbis Enchusen vix antiquior mentio, quam sæculo tertio decimo occurrit; tum vero Gaufredus, vitæ Ludovici scriptor, ad Annum MCCXLVIII. eam *Phrisiæ oppidum* appellavit. Sed cujas tandem, num ater an albus fuerit Hercules iste, nihil ad nos; quibus cum Cl. Viris Vossio & Clerico certum fixumque sedet, suis nominibus Deos apud Germanos nominatos fuisse; quos vero ad sua idola inflexerunt & nominarunt Romani, quibus tot Hercules, quot Hecatompyli portæ fuerunt. Herculem & Martem, concessis animalibus, placasse majores nostros, Tacitus scribit, de M. G. c. 9. *& silvam Herculi sacram*, apud Visurgin memorat 11. Annal. 12. Aventinus heroi Germanorum, apud suos celebri, nomen *Erkle* vel *Arkle* fuisse tradit, idque prisca Teutonum lingua leonem significare; cujus simulacrum in Richenavia, insula Rhenana, ad Maximiliani Imperatoris ætatem servatum; id quod Althamerus ad Tacitum confirmat. Vide, si tanti, quæ diximus, in dissert. de Diis vial. cap. 8. pag. 127. seqq. Hic duo potissimum sub examen nobis erunt vocanda, quæ illa *Civitas* fuerit *Batavorum?* & quis *summus* in ea *Magistratus?*

§. II.

CIVITATIS vocabulum non unam habet significationem: nam & pro regione, & pro oppido, & pro jure omnium, & hominum quoque multitudine ponitur, auctore Verrio Flacco apud Gellium lib. XVIII. Noct. Att. c. 7. Origine sua integrum civilis societatis cœtum notat, juris fruendi & communis utilitatis causa sociatum; sive is in urbe una habitet, sive plura oppida, provincias, amplius dicam, gentes integras complectatur. Quod si ergo omnem Batavorum multitudinem hic intelligamus, concordia unitam, iisdemque legibus utentem; necesse est, ut apud

Flavium Vihtirmatem summa potestas, per omnem Batavorum insulam fuerit; non tanquam Regem, sed summum Magistratum, annuum forte, vel ad certum tempus constitutum. Foret sic æquiparandus summo Magistratui CIVITATIS ÆDUORUM, apud Gruterum 8. pag. 371. laudatæ, quæque eodem fraternitatis nomine cum populo Romano usa est, Tacito auctore XI. Ann. 25. In illa autem *Vergobretus SUMMO MAGISTRATUI præerat, & annuus creabatur, & vitæ necisque in suos potestatem habebat*, Cæsaris verba sunt lib. I. de Bello Gallico c. 16. juncto lib. VII. 33. Popularem sane Batavorum statum fuisse, libertatis amor genti innatus, & virtus militaris, & alia multa nos credere jubent. Tacitus omnium populorum, qui ad Rhenum, eos *virtute præcipuos* dixit, de M. G. c. 29. Hi etiam, si belli tempore a pura politia recedendum erat, majorem potestatem *nobilissimis popularium* mandabant, auctore eodem lib. IV. Hist. c. 12. Ipsum sane *Vihtirmatis* nomen, latum possessorem indicare videtur, sicut *Widigola* est late possessor; *Widimer* late princeps; *Vidiricus* late pollens; *Widulf* late auxiliator; & *Witutdrager* legislator, a promulgando & late spargendo vocatus. Certius autem adjectio *Vihtirmatis filius* insinuat, Flavium nostrum illustri stirpe oriundum fuisse: sic enim Batavorum, Belgarum & Germanorum principes, a Patrum claris nominibus, decus sibi quærere solebant. Apud Strabonem, Σεσιθακος Αιγιμηρυ υιος του Χηρυσκων ηγεμονος· και η γυνη τουτυ Ραμις, Ουκρομηρυ θυγατηρ, ηγεμονος Βαττων. *Sesithacus, Ægimeri filius Cheruscorum ducis, ejusque uxor Rhamis, Ucromeri filia Battorum ducis*, celebratur lib. VII. pag. 292. Alii Χαττων legunt: sed Hattorum, Assorum, Cattorum, Battorum unius gentis vocabula fuerunt, donec Batti a latis arvis, *awen*, nomen Battavorum proprium tulerunt; unde *Betaw* & *Battua provincia* apud Reginonem Abbatem ad A. Chr. 885. ut *Nassau*, *Morau*, *Velau*, aliaque id genus, ab *au* terra vocatur: quod in transcursu, ad illustrationem Strabonis. Addamus, quod Germa-

manorum ducem Segimundum, Tacitus *Segestis filium* vocat 1 Ann. 57. Arminius *Sigimeri filius* audit, apud Velleјum Paterc. l. II. c. 118. Vitrodorus *Viduarii filius* apud Ammian. lib. XVII. 12. qui etiam Regum filios *Regales* appellat lib. XVI. c. 12. quemadmodum Julius Paulus & Claudius Civilis, Batavi, *regia stirpe* multo ceteros anteivisse dicuntur, apud Tacitum lib. IX. Hist. 13. Denique sicut Nileus Nili, Achilles Thetidos natus habitus, ita Virdumarum, Belgarum ducem, genus ab ipso Deo, aut, si mavis, *nobili* Rheno jactasse, auctor est Propertius lib. IV. Eleg. 10.

Claudius Eridanum trajectos arcuit hostes,
Belgica cui vasti parma relicta ducis
Virdumari. genus hic Rheno jactabat ab ipso,
Nobilis e tectis fundere gesa rotis.

§. III.

Verum licet hæc marmoris nostri explicatio satis speciosa videatur, malim tamen *civitatis* vocabulum, vulgari per id tempus, & strictiore significatu accipere, pro civibus unius urbis, qui conjunctione tectorum intra eadem mœnia utebantur. His enim proprie præficiuntur Magistratus, qui domi atque in pace rempublicam administrant, ab imperiis & Præsidibus integrarum provinciarum distincti, *l.* 13. §. 1. *D. de Jurisd. l.* 3. §. 1. *D. Quod met. caus.* Sueton. Cæs. c. 53. unde *Magistratus civitatum* dicuntur. *l.* 3. *C. Th. de superact.* Sic Ammianus Agrippinam ac Tongros *civitates amplas*, vocat. Notitia Provinciarum Galliæ, in Lugdunensi prima, sic habet: *Civitas Æduorum, hoc est Augustodunum. Civitas Arvernorum Arverna.* Hac etiam notione vox eadem frequens occurrit, apud nostros, *Civitas Antiochensium. l.* 37. de Reb. auct. jud. *Emisenorum* in l. ult. de Censibus; etiam in lapidibus priscis apud Gruterum Indicis cap. X. & Sponium Miscell. erud. antiq. p. 161. 188. CIVITAS LEMOVICUM. Accedit quod Batavi totius populi Duces, nisi ingruente bello, legisse haud videntur;

 cos-

eosque lectos Romani non Magistratus, sed Reges, vel Principes appellarunt, ut Tacitus nos docet de M. G. *c.* 7. & clarius Ammianus Marcellinus *Batavorum reges* memorat lib. XVI. c. 12. pag. 159. quoniam, ut auctor est Procopius lib. I. de Bello Gothico, duces illo tempore, minus proprie Reges appellabantur. Quod si denique ex nomine *Vihtirmatis*, Romana incude formato, conjecturam capere liceat, æque illud a sapientia, quam a lata dominatione derivari potest, ut virum sapientem *een wieser man* notet: pariter ac *Vittericus* & *Videricus*, apud Ammianum, est sapientia pollens; *Vitiges* Gothorum Rex, apud Procopium, a *Witte*, prudentia dictus; *Wittichindus* sapiens puer; *Witrad* sapiens consilium: nam T & S in hac voce, ut in multis aliis, idem valere, Grotius in indice nom. propr. Goth. observavit: quocum Lipsius cent. III. ad Belgas epist. 44. & Meibomius de Irminsula tom. III. pag. 26. conjungantur. At quænam sit illa civitas, in qua Vihtirmas Magistratum gessit, dictu est difficillimum: nam speciosius magis, quam verius, vetera nomina cum recentioribus contenduntur; postquam perpetuis bellis, diluviis, vastationibus, incendiis, prædationibus & gentium migrationibus omnia sunt turbata. Surgunt urbes ex parvis initiis, crescunt, florent; rursus concidunt celerrimo lapsu, & dejectæ resurgunt, ut pulchre docuit Ovidius XV. Met. Dorestadum exemplo esse potest; urbs olim magna, & emporium celeberrimum, antequam a Danis & Normannis vastaretur. Quinque & quinquaginta Ecclesias parochiales in eo fuisse Chron. Hersaug. tradit, alii plures. Nunc seges est, ubi Troja fuit! Sed *obscuritatem auxere secuti interpretes, antiquam famam ad suæ quisque gentis decora trahendo*, in simili argumento, verum & prudens Hugonis Grotii est monitum lib. VII. Hist. Belg. ad A. 1598. nec hoc loco omittendum. Amplissimus enim Cuperus eandem hic civitatem intelligit, quam Tacitus *oppidum Batavorum* vocat lib. V. Hist. c. 19. hanc vero cum Is. Pontano, & Joh.

Smetio

Smetio Noviomagum ad Vahalim, urbem & Romanorum temporibus cognitam, & media ætate, inter palatia Regum Francorum, illuſtrem, & nunc celeberrimam interpretatur. Lipſius contra & Ryckius, in ſuis ad Tacitum notis, parum veriſimile judicant, antiquiſſimos Batavos unicum tantum oppidum habuiſſe, ad Gallorum incurſiones inhibendas, ideoque *oppida* apud Tacitum reſcribunt; Codice quidem Romano ſuffulti, ſed parum memores, quod de Batavorum conſanguineis idem Tacitus ſcribit: *Nullas Germanorum populis urbes habitari, ſatis notum eſt; ne pati quidem inter ſe junctas ſedes.* & Ammianus: *Ipſa oppida, ut circumdata retibus luſtra, declinant.* Mihi Cluverii ſententia verior videtur; qui oppidum illud ad Moſam referre voluit, ubi caſtrum *Batenburg* ſupereſt. lib. II. Germ. ant. c. 12. Quamvis enim Legionis X. Gem. hiberna Neomagi fuerint, vix tamen Urbis tanta eſt antiquitas, ut ad Veſpaſiani principatum adſcendat: quandoquidem nulla ejus mentio occurrit ante auctorem tabulæ, quæ Theodoſiana appellatur. Adde quod Noviomagum, ſtatim cum ſuo exordio, proprium nomen Celticum ex *Nie* & *mægen* habuiſſe videtur; ut nomine generali minime fuerit opus. Pertinet huc, quod Rhenanus, Cambdenus & Bochartus obſervarunt, *magum* apud Germanos, Gallos & Britannos ædificium, oppidum, domicilium, aut affinitatem, *magſchap*, ſignificare; unde triginta, & quod excurrit, urbes, in *magus* deſinentes, enumerari poſſunt. Buchanan. lib. II. Hiſt. Scot. MAGUS, *item vox antiqua, in omnibus provinciis, in quibus publicus fuit uſus Gallici ſermonis, in nominibus urbium exprimendis admodum frequens, quæ res Gallicam eam fuiſſe indicat.* Unum præterea oppidum inſigne, ad extrema Galliæ ora, ut Tacitus ait, Batavi tantum poſſediſſe videntur, virorum principum ſedem, extra inſulam inter Vahalim & Moſam collocatam. Aut certe oppidum illud κατ' ἐξοχὴν ſic dictum; quemadmodum Græci antiqui, quum ἄστυ dicunt, Athenas ſignant; hodierni vero ſolam Conſtantinopolin πόλιν appellare ſolent. Romani itidem Hi-

storici vetustiores *oppidi* mentionem facientes, Romam antiquam, posteriores *Urbis* appellatione novam intellexerunt. Tacitus autem *quatuor modicos vicos* tantum in insula commemorat v. Hist. 20. quos inter *Wyck te Durstede* veram nominis vim conservat, ut *Brunswyk*, *Sleswyk*, aliæque in Germania urbes. Vicos hos erudite explicavit Ampl. Menso Altingius, in notitia Bataviæ; qui & oppidum illud Batavorum ad Mosam, a Claudio Civili injecto igne absumtum, statim finito bello instauratum, & ex Celtica voce *Duren*, velut alterum forum judiciarium, & Batavodurum, dictum esse opinatur, adeoque in Ptolemæi tabula Galliæ recte ad Mosam collocari.

§ IV.

Quod si hujus sententiam satis, ut videtur, probabilem amplectamur, colligere licebit: oppidum illud Batavorum, quod anno Æræ Christianæ septuagesimo incensum, & cum nomine singulari restitutum est, longe aliud fuisse, quam *civitas* post annum Christi quinquagesimum & ducentesimum, ut Cuperus erudite suspicatur, in marmore nostro memorata. Conjecturis utique mage speciosis Batavorum ista civitas, in nova, post ductam a Druso fossam, provincia, ad utramque Rheni ripam, quæri posset Trajecti, licet in re vetusta nil certi polliceri queamus. Enimvero Urbs nostra, præ ceteris, hoc inter laudes suas vindicat, quod ævum habet, & ab ipsa antiquitate tulit nomen. Neque enim *antiqua* tantum *civitas*, in vita S. Gregorii apud Brouwerum, & *vetus Trajectum* in charta Caroli M. apud Hedam in Albrico, sed & proavi hujus Pippini Herstalli ætate, *illustre castellum* apud Bedam lib. V. Hist. eccl. c. 12. immo Utrecht, quasi *Ald*, *Old*, *Outrecht*, & abjecta littera *O*, *Utrecht* vocatur. Antiquius *Antoninæ* vel *Ultricesii* nomen, quod, ex Hortensio & Rhenano, passim narratur ab illis, qui creduli omnia amplectuntur, judicii trutina nihil pensant, jam pueri, qui fari incipiunt, aspernantur, & post Buchelium, rejecit Cl. Matthæus, in notis ad Be-

kam

kam tom. V. Analectorum. Nec tamen in alia omnia trahere debebat Buchelium, quod in chartis apud Hedam *castrum Trajectum*, & *castellum* Alcuino vocatur. Nil quippe id ætatis scriptoribus, Græcis & Latinis, fuit frequentius, quam civitates κάστρα, *Castra* appellare; quia ritu castrorum militarium fossis munitæ erant, & castra urbibus initia dederunt, ut Frenius in utroque Glossario docuit, Lipsius in Lovanio l. 1. c. 6. & Matthæus de nobil. lib. I. c. 24. lib. II. c. 1. Quærit Cl. Altingius: *cujusnam vero opus?* & a sacris demum Christianis, ultimam Trajecti memoriam repetendam contendit. Sed Willibrodi tempore, urbs jam celebris fuit, & arx regni Frisiæ, teste Theofrido, Abbate Epternacensi. Annales Bertiniani ad A. DCCCXXXIV. *Interim classis de Dania veniens in Frisiam, aliquam partem ex illa devastavit; & inde, per* Vetus Trajectum, *ad emporium, quod vocatur Dorestadus, venientes, omnia diripuerunt.* Quinimo Childebertus Rex, in charta de A. DXCV. apud Baluz. t. I. p. 17. *Trejecto nobis convenit campo.* quam Goldastus tom. 3. Const. male retulit ad A. DXXXIX. Rursus apud Baluz. t. 2. p. 42. *Reges fratres convenerunt secus municipium Trejectum, in loco, qui dicitur Marsna.* Qui *locus*, an vicinus nobis pagus *Maersen* fuerit, an vero ad Mosam situs, dubitant; sed hoc verius puto. Scimus, Drusum, Augusti privignum, quinquaginta castella per Rheni ripam direxisse; ut Florus memoriæ prodidit lib. IV. c. 12. Valentinianus quoque Rhenum omnem a Rætiarum exordio, ad usque feralem Oceanum, magnis molibus communivit, castra extollens altius & castella, turresque assiduas, per habiles locos & opportunos, nonnunquam etiam ædificiis positis ultra flumen, auctore Ammiano Marcellino lib. XXVIII. c. 2. Quæ duo egregia loca merito basis & fundus fuerunt illis, qui in originem & incrementa Trajecti inquisiverunt. Inter priora enim castra, a Druso ædificata, Trajectinum fuisse, non modo ex vicina Drusi fossa conjicitur, sed & inde constat, quia Antoninus Augustus,

stus, in Itinerario suo (quod tamen posterioris ævi multas continet reliquias) jam meminit *Trajecti*, neutro genere; verissimam castri vel oppidi præbens notam: quum si locum, ubi Rhenus trajiciebatur, ostendere voluisset, *trajectus* dicere debebat, quorum innumeri ad Rhenum fuerunt. Pro Rheni quippe transitu vectigal accipiebant Romani: qui tum temporis, flumina ac terras, & cœlum quodammodo ipsum clauserant: unde Agrippinenses apud Tacitum IV. Hist. c. 65. *Vectigal & onera commerciorum resolvimus. Sint transitus incustoditi, sed diurni & inermes.* Hinc porta Trajectina, a telonio publicanorum *de Tolsteegs Poort* appellatur.

§. V.

Sed non multis opus est. Originem Urbis Romanam & antiquissimam ipsum nomen Latinum ostendit, quod per metaplasmi speciem, quam syncopam vocant, a Batavis postea, vel ipsis Romanis, in *Trecht* mutatum esse videtur. Sic enim, ut alia mittam, Willibaldus, in vita S Bonifacii: *Injuncto Episcopo in urbe, quæ vocatur Trehit.* Othlonus vero in ejusdem vita: *Episcopatu in Urbe, quæ dicitur Thret*, apud Mabillon sæc. III. Benedict. Aliter Surius ad V. Jun. sed is Othloni stilum sæpe corrupit. *Districtum Trectis*, in divisione Regni Lotharii, est apud Baluz. tom. II. Cap. pag. 223. Etiam Zacharias Papa Moguntiæ metropoli subjicit *Tungris*, *Coloniam*, *Wormatiam*, *Spiratiam & Trectis*, id est, Trajectum ad Rhenum, in litteris apud Mabillonium *d. l.* Qui varias litterarum mutationes, & vocum longiorum compendia norunt, hanc etymologiam facile probabunt. Ipsi Romani *traicto* διηυλλαξως pro trajecto, & *traice* pro trajice dixerunt; quod exemplo simili Virgiliano *reice capellas*, Scaliger ad Varronem firmavit. Syncope certe illis valde frequens fuit, ut Lucas Fruterius lib. II. Verisim. c. XI. præclaris exemplis ostendit. Nec minus *adicio*, quam *adjicio*, reperitur in veterum monumentis, quicquid contra disputarit Gellius lib. IV. c. 17. Accedit, quod Romani sonum

sonum litteræ C. per G. efferebant, unde *C. gammæ vice prius functum*, scripsit Ausonius; & Victorinus *C. nomen habuit G. & usum præstitit*. Pariter ergo ac Cajus pronuntiabant, ut Gajus; sic Traictum, ut Tregtum, unde *Tregt*; quod nemo observavit, nec ipse Janus Rutgersius lib III. Var. lect. c. 13. ubi *Dordrecht*, a trajectu ad Dortam fluvium, qui Mosæ mistus disparuit, dictum esse recte conjecit. Apprime hanc sententiam firmant vetusti Regum Francorum nummi, a Boterovio editi, in quibus Trajectum ad Mosam *Triectum* vocatur: nam qui ibi cusi, hanc habent inscriptionem: TRIECTO FIT. auctor Germano apud Mabill. de Re dipl. lib. IV. c. 144. Illud vero, quod ad nostrum Trajectum attinet, haud præteribo, minus recte ad partes vocari Aimoinum Hist. Franc. lib. V. c. 25. ut probetur, jam sæculo nono nomen *Trecht* in *Utrecht* degenerasse: quia quæ post caput 41. libri IV. Aimoini leguntur, a duobus consarcinatoribus adjecta sunt, quorum ætas vix definiri potest; quum & Saxonis Grammatici mentionem fecerunt. Castro itaque antiquissimo Romano, & commerciis maxime opportuno, confluxu accolarum mature vicoppidum, κωμόπολις, oppidum muris carens accessit, quod *vicus Trajectum* in chartis antiquis appellatur. Simili ergo ratione, qua Stephanus in vita S. Lamberti, a Chapeavilla edita, Trajectum ad Mosam *vicum* nominavit; quia subjunctum ei suburbium Trans-Mosanum, proprio nomine *Wyck*, quod hodie retinet, appellabatur; licet Godeschalcus, sub Pippino clarus, in vita S. Lamberti, idem Trajectum recte *Urbem* vocarit, ut eruditissimus Valesius animadvertit. Sic etiam commeantium frequentia factum est, ut coli cœperit & ædificiis augeri *vicus* noster ad Rhenum, donec civitas vallo clausa & muris firmata evasit. Verumenimvero quia tot alii prope castra, pagos, vicos & oppida increverant trajectus, nota characteristica jam olim opus fuit, qua ab illis distingueretur. At nulla apta magis & naturalis fingi potest, quam *civitas Batavorum* ad trajectum; his enim quam maxime, utet Romanis,

Ooo ex

ex vetere insula in novam, ad Caninefates Frisiosque, heic loci Rhenus erat transjiciendus: ad cujus utramque ripam primum cauponæ, dein crebra habitacula hic extructa fuerunt, ut post Hedam, docet Cluver. de tribus Rheni alv: cap. 21. & præter manentia adhuc riparum vestigia, veteris Rheni appellatio, nunquam intermoritura, ostendit. Loco igitur cognomen dedisse videntur, & quemadmodum Trajectum ad Mosam *Tungrorum Trajectensis urbs*, apud Gregorium Turonensem II. Hist. c. 5. vocatur, ac Francofurtum Francorum vadum explicavit Guntherus lib. I. Ligurini ℣. 178. sic Trajectum *Batavorum oppidum*, & serius, quasi postliminio, *Hollandiæ metropolis*, ut Veldenaer in pr. Chron. Holl. & Joan a Leidis lib. 1. c. 1. scripserunt. Non aliter sane intelligi potest, quod Venerabilis Beda lib. V. de Gestis Anglorum c. 12. & ex eo Sigebertus Gemblacensis ad A. ᴊᴅᴄxᴄᴠɪɪ. ubi Willibrordi res gestas exponunt, & *Trajectum ad Rhenum illustre castellum* vocant, testantur, *Trajectum lingua Gallica oppidum notare*. Hujus enim trajectus nobilissimi, & simul Batavorum civitatis exemplo, Belgæ oppida sua aquis apposita *Drecht*, *Trecht*, & *Tricht*, pro diversa dialectorum ratione, ut Maestricht, Drechterland, Menkendrecht, Moerdrecht, Maaldrecht, Turedrecht appellasse videntur. *Trecht* in vita S. Sturmionis apud Brouwerum laudatur, etiam vicus Galliæ Trejectum, super Matronam, vulgo Triport, aut Trillebardou dictus, olim a portu *Triet*, aut *Trijet*, quasi *Trajet* dictus, teste Germano apud Mabillon. de R. D. lib. IV. c. 69. Ut adeo nonovum ovo, nec lac lacti videatur similius, quam Latinorum *civitas*, & Gallorum *Trajectum*. Forsan autem civitatis Batavorum cognomen usurpari desiit, ex quo in Frisiorum nomen omnia concesserunt, & Trajectum *Frisiæ oppidum*, vel *Frisiæ urbs* facta, uti Otto Frisingensis lib. VII. c. 16. & Hermannus Contractus ad A. MXLVII. eam nuncuparunt. *Arx & solium regni Frisiæ* vocatur, apud Theofridum, Abbatem Epternacensem, in vita Willibror-

di

di c. 5. Fortassis etiam nomen jam mutatum, ex quo Wilti, Slavorum populi, a morum ferocia ita dicti, castrum illud Romanum occuparunt, & de suo nomine *Wiltenburg* dixerunt; quod Antonius Matthæus, verissimum esse credidit, lib. 2. de Nobil. c. 1. & plenius in præfat. Tractatus de jure gladii. adstruere sategit. Vereor autem, ut omnibus id persuaserit; quia notus in agro Trajectino collis, omnis generis numismata, rudera & fragmenta, vel leviter effossa humo, ostendens, ad exsiccatum Rheni alveum, non procul ab urbe, nomen *Wiltenburg* servat: & quidam vocem illam, ex notis marginalibus, in Bedæ textum irrepsisse contendunt. Quicquid est, nulla profecto urbs, in hoc tractu, Pippini tempore, fuit commendatior, quæ ad sacræ dignitatis honorem eveheretur. Nec Franci ullam in Frisia urbem invenisse videntur, quando Carolus Martellus regnum illud, devicto Poppone, evertit; si unum excipias Trajectum, quod a Romanis extructum esse, fidenter nobiscum asserit Conringius de Urb. Germ. §. 26. Proposui conjecturam meam: lubricam dicent alii, & incertam: sed qui meliora docuerit, eum vatem optimum perhibebo.

§. VI.

Cuicunque autem civitati honos ille antiquitatis debeatur, hoc ex marmoris hujus inscriptione liquet, plures, ethnicis illis temporibus, civitatis Batavorum fuisse Magistratus, quorum ille summus, qui principem in curia sua obtinuit locum, & civitatis gubernacula administravit. Quid illi nominis fuerit, in tanto veterum silentio vix dici potest: hoc largientur omnes, Germanicæ originis vocabulum illud fuisse, quod Romani ad suum morem expresserunt. Pariter enim ac deum gentis Batavorum, ex signi similitudine vel muneris paritate, ut supra diximus, eundem existimarunt, quem domi suæ Herculem vocabant, *interpretatione Romana*, ait Tacitus de M. G. c. 43. sic & barbarum Flavii magistratum summum appellarunt, ad exemplum Consulum Romanorum. Penes hos, si vim imperii

& poteſtatis ſpectes, *ſummum jus* fuit l. 2. §. 16. de Orig. jur. *ſummi faſces* Rutilius Itin. V. 175. & *ſumma poteſtas* Sueton. Calig. c. 26. Ovidius eos *ſummos* appellat lib. IV. de Ponto eleg. 2. Græci υπατυς; *quoniam id quod ſummum eſt, priſci Græci* υπατον *dixerunt*, auctore Dionyſ. Halicarn. lib. IV. *Honorum populi finis eſt Conſulatus*, dixit Cicero pro Plancio c. xxv. *Faſtigium* paſſim apud ſcriptores; *potiſſimus Magiſtratus* Sidonio Apollinari, & κορυφη και κεφαλη των αρχων, apex omnium honorum, Chryſoſtomo appellatur. Atque hæc cauſa eſt, cur Romani aliarum gentium primos Rectores nunc Conſules, nunc ſummos Magiſtratus interpretari ſolebant: nam Suffetes, quos Livius ait, *ſummum Pœnis fuiſſe magiſtratum*, Juſtinus *Conſules* appellavit lib. XXXII. c. 2. nomine Suffetes, *quod ad potentiam Conſules* Salvianus dixiſſet, de gubernat. Dei lib. VII. pag. 149. In ipſis municipiis Duumviratus *maximus honor*, id eſt ſummus Magiſtratus vocatur, *l. 1. D. de Albo ſcrib.* quamvis enim duo eſſent, unum tamen magiſtratum adminiſtrabant, hominis unius vicem ſuſtinentes *l. 25. D. ad Municip. l. 13. C. de Magiſtr. municip.* Apulejus Theſeo patre *loco principe duumvirali* gloriatur. *Summates* civitatis Cæſarienſis habet Symmachus. Sed maxime huc pertinet Auſonii locus, Idyll. X. ubi Moſellæ laudibus defunctus, accinctum ſeſe olim, ait, ad deprædicandos Belgas, Batavorum vicinos, fama & magiſtratibus claros:

Quis mihi tum non dictus erit? Memorabo quietos
Agricolas: legumque catos fandique potentes,
Præſidium ſublime reis. Quos curia SUMMOS
Municipum vidit PROCERES, *propriumque ſenatum.*
Quique ſuas rexere urbes, purumque tribunal
Sanguine & innocuas illuſtravere ſecures.

§. VII.

Hæc ad illuſtrationem marmoris antiqui, & in honorem Trajecti, urbis ſplendidiſſimæ, dicta ſufficiant: nec prorſus extra oleas, opinor. Nunc in viam revertentes fata nominis

nis Consularis persequamur. Non sane illud deletum fuit in Occidente, circa Justiniani ævum, nec solis Duumviris quarundam coloniarum & municipiorum cessit; sed apud Reges, Duces, Comites & Marchiones, in memoriam pristini splendoris, atque originis Romanæ, venerandum semper permansit. Celeberrimus omnium Consulum est Clodovæus, Rex Francorum, qui, ab Anastasio, Imperatore Constantinopolitano, *codicillos de consulatu* accepit, auctore Gregorio Turonensi lib. 2. Hist. c. 38. Eruditus Calvisius, in opere Chronologico, *Consulatus* vocabulo triumphi insignia; Carolus Cointius ipsum Imperium intelligi opinantur. Verum probabilior est V. Cl. Hadriani Valesii sententia, hoc nomine Patriciatus Romani dignitatem significari; id quod, præter Ruinartum in notis, Pagius Crit. ad Baron. A. 508. n. 2. & in proleg. Dissert. Hypat. n. 9. multis confirmavit. Similem in modum Fredegarii continuator Chron. c. 110. Papam Gregorium III. refert, Carolo Martello *Romanum consulatum*, id est Patriciatum, cui defensio Ecclesiæ annexa erat, sancivisse. Nec alio sensu Carolus M. in versibus libro Evangeliorum inscriptis, apud Duchenium tom. 1. pag. 189. Consul appellatur: *voluit quo visere Consul.* Vid. Frenius in Glossario voce *Consul.* Sed præter Patriciatum Romanum, Consulatus vocabulo ornatum, tanta apud Gallos, Anglos & Germanos, nominis hujus admiratio fuit, ut in quovis altiore dignitatis gradu constituti id ambirent, & Consul, Dux, Marchio, Comes promiscue sumerentur. Non equidem ipsos movebat, quod ita summos utriusque Imperii honores in se conjungi putarent, ut Alteserra fingit de Ducib. & Com. lib. II. c. 5. Sed Consules a consulendo dicti, quia in Regum consilia erant adsciti, aut certe quoniam ea persuasio mentes tunc occupaverat, nominibus Roma petitis maximum decus inesse. Unde Sidonius Romam *Curiam dignitatum* lib. I. ep. 6. Cassiodorus *matrem omnium dignitatum* appellavit, lib. I. Ep. 32. Sane temporibus Pippini & Caro-

li M. Theodericus Dux Aquitaniæ, cum filio Guillelmo I. nomen Consulis & Consulatum sortiti sunt, teste Orderico Vitali lib. VI. Hist. Dudo, S. Quintini Decanus de morib. Normann. pag. 130. Richardum Normanniæ ducem, *dulce caput Consulum* vocavit. Odonem, Comitem Campaniæ, Consulem appellitat Matthæus Westmonasteriensis. Consules Cestriæ, Flandriæ, & Cenomaniæ occurrunt apud Robertum de Monte, in access. ad Sigebert. A. 1042. & 1099. Fulco bonus, Comes, *Consulis Andegavensis* titulo decoratur, apud eundem ad A. 1117. Leges Edwardi Confess. c. 2. *Quod modo vocatur Comitatus olim apud Britones, temporibus Romanorum, in regno isto Britanniæ vocabatur Consulatus, & qui modo vocabantur Vice-Comites, tunc temporis Vice-Consules vocabantur.* Albericus Monachus ad A. 913. *Vir inclitus Comes Gastinensis, Ingelerius nomine, Hugonis Ducis Burgundiæ nepos, Loziæ & Ambaziæ dominus, factus est Consul Andegavensium, a Rege Franciæ.* Infinita talia scriptorum loca adsunt, quorum multa Frenius in Glossario, voce *Consul*, alia Berter. 1. *pithanon.* 10. alia Matthæus collegit *lib.* I. *de Nobilit. c.* 16. & *lib. III. c.* 2. Idem tomo III. Analect. pag. 290. primores populi Proceres, qui nunc apud Frisios Grietmanni, certæ terrarum parti, cum summa potestate præfectos, sæculo decimo tertio Consules dictos esse, observavit. Rursus apud Anastasium, in collectaneis, aliosque, Consules appellari, qui Regni Senatores, Principum Consiliarii, & præcipui imperii ministri erant, idem Matthæus cap. 4. de Jure gladii ostendit. Sic mercatorum Consules, in portubus maris, suæ nationis merces tuentur, & Tripoli, Alexandriæ, Cairi, seu Memphi, hodie jurisdictionem exercent. Olim Anconitanorum & Pisanorum Magistratus, qui Constantinopoli degebat, Κόνσουλος appellatus, auctore Codino cap. 7. de Off. Constant. n. 9. & 10. Meminit etiam Pachymeres lib. II. c. 32. & Nicephorus Gregoras lib. IV. sect. 9. *Magistratus*, inquit, *qui certis temporibus eo mittuntur, Venetorum Bajulus; Pisa-*

no-

norum Consul; *Genuensium Potestas appellatur: quæ in Græcam dialectum traducta, unum quidem nomen Procuratorem; alterum Præsidem; ultimum auctoritate pollentem notat.* Amiralii etiam, seu supremi Classium Præfecti, hoc nominis tulerunt apud Saracenos: sed an Consulatus, proprie ita dictus, viguerit apud Arabes, qui Hispaniam occuparunt, sic ut eorum Sultani Consulatum, instar Tribunitiæ potestatis gesserint, ut Pagius volebat, in Diss. hyp. p. 2. c. 4. n. 20. 21. id Vir nunquam satis laudatus, Carolus du Fresne discussit, in Glossar. Græc. t. 1. pag. 1268.

§. VIII.

Quod si ergo viri Principes Consulis nomen affectarunt, non est, quod miremur, usum ejus necdum vulgatum fuisse, aut Rectoribus civitatum promiscue tributum. Aliis autem honorum vocabulis hi denominabantur, inter quæ primum locum obtineat *Potestatis* vox, a Præsidibus provinciarum, ad summos Magistratus urbium liberarum translata. Julius Paulus, in illis, potestatis verbo, imperium significari scribit *l.* 215. *de V. S.* Modestinus refert, fidejussorem a *potestate* impetrasse, ut pignora possideret, *l.* 26. *pr. D. de Pignor.* & Junius Gracchanus libros de Potestatibus scripsit, quorum septimum habes, in *l. un. D. de Off. quæst.* Apud Juvenalem *Gabiorum potestatis* expressa occurrit mentio *lib.* X. ỷ. 200. Græcis πολιτικαὶ ἐξουσίαι etiam municipiorum magistratus dicti, auctore Valesio ad Eusebii Hist. Eccl. lib. V. c. 1. Ejusque appellationis exempla, apud posterioris ævi scriptores, etiam Græcos, ut modo diximus, maxime vero apud Innocentium III. Honorium III. & Clementem IV. vulgaria sunt. Immo sicut hodie in Italiæ & Venetæ ditionis urbibus, is, qui jurisdictioni præest, & civitatis negotia cum potestate quadam gerit, *Podestà* dicitur, ita Potestas Patavina, Bononiensis, Arelatensis, Avenionensis, Massiliensis, civibus in rebus belli ac pacis libere imperarunt. Apud Frisios vero rector totius gentis, e sui medio electus, *Potestas* appellatus; donec Imperatores, aut Reges,

Co-

Comites & Schultesios juri dicundo, in Frisiam miserunt, ut Ubbo Emmius, in Frisiæ descript. generali pag. 9. ostendit. De civicis nostris Fridericus, in Constitutione ecclesiastica apud Cironium, in quinta compilatione Decret. pag. 4. loquitur: *Potestates*, *Consules*, *Rectores*, *Statutarii.* cui addo Guntherum lib. 9. Ligur.

Inde per Etruscas Legatos destinat urbes,
Campanasque domos, & quas in litore curvo
Æquorei lavat unda salis: quo debita fisco
Jura vetusta petant, per quos statuantur in omni
Urbe Magistratus, & civica quæque Potestas.

Hoc amplius Octavius Ferrarius, in Originibus linguæ Italicæ observavit, Brixiæ decurionum primates *Abbates* dictos; eadem nomenclatura, qua Prætor Genuensium, & qui Galatinis, ab his missus, imperitabat Consul, donatus est. Forsan ad imitationem *Patrum civitatum*, qui πατέρες πόλεων, in Justini & Justiniani constitutionibus Græcis, appellantur *l.* 12. *C. de Hæret. l.* 1. *C. de Aleat. Nov.* 160. *pr.* De Gallis Strabo memoriæ prodidit lib. IV. florente populari politia, primores urbium deligi solitos, qui in singulos annos jura redderent. Horum autem nomen non unum fuit: nam Vergobretus Flaviæ Heduorum præfuit, ut ex Cæsaris lib. I. c. 16. supra diximus: id vero nominis Augustodunum, primaria civitas, ad hæc usque tempora, retinuit, sed media parte truncatum; ut princeps Magistratus *Vierg* dicatur. Tolosani Consules suos Capitolinos, *Capitous* appellant, sive a Capitolio, a Romanis extructo, cujus nomen & vestigia supersunt; sive a capitulo: nam *Capitularii* etiam, *Capitulares*, vel *Domini de Capitulo* dicti, auctore Alteserra lib. III. Rer. Aquit. c. 4. Burdegalenses vero rectores suos *Juratos* vocant, quorum caput *Major* dicitur. Similiter *Major & jurati Suessionenses*, in vetere Aresto Parlamenti, sunt apud Choppinum de domanio Franc. lib. III. tit. 20. n. 10. In aliis Galliæ urbibus Scabini, quasi lecti judices, Germanico vocabulo, appellati, ut discimus ex

Ale-

Alexandri IV. Romani Pontificis, c. 1. de Immunit. Eccl. in 6. *In regno Franciae*, inquit, *communiae, Scabini, seu Consules, jurisdictionem in ipsis communiis, civitatibus, castris & villis temporalem exercent.* Non multis a Gallis discrepant Belgicarum urbium rectores, de quibus Gregorii IX Pont. Rom. decretalis epistola extat, de alienat. jud. mut. caus. *Ex parte Scabinorum Hypretis*; id est *Ypre* in Flandria, quae nunc Burgimagistros habet. Qui Gallis *Eschevins*, Anglis *Aldermanni* dicuntur, etiam in amplissimo Metropolis Londinensis collegio; quod, Ricardo I. auspice, libera Urbis administratione & honoribus auctum est, ut annales Anglorum produnt. LL. Edwardi Confess. c. 35. *Sicut modo vocantur Greve, qui super alios praefecturas habent: ita apud Anglos antiquitus vocabantur Ealdormen, quasi Seniores; non propter senectutem, sed propter sapientiam & dignitatem.* Apud Frisiones, stante populari libertate, eadem vox, pura puta Germanica, usitata fuit, & ab his, sine dubio, in Angliam delata. Qui enim Leovardiae, Doccumi, Franekerae, & Harlingae Senior in Senatu erat, eique praesidebat, patrio sermone, *Oldermannus* dictus, ceteri Scabini, Senatores vel Jurati, auctore Ubbone Emmio de Frisior. Rep. pag. 16. De Principalibus vel Honoratis, *Hondradis*, duumviris, quatuorviris vel Seviris Hispanorum, videatur Petrus de Marca, Marcae Hispan. lib. II. c. 14. §. 13.

§. IX.

Quemadmodum ergo, in medio aevo, propriis honorum vocabulis singulae civitates magistratus suos ornarunt; sic inter vetustiores Carthago Suffetes habuit, Capua Medixtuticos, Corinthus Prytanes, Athenae Archontas, Cyprus Anactas, Massilia Timuchos, Catina Proagoros, Constantinopolis Dissipatos, Messina Strategos, aliae aliter suos appellarunt. Nec Batavis, quondam Cattorum populo, ut Tacitus tradit, & seditione domestica in eas sedes transgresso, in vernacula videntur nomina defuisse, quibus summos & imos suos Magistratus honorarent. Haec ut cogno-

 scerem,

fecerem, nulli peperci industriæ, excussi & perreptavi, quoad a me fieri potuit, medii ævi monumenta; nec antiquius, in Cimmeriis illis tenebris, nunc quidem reperire licuit ullum, quam *Mergrævii* nomen. Notatu dignus est locus in LL. Edwardi Confessoris c. xxxv. *Greve quoque nomen est potestatis, &c. Unde Teutonici, Frisones & Flandrenses Consules suos MERGREVE, quasi majores dominos, vel bonos pacificos, vocare solent.* Nomen verum, etymon incertum. Illud patet, vocem *Mergreve* ex *mer*, *maire*, & *Gráve* compositam esse. *Mer* autem principem notat Gregorio Turonensi aliisque. Hinc Tillius comm. de reb. Gall. l. 2. *Maieri* vel *mairii* vocabulum origine Germanicum esse, & præfectum, præsidem, rectorem designare scribit. Quæ sententia tot priscis Germanorum Maris, ut *Britomari*, *Teutomari*, *Catumeri*, *Gilimeri*, *Fillmeri*, *Rotemeri*, *Vithimiri*, *Segimiri*, *Condomari*, *Civismari*, & antiquissimo *Indumari*, sive *Indutiomari*, summi Trevirorum Magistratus nomine, cujus Cæsar meminit, juvari possit. *Virdumarum*, Rheni progeniem, celebravit Propertius; qui & *Viridomarus* & *Britomarus* Floro, Orosio & Jornandi dictus. *Ricimeris* meminit inscriptio l. 13. *C. Th. de Re milit.* THEUDOMER REX in nummo aureo legitur. Apud Claudian. lib. I. de Laud. Stil.

Marcomer Sunnoque docent.

Multa id genus alia collegit Hadrianus Junius in Batavia c. 23. & laudatam etymi Tilliani rationem, magis consentaneam esse, ait, dignitati & officio personarum principalis fortunæ. Bochartus addit, Gallorum principum nomina a *mar* composita esse, quia id Britannis *magnum*, Syris *dominum* sonat; unde μαραναθα dominus noster venit. 1 Cor. XVI. 22. *lib.* 1. *Geogr. c.* 42. Reinesius contra lib. III. Var. Lect. c. 2. *Mairii* vocabulum, a Germanis, ceterisque Romane scribentibus quarumvis nationum hominibus, è Latino *Major*, corruptum esse, & magistratum vel judicem notare, existimavit, quia apud Suidam est: Μαιωραι οι πρεσβυται. Janus etiam

etiam a Costa ad titulum Decretalium *de Majoritate & obedientia* erroris omnes arguit, qui vocabulum *Maire*, a Germanica voce *Meier* deductum esse censent: quia Major populi Neapolitani plebejus Magistratus vocatur apud Gregorium I. *lib.* 7. *Registri ep.* 27. Major Rupellæ in inscript. *cap. pen.* X. *de Consuetud.* Major domus in *can. Volumus* 89. *dist.* Costam laudat & sequitur Menagius in dictionario, voce *maire*, atque in Picardia *Mayeur de ville* dici, addit. Matthæus lib. IV. de nobil. c. 2. ex Græcorum μειζοτέροις argumentum depromit. Potuisset addere Hispanos, quibus *Majorinus* & *Meirinus*, sicut *Meirinho* Lusitanis, est Magistratus causarum cognitioni præfectus. *Majorinos vel alios rectores civitatum* habes, in Concilio apud Pennam fidelem an. 1302. c. 13. Gallis sane hac voce nihil frequentius fuit, & peculiarem Sidonio loquendi formulam, *Domine Major*, Arvernum idioma redolere, Joh. Savaro ad primam ejus epistolam observavit. Apud Francos princeps in regum palatio dignitas, *major domatus* dicebatur, & Civitatibus sui fuerunt Majores, *maires* vulgo: *Amalricus major de Buxido* est in Capit. Caroli Calvi tit. 13. In legibus Wisigothorum lib. 9. tit. 1. l. 6. *Major in loco.* Mihi sic videtur: ut origines plerarumque civitatum exiles, sic rudia quoque magistratuum nomina fuisse; quæ cum vitæ elegantia mutari cœperunt: quia *principia sua semper sequens magnitudo obruit*, ait Seneca l. 111. de benef. 29. Jam vero maxima pars civitatum ex villis, & vicis, *Meyereien*, enata est, quorum Præfecti, in illa temporum simplicitate, sua honoris & potestatis vocabula *Meyeri* pariter ac *Sculdacii*, *Sculteti*, retinuerunt, quæ Romani, linguæ Teutonicæ rudes, per *Major* explicarunt. Plane apud Francos, qui villæ regiæ præerant, & domini nomine incolis jus dicebant, *Majores villarum* vocantur, in Capitularibus, apud Hincmarum aliosque, a Frenio in Glossario laudatos. Iidem *Villici* interdum dicti, sive a Francogallica voce *Ville* civitas, quæ ex complurium in agris mansionum & ædium collectione exsurgit: sive a Romanis petiti, qui

ad quoslibet præfectos eam vocem transtulerunt. *Villicus ærarii* est in Priapejis: *alimentorum*, *pagorum* in lapidibus antiquis. Juvenalis Sat. IV. ỳ. 77. de ipsa Roma:

Pegasus attonitæ positus modo Villicus Urbi.

Hujus imitatione *Villicos & Scabinos Leodienses*, habes apud Hocsemium c. 10. Prætor Groninganus, *Villicus in Groningen*, vernacule *Grunevuogt*, in charta audit antiqua, quæ in Kempii rerum Frisicarum opere reperitur. *Villicus civitatis* est apud Joh. de Leidis in Chron. Holl. *Ballivum sive Villicum* habet Beka an. 1322. Ab Embrico Villico, Embrici villa dicta; & Prætorem Gandavensem notissimo hodie vocabulo, *Villanum de Gandavo* appellari, Menso Altingius notitiæ p. II. p. 74. testatur. Sed hæc ad judices magis & Burgravios pertinent, quam ad Consules, quos Edwardus *Meergrevios* dictos esse tradit, adjectione honoris causa, ab ætate & canitie desumta, quasi *Grauven*, Graviones. Qui hos a γράφειν, a *grave* fossa, vel a *graeven*, ab eruendis caussarum meritis, quod erudito Altingio placuisse miror, vel ab aureo Regis graphiario, cum Chifletio, dictos volunt, unusquisque facile videt, quam longe a vero absint. Magna enim reverentia senectuti apud Germanos fuit. *Majores natu*, ut Cæsar vocat IV. de B. G. c. 13. sive *Grietmanni*, *Griese mannen*, viri canitie venerabiles, atque consuetudinum olitanarum periti, publicis Germanorum muneribus erant præficiendi; quia plus apud eos boni mores, quam Romæ leges scriptæ valebant. Ipsi civium judices *Sagibarones*, in tit. 56. L Salicæ, vocantur, id est viri ætate & sapientia maturi, quibus controversias decidendi facultas erat. Et nihil prudentius isto instituto. Consilia senum, hastæ juvenum in proverbio sunt. Stomachatur nemo, cui per ætatem imperatur, neque se meliorem esse credit; præsertim cum hoc præmium recepturus sit, cum res tulerit justa ætate, ut pluribus disserit Aristoteles VII. Polit. 14. Claudianus bellis annisque verendos Getarum Proceres describens, de bello Getico canit:

Heic

Heic aliquis gravior natu, cui plurima dictis
Consiliisque fides.

§. X.

Hæc paulo fusius edisserenda fuerunt, ut appareret, quam recte Hermannus Conringius, in disputatione de Urb. Germ. §. 75. scripserit: *absque dubio omnibus urbibus, Francorum ætate, jam suos Burgimagistros fuisse, negotiis civilibus dirigendis* Tantum vero abest, ut vox illa Capitularibus & Historicis Francorum sit nota, ut solum Capitolini, Oldermanni, Quatuorviri, Rectores civitatum, Scabini, aliisque vocabulis, supra §. VIII allatis, dicantur. Omnium autem frequentissima vox *Majoris* erat, *le Maire*; cujus meminit Capitulare Caroli M. *ut Presbyteri neque judices, neque Majores fiant:* quoque nomine Bituriges, Burdegalenses, ac Pictavienses adhuc lætantur. Non nego, fieri potuisse, ut civium curatores Burgimagistri in sermone vulgari appellarentur: serius vero, atque demum in sæculi tertii decimi publicis monumentis, titulus *Magistri civium*; rarius *Burgimagistri* nomen, licet prius forsan ætate, occurrit, antequam Acta publica vernacule scribi cœperunt. Ubbo Emmius, in serie Consulum Groning. ad A. 1260. *Hoc sæculo*, infit, *litteræ vulgo scribebantur Latine, in iisque appellabantur Rationales, qui post, cum litteræ scriberentur Germanice, dicti sunt, voce Teutonica, Burgomagistri.* Charta Friderici II. Imp. anno 1232. apud Brouwerum lib. XV. Annal. Trevir. *Revocamus in omni oppido Alemanniæ. Communia, Consilia, Magistros civium, seu Rectores.* De civibus Augustanis scribit Crusius lib. II. Annal. c. 17. quod, Conradino nefarie obtruncato, ipsimet sibi cœperint eligere Civitatis curatores, & Duumviros, *Magistros civium tunc dictos.* Hi vero ipsis Consulibus, id est Senatoribus, & quasi Consiliariis superiores erant, ut discimus ex diplomate Rudolphi Imp. an. 1280. apud Lehmannum l. v. Chron. Spir. c. 111. *Magistro civium, Consulibus, & universis civibus Spirensibus:* Et satis apta hæc appellatio, atque in synonymis *Rahtsmeister, Stattmeister, Ammeister*, alibi probata,

bata. Halæ Suevorum, quæ libera Imperii civitas est, Quinqueviri consules *Stättmeistere* vocantur, auctore Crusio, p. II lib. VIII. c. 5. & p. III. lib. IV. c. 6. quos tamen Maximilianus I. in diplomate de A. 1521. *Burgemeister* salutavit. Argentorati nobilis genere per excellentiam *der Meister* appellatus, auctore Wenckero de jure archivi pag. 150. cujus verba adscribo: *Eorum qui hodie Consulum titulo*, der Ammeistere, *apud nos sunt insigniti, origo certe antiquior est, quam ut vulgo creditur; quippe & in vetustissimis Argentoratensium documentis hujus muneris vestigia inveniuntur; licet non semper sub hoc expresso nomine: quoniam & iidem plerumque* Magistri Scabinorum *dicuntur.* Deinde pag. 151. *Qui* der Meister, *Magister* κατ' ἐξοχὴν *nominabatur, vel* Magister civium, *aut* Magister Burgensium, *nobilis genere erat, ab antiquissimis temporibus: & primum unus, vel duo, raro tres, ultimo tandem quatuor eligebantur quotannis; quæ ordinatio, ab A.* 1271. *fere perpetuo huc usque fuit retenta: quo anno etiam titulus* Magistri Burgensium *desiit, & in ejus locum nomen* der Stattmeister *fuit introductum.* Haud ineleganter! Quibus enim præcipua cura incumbit, quique magis, quam ceteri, diligentiam & sollicitudinem rebus, quibus præsunt, debent, hi Magistri Romanis & Germanis appellabantur, *l.* 57. *D. de V. S.* Hinc Consules Romani Tullio *populi magistri* dicuntur; quia publicis rebus præfecti. Sic *Magister Equitum*, quod summa ejus in Equites potestas; Censor quoque *Magister morum*; & Dictator Romanus, *Magister populi* vocatus, auctore Varrone aliisque. Plerique collegiorum Principes hoc nominis gesserunt: *Magister collegii Fratrum Arvalium*, *Magister Collegii Dendrophororum*, in priscis Inscriptionibus; & *Magister universitatis* in *l.* 8. *Rem rat. hab.* Agathias, lib. IV. Hist. Justiniani, Magistrum dignitatis nomen vocat: Μαγιστρος ὀνομα τῃ ἀρχῃ. Quamvis ante hunc municipiorum magistratus aliquando, apud Romanos, *Magistri*, velut diminutionis nota, & per ludibrium dicti; quod ex Suetonii Octavio c. 2. Joh. Fr. Gronov. ad Livii lib.

lib XXIV. c. 35. docuit; nec satis dixerim, an ejus appellationis vestigium sit, in lapide apud Gruterum 4. pag. 1093. MVNICIPI. MAGO. Sed *Burgimagistri* nomen recentissimum perperamque effictum esse, credidit Lambecius p. 2. rer. Hamburg. n. 25. quia *Burgus* vel Burgum, apud mediæ ætatis scriptores, pro munimento & castello sumatur, pro urbe nusquam. At Burgus Romanis quidem, sequiori ævo, *castellum parvulum*, seu turritum propugnaculum in limitibus denotavit, ut Vegetius scribit, & Cyrillus glossario, πυργος *turris*, *burgus*. alias clusuræ dicebantur. Vid. Cujac. III. Obs. 24. & Pithoeum lib. I. Adv. c. 14. Germani vero *crebra habitacula constituta*, *burgos vulgo vocant*, ait Orosius lib. VII. c. 22. & *Burgundiones*, ab oppidis munitis, quæ arcem impositam habebant, nomen tulisse, Paulus Diaconus & Isidorus voluerunt. Otfridus Monachus in Evangelio illud: *Ite in civitatem*, Theotisce, sive Francisce vertit: *Faret in thia Burg*. Sigilla multarum urbium hoc confirmant, in quibus oppidum turritum conspicitur; etiam terminationes in *Burg*: *Magdeburg*, *Batenburg*, *Saltzburg*, *Wurtzburg*, *Strasburg*, *Augsburg*, *Merseburg*, *Lauenburg*, *Freiburg*, *Duisburg*, &c. Hinc *Burgum* pago, & vox *Burgensis* rustico opponitur passim, ut liquet ex c. 2. x. *de His quæ vi metusve*, ubi Gonzalez plures auctores cumulavit. Nos addimus sigillum majus apud Buchelium ad Bekam, pag. 89. in quo: SIGILLUM BURGENSIUM CIVITATIS TRAJECTI. Simile *Sigillum Burgensium in Lopdenburc*, expressit Freherus Orig. Palat. p. 57. *Sigillum Burgensium in Goslaria* dedit Rev. Heineccius de sigillis pag. 138. *Burgenses nostri in Dresden*, occurrunt in charta Henrici, Misniæ Marchionis, apud Weckium in descript. Dresd. Certe Lambecium nodos in scirpo quæsiisse Matthæus de nobil. l. 111. c. 2. & Schurtzfleisch disp. 39. §. 7. docuerunt. Finiamus ergo verbis Henrici Aquilonipolensis de Primordiis Lubecanæ urbis l. 1. c. 5.

Scul-

Schultetum hic habuere usque hic, vel Burgimagistrum,
Jam cum Consulibus Burgimagister erat.

§. XI.

Verum de nominibus adeo diversis, pro instituti quidem ratione, jam satis; immo forte plusquam satis Nunc ergo pressius videamus, quo tempore Consulum nomen, a rectoribus urbium Germanicarum, fuerit adoptatum. Quam rem, ut sine offensione persequamur, Germania Cis-Rhenana a Germania magna omnino discerni debet. In illa omnibus notæ sunt urbes, multis nominibus celebratæ, Argentoratus, Nemetes, Magontiacum, Colonia Agrippina, Bonna, & omnium antiquissima Treviris; quæ sicut auspiciis Romanorum conditæ erant, ita Magistratus, Romanis similes, creasse videntur. Quapropter non mirum est, in vita S Felicis, Archiepiscopi Trevirensis, circa A. 386. *Consules, Patritios & Senatores, urbis Trevirensis*, laudari. Trans-Rhenanis autem Germanorum populis, ante sæculum quintum, urbes nullæ, sequutis temporibus paucæ fuerunt; donec sub Carolingis religio Christiana; sub Henrico Aucupe, incursiones Hunnorum, urbium incrementa promoverunt. Sine dubio autem civitates, statim in ipso exordio, suos acceperunt præpositos, qui rebus ad politiam spectantibus præessent, sed immane quantum ab hodiernis Consulibus diversos. Hinc Carolus Sigonius lib. XVII. de Regno Italiæ, quum narrasset, ad A. 973. Ottonem Imperatorem, civitatibus Italiæ dedisse, ut leges, jura & magistratus sui arbitrii haberent. *Quos vero populi*, subjungit, *ad regendam civitatem, & jura moderanda, posthac crearunt, Consules duo aut plures fuerunt, ex antiqua Romanæ Reip.* (non ergo Germanicæ) *consuetudine, quotannis sumti.* De Langobardis, Otto Frisingensis lib. II. de Gestis Frid. c. 13. *In civitatum dispositione, ac Reip. conservatione, antiquorum adhuc Romanorum imitantur solertiam. Denique libertatem tantopere affectant, ut, potestatis insolentiam fugiendo, Consulum potius, quam imperantium, regantur arbitrio.* Radevicus lib.

lib. II. de geftis Frid. c. 5. Italorum Confulatus inter regalia numerat, & jus creandorum Confulum, rebellibus Mediolanenfibus ab Imperatore reftitutum, defcribit lib. I. c. 41. Diferte Guntherus lib. VIII. Ligur. 206. *Confulibus pofitis, & facta pace repertis Stare licet, plenus dum fe converterit annus. Poftea nullus erit, nifi quem Rex ipfe probarit, Electum populo.* Quemadmodum ergo Itali Romanos, fic Germani Langobardos poftea imitati effe videntur; in aliis urbibus ferius, in aliis citius, prout commerciis & potentia valebant, vel à Præfectis, Comitibus, Miffifque dominicis mature liberabantur. Præ ceteris, probabilis videtur fententia, Viri rerum patriarum peritiffimi, Chriftophori Lehmanni, lib. IV. Chron. Spir. c. XI. regnante Henrico V. Imperatore demum, morem Langobardicum, publica fanctione ad Germanorum civitates tranfiiffe: licet nonnullæ forfan, (timide loquor) fub Saxonicis Imperatoribus, domi fuæ, id vocabuli fibi arrogarint; quia non Italiæ tantum, fed Galliæ urbes quoque vicinas Confules fuos habere videbant. Supra allatis Aufonii aliorumque teftimoniis, auctarii loco, nunc elegans infcriptio accedat, Auguftoriti-Pictonum effoffa, apud Mabillonium Addit. Supplementi de Re diplom. pag. 114. in qua Pictonum civitas, nobili cuidam heroinæ Gallæ, CLUARENILLÆ, CLUARENI. CONS. FILIÆ, funus, locum & ftatuam dediffe memoratur. At vero in Germaniæ urbibus, omnes Senatores initio Confules & Confulares dicti, vel *homines de Confulatu*, *Univerfitas Confulum*, quia confilio civitatem juvabant, in chartis apud Lambec. lib. 2. Rer. Hamb. n. 139. Capita vero Senatus, alibi *Magiftri civium*, apud Hamburgenfes & Magdeburgenfes minus perite *Proconfules* funt appellati; quafi Protoconfules, & Præfides, qui præ ceteris Confulibus, id eft Senatoribus, auctoritate pollebant. Teftimonia, poft Lambecium, plena manu congeffit Matthæus de Nobilit. lib. III. c. 2. quocum Lehmannus lib. IV. Chron Spir. c. 13. & Joh. Albertus Fabritius vol. I. Memor. Hamb. in nota ad

feriem Consulum, quam ex A. 1248. nectit, jungantur. Addo jus Weichbildicum Magdeburgense, sæculo decimo tertio, ut videtur, conscriptum, art. 43. §. 2. *Eligere insuper Consules debent inter se Proconsulem unum vel duos &c.* Contra Rudolphi Imp. *ad Magistrum, Consules & universos cives Bisontinos*, epistola de A. 1277. extat apud Chifletium Vesont. pag. 229. *Magister civium & Consules*, in privilegiis Academiæ Viennensis, occurrunt rubr. 38. Sed Annales Dominicanorum Colmariensium ad A. 1287. referunt: *Consules Argentinenses cives suos equos habere bis mille præcepisse.* In Batavorum civitatibus Scabini Consulibus olim sunt prælati, ut ex duorum conjugum testamento, coram judicio Leydensi facto, probat Matthæus *tom. III. Analect. pag.* 406. & rationem addit; quia judicum seu Scabinorum institutio ibi vetustior est, quam Consulum; hi enim A. 1351. sub appellatione *Raets-mannen* instituti, demum circa A. 1434. nomen *Burgermeysters* adsciverunt, auctore Amplis. Orlers in descript. urb. Leydens. part. 3. pag. 608. seqq. Trajecti similiter *Sculteti, Scabinorum, Consulum & Universitatis* meminit Henricus Episcopus, in litteris A. 1250. & 1260. exaratis. Beka, ex vernaculo *Borgermeister*, Consules *Civium Magistros* vocat: sed quamprimum acta Germanice scribi cœperunt, ordo inversus, & *Borgermeesters, Schepenen, Raad en Oudermannen* leguntur. Illud non prætereribo, Ampl. Mensonem Altingium part. I. Notitiæ Bataviæ pag. 49 nimium dedisse videri patriæ suæ Groningæ, dum ejus Consules, ceterosque Magistratus, quin etiam leges, Cn. Domitio Corbuloni acceptos fert; quia Tacitus XI. Annal. c. 19. scribit, ipsum nationi Frisiorum *Senatum, magistratus, leges imposuisse, ac, ne jussa exuerent, præsidium imposuisse.* Ut vero de incertitudine loci, quo munimentum illud extructum fuit, & de recentioribus demum urbis illius vestigiis nil dicam, Ubbo Emmius fastos Consulares Reip. Groninganæ non ultra A. Chr. 1260. evehere potuit, atque tum Burgomagistri *Rationales*, Senatores *Oldermanni* vocabantur.

§. XII.

§. XII.

Si quis nunc scire aveat, cur sæculo duodecimo & sequentibus demum, in plerisque Germaniæ civitatibus, Consulare nomen & imperium occurrat, ratio non longe petenda erit. Alia enim regiminis forma in principio fuit, quam nunc est. Sub Carolingis quotquot extabant urbes, *Curtes regiæ*, & *Villæ regales*, immediatæ Regni erant, & per Comites, vel Missos regios administrabantur. Ottonum tempore differentia inter *Urbes Regales* & *Præfectorias* invaluit, quæ distinguuntur in charta Ottonis II. Imp. A. 974 apud Nicol. Zylles. Defens. Abbat. S. Maxim. Posteriores præfecturis populi Romani in Italia comparari possent; nam ut hæ magistratus proprios non habebant, sed quotannis Missos accipiebant, qui jus dicerent: sic in Germaniæ urbibus Præfecti omnia negotia publica, & jurisdictionem criminalem, Sculteti civilem exercebant: utrique vero ab Imperatore constituebantur, certis pagis vel regalibus, ex quibus viverent, salarii loco assignatis. De Præfectis, qui & Comites civitatum, Advocati & Consules dicebantur, multa Sagittarius de Antiquit. Duc. Thuring. lib. IV. c. 4. Matth. lib. I. de Nobil. c. 6. & l. II. c. 29. Scultetus vero, alias Schulthais, Sculdasius, Scultes, Scout appellatus, non de capite, sed de pecunia judicabat, &, ut vox indicat, debitorum erat præfectus. Odefridus, antiquissimus vernaculæ scriptor, vocem *Schultheiz* habet, & Diaconus lib. VI. de Gestis Langob. *Rector loci illius, quem Schuldhais lingua propria dicunt, vir nobilis, animoque & viribus potens.* Ubi burgi & castella erant, Duumviris his accedebat Burggravius, ad defensionem urbis & locorum vicinorum constitutus. Burgravii Trajectini Henricus Episcopus meminit in literis A. 1250. Sculteti Philippus Suevus Imp. in diplomate A. 1200. Burgravius Leydensis *Castellanus de Leyden* dicitur, in veteri charta A. 1266. apud van Hout *in sijn Dienstboek* p. II. Hi vero Burgravii, Præfecti & Sculteti, quia cives nimis avare & inclementer tractare cœperant, jura, reditus &

vices eorum aliæ urbes dato pretio redemerunt, in aliis, beneficio Imperatorum, cesserunt Episcopis diœcesanis; qui fons est tot controversiarum, de quibus Danielis Heideri, Consiliarii Lindaviensis, præclarum scriptum in lucem prodiit. Paulatim igitur civitates, sui juris factæ, liberiorem rempublicam instituerunt, ut, Aristocratia hereditaria, ab Optimatibus gubernarentur. Hi vero, ex re & vulgari vocis usu, neque nimium ambitiose, Consulum & Senatorum nomen adoptarunt: quod suam longe potiorem, quam Duumvirorum & Decurionum, in priscis municipiis, conditionem esse sentiebant; & *consulare* pro consulere, *consularius*, & *consulatio*, sæpe in ævi illius libris, conjugatione mutata. V. Lehman *lib. IV. Chron. Spir. c. II. &* 13. Schilter. *Exerc. ad Pand. XXII.* §. 58. Ast quum hi, sub initium sæculi decimi quarti, exemplo Præfectorum, rursus superbe imperitare conarentur, seditiones passim Argentorati, Moguntiæ, Hagenoæ, Wormatiæ, Spiræ, Noribergæ, atque alibi exortæ sunt; quibus effectum, ut omne tandem imperium amitterent Patritii, & Respublicæ Optimatium, in Democratias vel Politias temperatas mutarentur, sola fere Noriberga excepta: ut post Knipschildium *de jure civit. imp.* passim, Hertius docuit, in diss. *de Special. Rom. Germ. Imp. Rebusp.* §. 22. Argentorati singulare est, quod nemo, nisi plebejus sit & opifex, Consul eligi possit, auctore Limnæo *t. III. lib. 7. c. 3. n. 9.* Ceterum in eo quidem Consules hodierni facile conveniunt, quod convocant Senatum, proponunt, dirigunt, concludunt; &, ut paucis multa, totius Reipublicæ curam gerunt: non una tamen nominis, numeri & temporis est ratio, quo munere suo funguntur. Argentorati *Ammeister*; Augustæ Vindelicorum *Statt-Pfleger*; Halæ Suevorum *Statt-Meister*; Halæ Magdeburgicæ *Rahts-Meister*; in plerisque *Burger-Meister* appellantur. Numerus pro urbium magnitudine variat; in majoribus ut Lubecæ, Bremæ, Quatuorviri; alibi Seviri, ut Augustæ Vindelicorum; in minoribus Duumviri leguntur. Sunt quibus perpetuum

petuum placet imperium, aliis annuum: hic alternis anni vicibus, alibi per mensium, unius vel plurium, vicissitudines regimen mutatur: ac tum qui præest, Verbipotens seu regens Consul dici solet. Vide Mevium ad jus Lub. lib. I. tit. 1. & Ill. Ludewigii disp. de Diff. juris Rom. & Germ. de Senator. §. XI. & XVI.

§. XIII.

Superest, ut de insignibus & symbolis Consulum hodiernorum, quædam dicamus. Antiquissima dignitatis nota est sceptrum, vel baculus, quem Reges, quum jus dicerent, vel publico aliquo munere fungerentur, tanquam justitiæ, veritatis & *gubernaculi* insigne, in manus sumebant. Ipse Jupiter, *sceptroque innixus eburno*, apud Ovidium depingitur; & Virgilius de Regibus Latinis lib. XII.

Olim arbos, nunc artificis manu ære decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.

Idem vero scipionis symbolum Consules Romani, ab ipsa institutione, sibi aptarunt; quos deinde Duumviri, in municipiis & coloniis, imitati sunt; ut capite præcedente diximus. Hinc inter magistratuum municipalium ornamenta, ab Ulpiano laudata in *l.* 15. §. 39. *D. de Injur.* fasces, batilli, lixæ & virgæ memorantur *l.* 53. *C. de Decur.* Cic: de *lege Agrar. II. c.* 34. Apulej. *lib. I. Metam.* Athenis olim baculus, ητις ην συμβολον τε δικαζειν, judici unicuique Heliastarum dabatur, eo colore & littera, qua tribunal, denotatus, ut ex Aristotelis libro, de Athen. Scholiastes ad Comici Plutum & Vespas docebit. Græcis recentioribus similiter virga reginis nota fuit; quam δικανικιν appellatione, in magistratibus, plus semel Codinus donat. In aula Regis Gothorum, Cura palatii, cum aurea virga, incedere solebat, auctore Cassiodoro lib. VII. Var. c. 5. Apud Francos & Anglos *baculus aureus*, omni tempore, Regiam Majestatem designavit, quo & pacta feriebant, & dignitatem successori resignabant. Vid. Frenius in voce *baculus*, & Mabillon. lib. II. de Re diplom. c. 18. Etiam in coronatione Ottonis

M. Wittichindus *baculum*, *cum sceptro & diademate*, super altari positum fuisse, tradit. Episcopi vero per annulum & baculum *ligneum* investiebantur, per solum baculum Abbates; unde Rectori Magnifico adhuc hodie virga, sive, ut vulgo dicitur, sceptrum a Pedellis præfertur. In judiciis porro Germanorum baculo nil frequentius; ut Nemesis Carolina art. 82. & usus multorum tribunalium ostendit. In condemnatione facinorosorum, lignum, quod *Ruge-Stab* Otfrido dictum, frangitur; in caussis civilibus, tacto baculo judiciali, promittitur: *an den gerichts-Stab angeloben.* Vid. Constit. crim. art. 96. & Bambergensem art. 117. Moguntinus Archiepiscopus hacpropter investitur & investit alios, *mit den Stabgerichten*, in dipl. apud Lunigium Archiv. cont. 2. p. 6. pag. 60. Hinc etiam in Capitularibus Francorum, tit. 33. c. 1. & tit. 67. c. 5. Mallus publicus Regius *Staplum*, a *Stab*, vel a *Stapel*; judicii vero Assessores, præsertim qui ad Rhenum, *Constifler*, *Stab-Herren*, *Stabel-Herren*, judex *der Stabhalter*, dicuntur. De baculis Consulum, nemo, nisi qui civitatum Germaniæ Curias prorsus ignorat, dubitare potest. Nescio autem, an alibi obtineat, quod Coloniæ Agrippinæ olim observavit Lipsius lib. I Elect. c. 23. & ipse nuper curiosis oculis adspexi. nimirum Duumviris Consulibus, singulis, qui ex Seviris annuum regimen tenent, sive eant, sive carpentis vehantur; famulus domesticus, vix pubertatem egressus. & splendide vestitus, baculum album, fere duarum ulnarum, præfert; cumque Curiam ingredientibus tradit; quo Regiminis insigni, inter genua posito, dum Senatores subsellia occuparunt, in loco paululum editiore, conspicui utuntur. Nugas agunt, qui sibi aliisque persuadent, baculo rustico uti Consules, quod civitas olim inter quatuor rusticas numerata fuerit. Ritus enim, ut multi eorum alii, mere Romanus est, ad imitationem Urbis matris a colonis susceptus, ut dudum in libro de Ædil. colon. c. XII. p. 368. ostendi, & nunc triplici argumento confirmo. Primum sit, quod

quod Stephanus in hist. S. Maurini scribit: ***Colonia Agrippina secunda:*** *(si dignatur dici)* ***Roma.*** Alterum, quod Senatores toga nigra, holoserico prætexta, & pilei singularis genere, Senatum ingrediuntur. Tertium, quod in Curiam ingressuri, prius in sacello vicino sacra faciunt; pariter ac Octavianus Augustus decrevit, ut Senatores Romani ture ac mero supplicarent illi Deo, in cujus templo Senatus habebatur, ut Suetonius in ejus vita, & Dio lib. 54. memoriæ prodiderunt.

§. XIV.

Quod ad habitum consularem attinet, pridem docuerunt Criticorum filii, Romanorum veterum vestes fuisse togas pictas & palmatas; recentiorum, si non diversas, saltem non easdem, ut numismata & Diptycha Consularia repræsentant. Nobis vestitus Consulum Germanicorum curæ erit, qui nunc quidem in multis civitatibus non alius est, quam Senatorum & civium, a quibus honor solus & muneris amplitudo eos distinguit; sed olim non erat sic. Inter alia ornamenta, nullum memorabile est magis, quam Amplissimorum quondam Consulum Trajectinorum, quod Antonius Matthæus, *lib. IV. de Nobilit. c. 31. pag.* 1132. ex vetere tabella, æri incisum exhibet. Vides ibi Consules Duumviros non modo togatos, sed & nescio quod humerale rubrum, togæ superfusum, collum & brachia instar coronæ ambiens, nolisque argenteis adornatum, quod ***een Silvern Covel***, in Registris civitatis, appellatur. Præter Consules binos veteris, & totidem novi Consilii, vestem illam accipiebant quatuor primarii Collegiorum Decani; sicque Octoviri, ***de Oversten*** vulgo, diebus festis, & quum solennes facerent processiones, ad annum usque 1529. in publicum prodiere. Lambertus Hortensius, ad insignia Romanæ libertatis, illud ornamentum referre non dubitavit lib. VII. Hist. in. fin. ***Populo comitia antiquata: Consulibus & Senatorum duobus principibus, Romanæ libertatis insignia, togæ argenteæ sunt detractæ.*** At mihi vestitum con-

consularem Romanorum intuenti, nullum hujus indumenti vestigium comparet; nisi quis curtam tunicam laticlaviam posterioris ævi Consulum & Senatorum, huc trahere velit, quæ sine manicis, & ceteris vestibus injecta, *Colobum* appellatur in l. 1. C. Th. de Habitu, quo uti oportet intra Urbem: *Nullus Senatorum habitum sibi vindicet militarem; sed chlamydis terrore deposito, quieta coloborum ac penularum induat vestimenta.* Ammianus Marcellinus lib. XIV. *Pectoralem tunicam sine manicis textam* appellat. Graphice formam ejus describit Acron ad Horat. lib. I. sat. 5. *Latum clavum purpuram dicit, quæ in pectore extenditur Senatorum. Græci τὸν κολόβιον vocant. Usum ejus hodie retinent Principes, injicientes vesti a cervice indumentum ex purpura vel pellibus pretiosis muris Pontici, vel aliis, dum regio habitu prodeunt in publicum.* Verum quia colobia veræ tunicæ erant, sed truncæ, & manicis carentes, quæ vero sub armis, id est brachiis, alarum sinum ambiebant, indeque *subarmales* dictæ; satis liquere, arbitror, Consulum Trajectinorum *Covels*, partem brachiorum superiorum tegentes, a veterum *colobiis* differre. Inprimis, quia *covel* non togam tantum, sed & capitis tegmen significabat, pariter ac ricinium toga mulierum clavo purpureo prætexta erat, & ad caput operiendum serviebat; palliola quoque mulierum, ac cuculli monachorum caput & humeros tegebant, ut Salmasius ad Vopisci Aurelianum c. 45. & ad Tertullianum de pallio pag. 308. ostendit. Nec tamen prorsus inficiari ausim, a Romanis initia Consularis hujus ornamenti fluxisse; quia Consules quoque Colonienses, in processionibus annuis, simile rubri coloris humerale inducere accepi: idemque ornatus, in Manuelis Palæologi Imperatoris figura, apud Frenium cernitur, in dissert. de Impp. Constant. numism. tab. 7. Sed quorsum tintinnabula? Apulejus Procerum vestes nolis fuisse exornatas, docet lib. X. *Et pictilibus baltheis & tintinnabulis perangustis exornatum, ipse residens, amantissime nonnunquam comissimis affatur sermonibus.* Potentioribus

bus deinde, in medio ævo, campanulas in vestimentis placuisse, non modo imagines a Bucelino *Hist. Agilolfing. pag* 383. Lambecio *lib.* 2. *Orig. Hamb.* & Tenzelio *suppl.* 2. *Hist. Goth. pag.* 246. depictæ, sed etiam Auctor Jurisprud. Heroicæ *p.* 1. *art.* 8. *pag.* 403. & Slegelius in dissert. *de nummis Isenac. pag.* 9. ostenderunt. Quinimo, simulac veteris Testamenti sacerdotium, cum pompa externa, in Ecclesia Christiana restauratum fuit, tintinnabula quasi propria facta sunt vestitus clericorum. Missa vetus, ex codice Ratoldi, Abbatis Corbejensis: *Super hæc itaque ministretur Episcopo tunica, gyris in tintinnabulis mirifice referta.* Testamentum Riculfi, Episcopi Helenensis A. 915. *Stolas quatuor cum auro, una ex illis cum tintinnabulis.* Origo, ut dixi, fluxit ex summi Sacerdotis vestimento, cujus oræ tintinnabulis insignes: id enim diserte confirmat Vita S. Hilarii Arelatensis: *Videt, se sacris interesse mysteriis, intuetur tunicæ Aaron quondam Pontificis tegmine decoratum, tinniola etiam commota, gressibus incedentis, & intrinsecus malo granatis illisa, clarum personabant extrinsecus salutiferumque tinnitum.* Augustinus tintinnabulorum, sub vetere lege, hanc causam affert, *ut nota esset eorum conversatio*, lib. II. Quæst. in Exod. c. 119. quæ ratio ad Consules quoque Trajectinos applicari potest. Recens demum, & sæculi decimi quinti inventum, morem illum, tintinnabula vestibus honoratiorum appendendi, existimat Clar. Dn. Heineccius, de vet. sigillis *p.* 1. *c.* 9. *n.* 47. nec Trajecti antiquiora ejus vestigia nunc succurrunt, sed Apulejus & reliqui me in diversum ire cogunt.

F I N I S.



DISSERTATIO DECIMA,

DE

DOLO BONO,

AD

L. 1. §. 3. D. de Dolo malo.



Mant alterna Camoenæ. Et ecce! juris Publici materiam, excipit alia, non minus illustris, quæque ex vario jure, divino & humano, partem trahit. Augustinus eam non ab re, *magnam quæstionem, latebrosam tractationem, & disputationem inter doctos alternantem* appellavit. Fuerunt enim omni tempore, & adhuc sunt, quibus in tractandis negotiis, dolus malus placet, homines ad Cynicorum ἀδιαφορίαν, in professione veritatis delapsi; quos inter Machiavellus, Principi inprimis dat potestatem fallendi fidem. Alii contra, omnem mentis & orationis discordiam Stygia palude expiandam censent, nullumque mendacium inter & falsiloquium discrimen, agnoscunt, Augustinum ducem secuti: Nos vitiosum putavimus omne, quod nimium est: ideoque tam dissidentium sententiarum conciliationem aggressi sumus, adhibita distinctione, inter dolum bonum & malum, quam prudentissimus Ulpianus nobis servavit.

vavit. Quod si enim ad exempla eatur, atque officiorum existimationes suis, ut oportet, ponderibus, non inanibus vocabulorum aucupiis exigantur, fateamur necesse est, incidere tempora, ut crimine vacet, qui in factis simulavit, in verbis falsa locutus est. Qui aliter sentiunt, rigidiores veritatis custodes, mendacium aut minus recte definiunt, aut vocem invisam accipiunt nimis late, tandemque dubiis pressi, in meram λογομαχίαν desinunt. Lipsius, ut extrema Machiavelli declinaret, gravem dolum prohibuit, mediocrem toleravit; sed illius doctrina, fraudis & moris pravi magistra, non magis utimur, quam rancidis mendacii distinctionibus, ex Augustini schola profectis. Quantum in nobis est, ita in re ancipiti versati sumus, ut malitiam execrandam, honestis nominibus nuspiam appellaverimus, semper memores sapientissimæ Jesu filii Sirach sententiæ, in Ecclesiastico, omnis virtutis penu, cap. XIX. 19. *Improbitatis scientia, non est sapientia; neque est prudentia, ubi consilium peccatorum est. Est improbitas, quæ eadem abominanda est; sed est insipiens, qui parum valet sapientia. Præstat timidus, qui trepidat in intelligentia, eo qui abundat prudentia, & transgreditur legem Altissimi. Est astutia accurata, quæ ipsa injusta est.* Quod si alicubi peccatum sit, æquos Lectores spero; quia plus semel incedendum fuit per ignes suppositos cineri doloso. Cicero ajebat, Jurisconsultos iniqua tollere, quatenus teneri manu possunt, Philosophos, quatenus ratione & intelligentia; sed & ego virtutis & officii subinde rationem habui, ac meum facio Comici illud:

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, usus, semper aliquid adportet novi;
Aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias;
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

CAPUT PRIMUM.

Justitiam doli boni rationibus defendit.

§. I. *Doli vox media apud Græcos & Latinos.* II. *Doli mali descriptio, in l. 1. §. 2. D. de Dolo malo, adversus Hotmanum defensa.* III. *Dolus bonus per solertiam explicatur, & quare?* IV. *Omnis dolus malus damnatur.* V. *Dolus bonus laudatur a Jurisconsultis.* VI. *His præiverunt Stoici, Plato, Xenophon, Philo, aliique.* VII. *Rationes, quibus dolus bonus impugnatur.* VIII. *Ejus justitia defenditur separatione mendacii, a falsiloquio; jure circa sermonem, & collisione legum recte explicata.* IX. *Argumenta contraria refelluntur.* X. *Dolus bonus probatur auctoritate veteris Testamenti & Rabbinorum.* XI. *Exemplis novi Instrumenti. Grotius notatur.* XII. *Judicio Patrum omnium, Augustino excepto.* XIII. *Assensu Theologorum & Jurisconsultorum recentiorum.*

§. I.

Nota res est Jurisconsultis pariter, ac Grammaticis, vocabula multa nunc quidem, in sermonibus vulgi, unam certamque rem demonstrare, quæ in veterum scriptis fuerunt ex genere των μεσων, sive mediæ significationis, ac utroqueversus, & in bonam & in malam partem, accepta; quorum proinde significatio ut determinaretur, adjectione boni vel mali fuit opus. Sic apud Græcos vox φαρμακον, apud Latinos *venenum* anceps est, tam medicamenta, quam quæ nocent venena denotans *l.* 236. *D. de V. S.* Sic *persuadere* possumus, & bonum consilium dando, & malum, auctore Ulpiano in *l.* 1. §. 3. *D. de Servo corr.* Horatius *fraudem malam*, pro furto dixit. Bona & mala *gratia*, est apud Terentium in Phormione: Plautus *malitiam malam* habet in Aulularia, quasi sit & aliqua bona; licet hæc vox simpliciter posita, Ciceronis ætate, versutam & fallacem nocendi rationem

tionem notarit. Alia Latinorum exempla *in Noctibus Atticis* plena manu conduxit Gellius lib. XII. cap. 9. nos unum Latinorum, & duo Græcorum apprime ad rem pertinentia addemus: *Ingenium* plerumque docilitatem insitamque homini vim notat, & *bonum* appellatur Plauto Pœnulo Act. 1. sc. 2. 90. pro fraude autem & machinatione ponitur, in l. 6. C. Th. de Curios. *Callida machinamenta commeantium, ac simulatæ observationis ingenia & fraudes.* Alterum Vir sanctus, Basilius Magnus præbebit, qui in Proverbia Salomonis, Sophoclem imitatus, quandam καλην και επαινετην πανυργιαν, *honestam atque laudabilem calliditatem* esse tradit. Æschylus denique dolum agnoscit, cui nec ipse Deus soleat auxilium denegare:

Απατης δικαιας ȣκ αποςατει Θεος.

Eundem ergo in modum *Doli* vocabulo nunc tantum in malis utimur, veteres autem in bonis etiam rebus id usurpabant, unde in Legibus XII. Tabularum scriptum: *Si tutor DOLO MALO gerat, vituperato*; nimirum *malo*, quia solebat & dici *bonus.* Si originem intueamur, & primæ notionis significatum, Dolus est a Græco δολος, fraus, deceptio, læsio; non a dolando, ut Plautus *dolum dolare* dixit Mil: III. 3. 64. Inde & *dolones*, απο τȣ δολȣ, pro telis & gladiolis, in flagello vel baculo latentibus, apud Virgilium, Phædrum, Alphenum in *l.* 52 §. 1. *D. ad Legem Aquil.* Ulpianum in *l.* 1. §. 7. *D. Si quadrup. paup. fec. dic.* & recte vetus interpres Ecclesiastici XXXVIII. 26. baculum cum stimulo, quo boves agitantur, *dolonem* interpretatur. Dicimus autem dolum malum, non quasi perpetuo epitheto, ut Camerarius ad Ecl. I. Maronis existimabat; sed distinctionis causa, & per διαςολην, quemadmodum id Donatus ad Terentii Eunuchum Actus III. Sc. 3. vers. 9. postremo loco, ceu verius, agnoscit. Ita ille: *Quod autem addidit malo, aut* αρχαισμος *est, quia sic in duodecim Tabulis a veteribus scriptum; aut* επιθετον *doli est perpetuum: aut diastole est, quia est bonus, quo a medentibus falli ægros, non tamen decipi,*

 Lu-

Lucretius Poëta testatur. Decemviris præiverunt Græci: nam apud Homerum Iliad. IV. est δολῳ κακῳ & κακοισι δολοισι κεκοσμενη: ad quæ Eustathius: προς διαφοραν κειται δολων ετερων αγαθων, οις επαινετως αν τις κοσμοιτο: *ad differentiam aliorum dolorum bonorum, quibus quis cum laude ornaretur.* Alia ex Græcis magistris, ad locum secundi Iliados, vide apud Muretum lib. XVIII. Var. lect. c. 4.

§. 11.

Dolum malum Aquilius Gallus describit, cum aliud agitur, aliud simulatur; laudante M. Tullio *de Officiis lib. III. cap.* 14. Servius Sulpitius, ejus discipulus, & Pedius, generis loco, addiderunt machinationem alterius decipiendi causa, quia & sine dolo malo aliud agi, aliud simulari potest. Labeo autem, ut in Dialecticam & Grammaticam sese penetraverat, eaque præcipue scientia ad enodandos plerosque juris laqueos utebatur, sic hoc loco, illorum traditionibus non acquiescens, plenius & distinctius, dolum malum dixit esse, omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam: quæ definitio vera est, inquit Ulpianus in *l.* 1. §. 2. *D. de Dolo malo.* Franciscus Hotmanus, ad Ciceronis orationem pro Cæcina, versum illum integrum: *machinationem quandam, alterius decipiendi causa*, studiosi alicujus, aut fortasse Triboniani esse, conjecit; ne alioquin Servius stultissime a Labeone reprehensus, aut præceptoris Aquilii Sententiam minus amplexus videatur. Alii Ulpianum cum Ulpiano committunt, in *l.* 7. §. 9. *D. de Pactis.* Sed nihil horum opus esse, Vir Clarissimus, Gerardus Noodt pulcherrime ostendit *de form. emend. dol. mal. cap.* 2. Κλιμακτικως autem, & quasi per gradus, omnes doli mali species expressit Labeo, propter quem restitutio in integrum datur: nam generaliter dolus malus est omne malignum alterius lædendi consilium, sive id per simulationem, aut dissimulationem, aut etiam aperte exequamur. §. 1. *Inst. de Vi bon. rapt. l.* 3. §. 1. *D. de Injur.* Atque hoc sensu omnia delicta, machi-

machinas, suasiones, tendiculas, technas, affirmationes, laudationes, cuniculos, molimina, ad emungendum, circumducendum, ac spoliandum alterum adhibita comprehendit; nec tantum opponitur bonæ fidei, simplicitati & peccato inconsulto, quod culpam vocamus, sed & dolo bono, qui ipsis deceptis prodest, quoque nulli infertur injuria, sed nostra vel aliena conservamus.

§. III.

Unicus Ulpianus, inter tot Jurisconsultos, doli hujus boni nominatim meminit, eumque explicat, & exemplo illustrat, in *l.* 1. §. 3. *D. de Dolo malo.* Verba ejus: *Non fuit autem contentus Prætor DOLUM dicere, sed adjecit MALUM: quoniam Veteres DOLUM etiam BONUM dicebant, & pro SOLERTIA hoc nomen accipiebant: maxime, si adversus hostem latronemve quis machinetur.* Hoc vult: Decemviros, & Jureconsultos mediæ Jurisprudentiæ auctores, etiam Prætorem in Edicto, dolum malum a bono sollicite distinxisse; licet vocis proprietate, & usu loquendi, quem penes arbitrium erat & jus & norma loquendi, vocula doli, sine adjecto posita, malus intelligatur, bonus vero solertiæ vocabulo exprimi soleat. In oppositione igitur dolus bonus est *solertia*, acumen, dexteritas, etiam simulatio vel dissimulatio, non alios fraudandi, sed sibi vel aliis consulendi. Solers dicitur, qui quasi totus ex arte consistit; qui consilio pollet, & in omni re prudens est; qui totam artem callet, cujusque animus usu, tanquam manus opere, concalluit. Hinc solertia est habitus perfectus animi ad rem quampiam, Græci ἀγχίνοιαν vocant. Aristoteles VI. Eth. c. 13. δεινότητα appellat: *Est*, inquit, *quædam facultas, quam solertiam vocant, hæc talis est, ut ea, quæ ad propositum scopum tendunt, possit quis agere atque consequi*; *quod si ergo honestus est scopus, laudanda quoque est illa: sin malus*, πανουργία *seu versutia est.* Pariter Latinis *solertiæ* vox accipitur plerumque in partem bonam, sed tamen habet & astutiæ ac calliditatis, quæ ad fraudem declinet, significatio-

nem:

nem: quia haud raro evenit, ut quis ingenio ad fraudes dolosque abutatur. Quemadmodum enim urticæ in solo pingui & bene stercorato validiores efficiuntur, sic sagaces natura, ab arte, ūsu & institutione majores vires accipiunt, & quia vis illa ingenii in utramque partem valet, solertia sæpius non tantum malitiæ rore leviter adspergitur, sed & longius aliquando a virtute deflectit, & in vitium convertitur; unde ingenium pro dolo & fraude a recentioribus poni, supra diximus. *Per ingenia dissimulare*, Gregorius Turonensis lib. IV. Hist. c. 18. Similiter solertiæ vocabulum in sequiorem partem accepit Paulus in *l.* 24. *D. Ex quib. caus. maj.* cum tergiversatione eam conjungens, & Cicero *lib. I. de Offic. cap.* 10. ubi de Q. Fabio Labeone, arbitro Nolanis & Neapolitanis dato: *Decipere hoc quidem est, non judicare. Quocirca in omni re fugienda talis solertia.* Alexander apud Curt. *lib. IV. cap.* 13. *Latrunculorum & furum ista solertia est, quippe illorum unicum votum est, fallere.* Tibullus *lib. I. Eleg.* 4. ad Priapum:

Quæ tua formosos cepit solertia? certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est.

§. IV.

Jam vero, quod ad dolum malum attinet, Jurisconsulti Romani, ubivis omnem fraudem & absconditam machinationem adeo detestantur, ut dolus in delictum & crimen vergat, eoque etiam nomine censeatur. *l.* 3. §. 5. *D. de Suspect. tut.* Nullus adhæc contractus est, in quo non suapte natura dolus veniat; quinimo nulla pactione id effici potest, ut ne dolus præstetur. Vulgata in omnibus negotiis erat doli mali clausula, *l.* 119. *l.* 135. *D. de V. O. l.* 19. *D. Jud. solv.* quæ tamen si adjecta non fuisset, dolus nihilominus præstari debebat, postquam in stricti juris judiciis etiam dolus malus Aquiliana formula vindicatus erat, quam ideo rectissime Tullius omnium malitiarum everriculum vocat: sicut enim everriculum omnia piscium capit genera, ita nihil malitiosi hanc formulam effugere potest.

Am-

Ambrosius *lib. III. Offic. cap.* 10. honestatis formulam appellat: *Quid autem loquor de contractibus ceteris, ac maxime de coëmtione prædiorum, vel transactionibus atque pactis? Nonne honestatis formulæ sunt, Dolum malum abesse, eumque cujus dolus deprehensus fuerit, dupli pœnæ obnoxium fore.* Huc pertinet instrumentum donationis apud Gruterum pag 1081. DE. EA. RE. DOLVM. ABESSE. ABFVTVRVMQVE. ESSE. & in alio lapide Romæ invento p. 777. n. 6. DOLVS. MALVS. MALVS. ABESTO. Omnes simulationes & dissimulationes, quibus in præjudicium alterius falsum palam asseritur, mendacia item hunc in dolum incidunt, atque infamia, duplo, præstatione ejus quod interest, amissione privilegii, aliisque modis coercentur, *l.* 1. §. 1. *D. Depositi l.* 2 § 1. *D. ad L. Aquil. l.* 13. §. 4. *&* 6. *D. de Act. emt. vend. l* 37. §. 1. *D. de Minor. l.* 10. §. 1. *D. de. Fidej. l.* 11. §. 9. *D. de Interr. in jur. fac. l.* 3. §. 1. *Stellion. l.* 2. *C. Si contr. jus.* Nefas enim existimabant Prudentes, rationis imaginem expressam, bono consilio a Diis immortalibus datam, in fraudem malitiamque converti: cum vel puerorum exemplo constet, ipsam naturam humanam a mendaciis abhorrere: nam illi in primis probris falsa objiciunt, & quanquam levitate quadam assumunt, tamen judicii insita rectitudine damnant. Mentiri insuper servile est, dignumque apud omnes odio, ac ne mediocribus quidem servis ignoscendum. Quanto magis ergo viro, & libero homini, mendacium objici in turpissimis habetur? Sophocles Trachiniis: ως ελευθερῳ ψευδει καλεισθαι, κηρ προσεστιν ȣ καλη. *Quid miserius est homini libero, quam vocari mendacem?*

§. V.

Contra solertiam & industriam illam, qua hostis circumvenitur, vel Principum consilia velantur, aut salus decepti procuratur; quæve ad fraudem malasque artes repellendas, vel ad nostra tutanda, vel ad alium a malo revocandum tendit, tantum abest ut Jurisconsulti veteres damnarint, ut nihil in ea vitii vel mali agnoverint palam; dum doli *boni*

 ap-

appellatione, nihil pene a virtute eam distare indicarunt. Pythagoras ad bonum & malum, tanquam summas classes, sibi contrarias, retulit omnia: quod ergo bonum est, id malum dici non potest. Virgiliana & Horatiana *viri boni* descriptio nota est omnibus. Ciceroni definitur, qui prodest, quibus potest, nocet nemini. Eadem autem doli boni est indoles. Jurisconsultis *viri boni* arbitrium, circumspecti, diligentis & considerati patrisfamilias arbitrium significat; in ejusmodi autem virum sapientem scelerisque purum, dolus etiam bonus cadit: qui hominum existimationis & humanitatis causa, in factis per simulationem, & per falsiloquium in verbis, aliis prodesse, nostra tueri aliquando permittit. Quæstus autem & emolumenti sui causa mentiri, in virum bonum non cadere, docet Cicero *III. de Offic. cap.* 2. & P. Nigidius, apud Gellium lib. XI. Noct. Att. cap. 11. *Vir bonus præstare debet, ne mentiatur: prudens ne mendacium dicat: alterum incidit in hominem, alterum non.* Sic igitur *boni* vocabulum honesti & justi reputationem & approbationem hic infert. Alibi idem Ulpianus, in pretio emtionis & venditionis naturaliter contrahentibus se circumvenire *licere* pronunciat in *l.* 16. §.4. *D. de Minor.* quia circumventio illa, sine aperta fraude, ex humani generis consensu, tantum permissa & impunis, minime vero honesta & laudabilis habetur: nec enim omne, quod licet, honestum est, ait Paulus in *l.* 144. *de Reg. jur.* & major Paulus 1. *ad Corinth.* 6. ỳ. 17. Unde minus recte Robertus 5. *Sent.* 12. & Petrus Gregorius 21. *Synt.* 13. in hac specie exemplum doli boni quæsivere.

§. VI.

Doctrinam de Dolo bono, ut alia pleraque, veteres Jurisconsulti a Stoicis Philosophis, magistris suis, hauserunt: quorum secta licet sanctissima, gravissima & fortissima haberetur, ipsique virtutis rigidæ custodes & Medici majores dicerentur, haud tamen adeo pertinaces erant veritatis satellites, quin nonnulla, mali speciem præ se ferentia, quando alia ratione

ratione & fine geruntur, non modo culpa omni carere, sed etiam laudanda esse putarint. Ad rem Quintilianus lib. XII. Institut. Oratoriarum cap. 1. *Concedant mihi omnes oportet, quod Stoicorum quoque asperrimi confitentur, facturum aliquando bonum virum, ut mendacium dicat, & quidem nonnunquam levioribus causis; ut in pueris ægrotantibus, utilitatis eorum gratia, multa fingimus, multa facturi promittimus; nedum si ab homine occidendo grassator avertendus sit, aut hostis pro salute patriæ fallendus: ut hoc, quod alias in servis quoque reprehendendum est, sit alias in ipso sapiente laudandum.* Scilicet ad mendacii perfectionem pertinere ajebant, alterum capi, fraudari; licet ergo verbis aliud, quam sonant, exprimatur, mendacium esse negabant, si ea fini dixerit, ut aliis prodesset, & major inde utilitas in genus humanum redundaret; tum enim præter regulam facere licere. Diserte Stobæus *tom.* 1. *lib.* 2. *tit.* 4. §. 8. *Mentiri quoque sapientem negant, cum non tam qui mendacium dicat, quam qui mendaciter ac dolo id faciat, mentiatur. Mendacio tamen uti variis modis posse credunt, ut in militia contra hostes, aut alia necessitate. At mendacio nunquam assensurum sapientem existimant, quod nec opinetur, nec ignoret quicquam.* His accedat Chrysippus, summus Stoicæ sapientiæ Philosophus, affirmans apud Plutarch. de Stoic. repugn. c. 70. *sæpe sapientes adversus vitiosos mendacio uti.* Hauserunt vero hanc doctrinam Porticenses a Socrate, Philosophiæ parente, quique omnium mortalium sapientissimus oraculo judicatus est. De ejus ore Plato, in Republica, quam beatissimam esse volebat, lib. II. de Rep. *Mendacium quando & quatenus utile est, ut odio minime sit dignum? Nonne adversus hostes, & eos, qui amici vocantur, quum vel furore, vel alio quopiam dementiæ genere correpti, facinus aliquod aggrediuntur, ut eos inde avertamus, utili remedio exhibito.* Eadem Socratis sententia, sæpius apud Xenophontem, in Cyropædia, expressa est, sed maxime juvabit ejus verba audire ex IV. Socrat. S. *Estne in hominibus mentiri?* E. *Est.* S. *Ubi igitur hoc collocabimus?* E. *Patet, ad injustitiam esse referen-*

 dum.

dum. S. *Quid vero si quis dux hostem deceperit?* E. *Id justum contra hostes. Sed adversum amicos animo perquam simplici esse oportet.* S. *Quid ergo si quis dux viderit exercitum perterritum, & mentitus dicat, illico socios adfuturos, istoque mendacio animos commilitonum levet? Sub quonam id collocabimus?* E. *Sub justitia, uti videtur.* S. *Ast si quis filio pharmacum, quo maxime indigeat, respuenti, in cibarii locum dederit, & hoc mendacio ipsum liberarit, deceptionem hanc ubi collocabimus?* E. *Et hanc sub eadem, ut mihi videtur.* S. *Nec igitur adversum amicos opus est, cunctis in rebus, animo esse simplici?* E. *Minime Medius Fidius!* Philo Judæus denique, Platonis imitator perpetuus, de Migrat. Abrah. *Discant vel falsa, modo utilia, qui per veritatem ad bonam frugem reduci nequeunt: nam & his qui corporis morbis graviter laborant, instituti legitime Medici non sustinent vera proloqui: sed adhibent contrarias consolationes, ut fiat ægrotus ad tempus sedatior.* Idem de Cherubim pag. 110. *Quod non est officium, interdum fit officium. Quale est cum depositum redditur non bono animo, sed aut in detrimentum accipientis, aut insidiose, ut comparata semel fide, occasio captetur abnegandi majus depositum, tum officium non officiose fit. E diverso quoties ægroto non dicat vera Medicus, purgaturus eum, aut secturus, aut usturus propter ipsius utilitatem, ne forte metu doloris fugiat medicinam, aut forte metu doloris linquatur animo. Item quoties sapiens mendacio fallit hostem, propter salutem suæ patriæ: veritus, ne si vera prodat, vires addat adversariis, inofficiosam rem facit officiosam.*

§. VII.

Sed vereor, ut Porticus & omnium Philosophorum Socraticorum auctoritas hodie levior sit, quam ut Jurisconsultos ab iniquitatis patrocinio defendere queat; quapropter dolum bonum ad naturalem illam divinamque legem, velut ad Lydium lapidem, examinemus oportet. Si vulgi præjudicia sequamur, omne falsiloquium, omnis fictio, & veri dissimulatio, ceu peccaminosa rejicienda est: tum quia non est faciendum malum, ut eveniat bonum: tum quod

ipse

ipse Deus verax est *Rom. III.* 4. mentiri non potest *Hebr. VI.* 18. & imaginem suæ veracitatis homini conservandam impressit. In Decalogo prætcrea sub falso testimonio omne falsiloquium comprehendi, ajunt; quia quisquis aliquid enuntiat, testimonium perhibet animo suo, & lingua, nobilissimum instrumentum, tali abusu fœdatur. Bis Sanctus etiam Apostolus ad Ephesios cap. IV. ℣. 25. *Abdicato mendacio loquimini quod verum est, singuli cum proximo suo, quia membra sumus ejusdem corporis.* Etiam ut Florentinus: quia natura cognationem quandam inter homines constituit. *l.* 3. *D. de Just. & jur.* Divus denique Petrus omnes dolos & simulationes deponi præcipit 1 *Epist. II.* ℣. 1. Ita Placæus, Danæus, Ziglerus, Whitby & multi Theologorum alii ratiocinantur, quorum antesignanus est Vir sanctus, Augustinus, qui libris *de Mendacio* & *contra mendacium* duobus, Consentio nuncupatis, Priscillianistas, qui mentiri se posse, aut falsa loqui existimabant, vehementer impugnavit. Is servandæ veritatis officium cum officio servandæ castitatis componit, & sicut stupra & adulteria per se mala sunt, ita nulla ratione fieri posse docet, ut falsiloquium sit bonum; licet hæreticos lucrifacere, vitam aut pudicitiam servare possimus. *Mentiri non licet, nec pro Dei laude.* Sunt etiam inter Philosophos, Oratores & Poëtas gentiles, qui hanc partem rigide tuentur. Homero invisus est omnis, cujus mens aliud condit, quam lingua profatur, *Iliad. IX.* 312. Simonides justitiam definiebat, non modo acceptum reddere, sed & verum dicere, apud Platonem lib. I. de Rep. pag. 331. Cicero item, ubi utriusque sententiæ pondera attulerat, *ex omni vita simulationem & dissimulationem tollendam esse* concludit lib III. de Offic. c. 15. Verum enimvero sicut a dolo malo juridico bonæ fidei simulatores absunt proculdubio; ita optandum erat, homines, Epaminondæ exemplo, ne joco quidem mentiri velle: prius autem honestæ atque innoxiæ simulandi & dissimulandi artes vix proscribi poterunt, quam omnis malitia aut vecordia in sapien-

pientiam & probitatem fuerit mutata. Donec id fiet, in turbido hoc rerum humanarum pelago, qui recta portum tenere nequit, id ipsum mutata velificatione assequi tentabit.

§. VIII.

Quinimo tota hac de re disceptatio in λογομαχιαν inanem abibit, nisi primo discrimen inter mendacium & falsiloquium, tum jus circa sermonem, & collisiones legum recte observentur. Omne *Mendacium* est falsiloquium, non autem contra. Illud est voluntaria loquelæ & rei disconvenientia, contra obligationem instituta, & cum detrimento proximi conjuncta Sic Philippus Melancthon, in finitionibus Theologicis: *Mendacium* ait, *esse petulanter, aut cupiditate nocendi, aliud loqui, seu gestu significare, & aliud sentire. Non enim nomino mendacia figuras, quibus ex probabili caussa aliquid tegitur, quod non est necesse dici.* Semper itaque & omnino illicitum est mendacium; quia repugnat instituto generis humani, præceptoque Creatoris, ut ne nobis aliisque sermone noceamus, sed potius prosimus. *Falsiloquium* vero aliquando prohibitum est, aliquando licitum & indifferens. Quod si enim quis alteri sensa animi liquido significare tenetur, peccabit utique, si ambiguo sermone aut tacita restrictione alteri illudat. Sin ad silentium obligatus ab prave curioso interrogetur, aut silendum est, aut si nullatenus silere liceat, sermo ita formari potest, ut diversum ab eo, quod in animo est, exprimat. Denique si intra æquilibrium amoris alieni & proprii consistitur, vel in neutram partem obligatio concurrit, falsiloquium pro specie prudentiæ aut imprudentiæ est habendum. Poscit utique commodum societatis, ita clausum pectus per sermonem aperire, ut tuto credere liceat, nec falli timeamus. Qui vero sine causa fabulosa profert, vanus merito appellatur, & imprudens, aliquando & injustus, intuitu honoris alieni. Hæc de Dolo bono in verbis. Ad facta & gestus pertinet *Simulatio*, quæ actiones a mente aliena format; Græci οικονομιαν vocant; & *dissimulatio*,

quæ

quæ facta mentem indicantia omittit. Quæ de verbis dicta sunt, ad has non immerito accommodantur; nempe malas non esse simulationes, nisi honorem Dei, aut reverentiam Superiorum, aut amorem proximi lædant. Hinc cessante obligatione, utraque est mediæ naturæ, & in se indifferens, potestque non tantum injustitia carere, sed & vitio ac imperfectione, quin virtuosa & laudabilis esse. Nimirum falluntur, qui omnes simulationes & falsiloquia in naturam hominis rationalem, ideo injuria esse clamitant, quod illi, quibuscum ago, potentia physica pollent, meum sermonem & gestus, quibus sermo animatur, intelligendi. Atqui a potentia physica ad facultatem moralem non valet consequentia; neque in veritate, ceu officii objecto, officium sermocinantium consistit, sed æquali ratione ista cum silentio & falsiloquio sese habet ad finem sermonis, qui est ut aliis & nobis prosimus. Quemadmodum ergo non semper obligor ad loquendum, sic nec ad verum dicendum; nisi alter ex speciali pacto, aut ex natura societatis humanæ, aut indole negotii præsentis, jus habeat, convenientiam sermonis cum animo a me exigendi. Quod si his momentis necdum præjudicia submoveri possint, dabo, legem esse, quæ semper nos veraces esse jubet; sed & illi dabunt vicissim, incidere tempora, ut alia naturæ lex fortior, cum ista concurrat, nec utrique tamen satisfieri possit: nonne tunc ex mente legislatoris, inferiorem superiori cedere necesse est? nonne gradus & ordo officiorum, in dijudicatione, erunt observandi? Jam vero potentissima lex est, & sine exceptione, quæ Deum colere & amare jubet. Proxima huic est, quæ nosmetipsos tueri ac conservare præcipit. Tertia, quæ homines mandat esse sociales. Atque huic demum quarta, veritatis curam injungens, tam manifeste est subordinata, quemadmodum instrumentum suo principali inservit. Quamobrem ex his liquere arbitror: Dei, nostri, societatis, addo & civitatis causam fortiorem esse lege, quæ sermonem cum mente convenire præcepit. Hæc igitur, non temere neglecta,

cta, legis rationem exuit, ob majorem utilitatem promotam, aut certe minima illa labes, graviore in adjuvanda Republica aut amico honestate compensatur, ut graviter Theophrastus disserit apud A. Gellium lib. I. Noct. Attic. c. 3. Cicero lib. II. de Invent. *Primum leges oportet contendere, considerando, utra lex ad majores, hoc est, ad utiliores, ad honestiores, ac magis necessarias res pertineat. Ex quo conficitur, ut si leges duae, aut si plures, aut quotquot erunt, conservari non possint, quia discrepant inter se, ea maxime conservanda putetur, quae ad maximas res pertinere videatur.*

§. IX.

Non equidem diffiteor, Deum, qui absolutus vitae nostrae est dominus, tam rigidam veri custodiam nobis injungere potuisse, ut potius moriendum sit, quam vel latum unguem ab ea discedendum. At sicut nuspiam id comparet, ita praeceptis negativis, quae hominum officia continent, extremae necessitatis exceptio inest, adeoque explicanda sunt, cum sensu humanae imbecillitatis. Nec Divis homines componere aequum est. Deus falsa non loquitur, nec emit, vendit, conducit; quia omni ex parte beatus est; ob nostram vero indigentiam, impotentiam & imperfectionem, permittit, ut in verbis & factis, ad falsiloquium vel simulationem confugere possimus, ad nostram vel communem utilitatem. Sed ut via & ordine §. VII. obmota diluantur; fateor, non esse faciendum malum, quantumvis secuturo bono; at malum non est, quo salus aliorum promovetur. Qui majus scelus perpetrat, ut minus bonum consequatur, is demum in hoc Apostoli, ut ajunt, brocardicon peccat; sed minus malum, cum majore comparatum, rationem boni induit, ex natura collisionis legum, quae simul non possunt observari. In Decalogo falsum testimonium dicere prohibemur, sed *contra* proximum nostrum; qui jus habebat, ex communi legis naturalis praecepto, ut vera loqueremur apud judicem aliosve, ad noxam ejus avertendam. Econtrario si sermo apertus detrimentum ipsi allaturus est, ficto & colorato sermone uti licebit;

cebit; & gratias aget, si ira deferbuit, si crapulam edormivit. Lingua porro mendacio proprie sic dicto fœdatur, de quo loquuntur Apostoli, locis supra allatis: at si quis prudenter falsiloquio utatur, hostem arceat, innocentem defendat, moderatio vocis vere fit conciliatrix humanæ societatis, & instrumentum publici boni Stuprum denique ex suapte natura in genere malorum censetur, & quocunque tempore, loco, modo est vitiosum: non ita falsiloquium & simulatio; quibus accidere potest, ut etiam bona sint; quemadmodum exempla capite sequente ostendent. Ipse Augustinus alibi, ut solet, varians, ubi contra Priscillianistas non disputat, dissimulationes probavit: *Licet*, inquit, *veritatem occultare prudenter, sub aliqua dissimulatione.* & rursus: *Aliud est mentiri, aliud verum occultare.* in *can quæritur* 14. *caus.* 22. *qu.* 11. In libro de mendaciis, jocos excipit, *quia habent evidentissimam, ex pronunciatione, atque ipso jocantis affectu, significationem animi, nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis.* Cicero denique, & in loco supra nobis obmoto, & aliis, ubi, omne mendacium, in rebus contrahendis, tollendum esse docet, de pernicioso mendacio, vel de versuta dissimulatione, quæ fit emolumenti & lucri caussa, loquitur: aut certe doli odio, cum Antipatro suo, latius aliquando provectus, quam oportebat. Crudum nimis ejus dictum esse, censuit Grotius. Quid multa? Ipse Tullius aliquod mendacium *honestum & misericors* vocat, pro Q. Ligario, nec in hanc partem auctoritatem expressam defugit lib. I. de Offic. *Quæ pertinent ad veritatem, negare interdum justum. Referri enim debet ad justitiæ fundamenta, primum, ne cui noceatur, deinde, ut communi utilitati serviatur.* Alibi Socratem in omni oratione simulatorem callidum, & Q. Maximum facile tacentem, & dissimulantem probat. Rursus in Lælio, sive de Amicitia, si caput amicorum aut fama agatur, cum Theophrasto, quem sequitur, de via declinare permittit: *est enim quatenus amicitiæ venia dari possit.*

§. X.

Quod si ad Sacræ Scripturæ oracula mentem convertamus, nihil divinius est illo Salvatoris: *Simplices ut columbæ: astuti ut serpentes.* Veritas ubivis non tantum præcipitur, sed & inculcatur, tanquam nota civis cœlestis, & viri boni. *Zach. VIII.* 16. *Psalm. XV.* 3. *Prov. XIII.* 5. *Eph. VI.* 14. Contra abominatio Domino est omnis illusor *Prov. XII.* 22. perdit loquentes mendacium, *Psalm V.* 7. quia pars est veteris hominis, abjicienda piis *Ephes. XIV.* 5. diabolus auctor ejus vocatur *Joh. VIII.* 44. & nullum vitium mendacio est decantatius *Levit. XIX.* 11. *Prov. VI.* 16. *Ephes. IV.* 25. *Coloss. III.* 9. Nec tamen promiscue omnes fictiones & simulationes illicitæ habentur; sed illæ demum, quæ vel in gloriam divini Numinis injuriæ sunt, vel reverentiam erga Magistratus lædunt, vel jus proximo perfecte aut imperfecte debitum tollunt, aut cordis denique vanitatem produnt: ceteræ fere, quibus nulli fit injuria, sed malum ingens vitatur; aut bonum aliquod procuratur, inter ea, quæ vitio verti possunt, non numerantur. Quæ vero Scriptura non increpat, eorum nos non debere fieri accusatores, jam olim monuit Irenæus. Exemplorum magna nubes est, sed quæ excutere nostri non est fori, quum inter ipsos Theologos lis sit, & facta Patriarcharum non omnia ad imitationem trahenda esse, nec ipsos absque peccato vixisse, certo sciamus. Per indicem tamen nonnulla adferre lubet, libero de iis cuilibet sentiendi arbitrio relicto. Abrahamus & Isaacus Patriarchæ nuptias dissimulant, uxores sorores suas vocantes, *Genes.* XII. 10. & *XXVI.* 7. Jacobus, homo ἀπλαστος, & minime fictus, dolo accepit benedictionem, *Genes. XXVII.* 12. Josephus fictis criminationibus anxios diu habuit fratres, furti & explorationis scelera iis inurens *Genes. XLII.* 9. Obstetrices Ægyptiæ Pharaonis tyrannidem elusere, Dei timore, qui eis benefecit. *Exod. I.* 19. 20. Moses & Aaron sacrificia triduana in deserto prætexunt, de fuga nihil *Exod. III.* 18. Rachab occultatos a se explorato-

res

res pulcro dolo servavit *Jos. II.* 4 cui geminum in muliercula exemplum est 2 *Reg. XVII.* 20. Michala simulacrum veste tectum ægrotare dixit 1 *Sam XIX.* 13. David exul simulavit dementiam 1 *Sam. XXI.* 3. idem Achisum ambiguitate verborum delusit. *c. XXVII.* 10. & a Jonathane exegit, ut patri de se mentiretur *c. XX.* 6. Elisæus copias Syriacas, ipsum quærentes, Samariam duxit 2 *Reg. VI.* 19. Jehu, ut regnum ab idololatria liberaret, Baalis cultorem se fore fingit 2 *Reg.* X. 18. Jeremias obsidionis eventum apud Proceres dissimulavit *Jer. XXXVIII.* Et quæ id genus alia ex Vetere Instrumento infra sparsim proferentur. Multi majore subtilitate, quam soliditate, inania hic effugia quærunt; quibus carere possent, distinctione, inter dolum bonum & malum probata. Econtrario Rabbini circumventionem dolosam, & mendacium manifestum, in exitium Ebræi apostatæ permiserunt; in gentilem vero promissa vafra, modo cum injuria ejus non essent conjuncta. Vide Selden. *de jure nat. & Gent. juxta disc. Ebr. lib. IV. c.* 3. *& VI, c.* 3. Judicium Celeberrimi Clerici, in Comment. ad Genes. XII. ℣. 13. hac in re, non spernendum videtur; est autem tale: *Non videntur Hebræi unquam innoxia, imo utilia, ut ingentia mala vitarentur, aut ut bonum aliquod inde oriretur, sine contumelia aut injuria cujusquam, sine veri ullius dogmatis abnegatione, mendacia, inter ea, quæ vitio verti possunt, numerasse.*

§. XI.

Non me fugit, Hugonem Grotium, cum in notis ad dicta Josuæ & Samuelis loca, tum *lib. III. de J. B. & P. c.* 1. §. 20. existimare, ante Evangelium falsiloquium viris bonis salutare, culpæ datum non fuisse, & laudari quædam, ut illis temporibus congruentia, *ad Ebræos* X ℣. 31. *Jacob. II.* 25. Christianis vero simplicitatem non tantum imperatam, sed & vaniloquentiam interdictam esse *Matth. X.* 16. *XII.* 36. Verum quod universaliter & suapte natura vitiosum est, a fine, temporis, loci aut personarum circumstantiis licitum

fieri non potest. Præterea Evangelium sui ipsius conservationem nulli adimit; quamvis majorem perfectionem requireret, ut ille perperam contendit. Et ipse Grotius denique varians, non omnem in vitio ponendam esse simulationem, multis argumentis edocet ad *Lucæ XXIV.* 28. cujus verba statim proferemus. Nil vero causæ est, cur ad dubia quædam exempla, in novo fœdere confugiamus: & cum aliis, v gr. ad defendendum dolum bonum, trahamus, quod ipsa increata Sapientia Christus, apud comites Emauntinos προσεποιειτο ire longius *dict.* ỳ. 28. nec enim simulabat, fingebat, dicebat, se ultra progressurum, sed habitum præ se ferebat illi, pro quo habebatur, convenientem; & fortasse constituerat progredi longius, nisi, ut maneret, instanter rogaretur. Conf. *Gen. XIX.* 2. *Matth. VIII.* 7. *Marci VI.* 48. Nimis sane durum est, quod Hieronymus scripsit: *Christum simulasse ignorantiam, & humanos mentitum esse affectus*, ab Erasmo eapropter notatus. Lubentius huc referrem, quod Paulus Timotheum circumcidit propter Judæos *Actor. XVI.* 3. Licet enim hac nota eum Judaicis ritibus obligare noluerit; sperabat tamen multos Judæos ad Christum ita conversos iri, qui hominis incircumcisi conversationem cane pejus & angue aversabantur. Atque sic Paulus, ceteris Apostolis perfectior, implebat, quod de se scribit, Judæis factus sum tanquam Judæus, ut eos lucrifacerem. Unum enim illud anhelabat bis sanctus vir, ut omnium gentium salutem procuraret; ideoque mox extollit legem, mox dejicit, pro temporum & locorum opportunitate, varius & multiplex, non astu mentientis, sed affectu compatientis. Alibi autem Petro, eadem fere facienti, restitit in faciem, & simulationis graviter accusavit; quia scandalum gentibus præbebat. Quamobrem Clemens, Chrysostomus, Theodoretus, aliique merito hoc dispensationis profundum, & την ακραν οικονομιαν τε φιλανθρωπε και φιλοθεε παιδευτε, admirantur. Male autem nonnulli, ad hanc classem pertinere, crediderunt illud ejusdem Apostoli

2. ad

2. ad Corinth XII. 16. Quod sum callidus, dolo vos cepi: υπαρχων πανουργος, δολω υμας ελαβον, est enim mera ironia ex persona obtrectatorum loquentis. Nonnulli quippe suggesserant, Paulum Corinthios magna pecunia emunxisse; quamvis nullam ab iis mercedem accepisset, ob Evangelii prædicationem. Hoc ergo est, quod fortissime negat interrogando versu seq. *Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumveni vos?* Interim Patres Christiani, Origenes, Clemens, Tertullianus, Lactantius, Chrysostomus, Hieronymus, & alii hujusmodi exemplis nixi, falsiloquium, quod pro salute dicitur, *pæne omnes* probarunt; ut ipse Augustinus fatetur, quæst. 68. ad Levit. *Utrum hæc aliqua compensatione admittenda sint, magna quæstio est; sicut de mendacio* pæne omnibus *videtur, quod ubi nemo læditur, pro salute mentiendum est.*

§. XII.

Ut res clarior evadat, juvabit ipsa Patrum nonnullorum verba adscripsisse. Primas dabimus Clementi Alexandrino lib. VII. Stromat. hunc in modum differenti: *Qui cognitione præditus est, vera simul sentit & dicit, nisi quando loco medicinæ, ut medicus ad ægrotantes, ad eorum, qui laborant, salutem mentietur, aut falsum dicet, ut ajunt sophistæ. Ecce enim Timotheum præclarus circumcidit Apostolus, cum vociferaretur, & scriberet, circumcisionem, manu factam, nihil prodesse: sed ne repente a lege avellens ad eam, quæ est ex fide cordis circumcisionem, adhuc reluctantes eos, qui audiebant, Hebræos, a Synagoga sese cogeret distrahere, se Judæis accommodans, factus est Judæus, ut omnes lucrifaceret. Qui ergo propter proximorum salutem, quibus se accommodat, se demittit, is nullius simulationis omnino cogitur esse particeps, propter periculum, quod imminet justis, ab iis, qui eis invident. Propter solam autem propinquorum utilitatem, faciet quædam, quæ primario non fierent ab eo, si non faceret illorum causa.* Non minus facunde rem eandem explicavit Chrysostomus, cujus verba ex lib. I. de Sacerdotio in fine, semel legisse sufficiat: *Fraudis*

dis quidem magna vis, modo ne fraudulento ea animo fiat: quam ipsam tum ne fraudem quidem nominandam putaverim, verum œconomiam quandam potius, ac sapientiam, artemque, qua possis e mediis, iisdemque imperviis desperatarum rerum angustiis difficultatibusque, correctis emendatisque animi vitiis, evadere: Neque enim Phinees illum homicidam ego unquam appellaverim; quanquam is plaga una corpora duo sustulit: quemadmodum neque Heliam, vel post milites centum, una cum ducibus suis, interfectos; atque adeo post magnum illum sanguinis torrentem, quem eorum nece, qui dæmonum sacerdotes erant, fecit excurrere. Nam si hoc dederimus, & res ipsas per se singulas, nudas ab auctorum suorum consilio propositoque separatas, expendere quis voluerit, nemini sane non licebit, vel Abraham ipsum parricidii accusare: item & illius tum nepotem, tum abnepotem doli ac maleficii reos agere. Sic enim ille jus sibi primogenitum usurpavit; hic autem Ægyptiorum opes in Israelitarum castra transtulit. Sed non est ita, non est ita. Facessat hinc tanta ista impudentia: neque enim solum eos, quos modo nominavi, culpa liberamus, sed etiam eosdem, vel hoc nomine, admiramur: quandoquidem & ipsi, hoc demum nomine, gratiam a Deo magnam inierunt. Proinde illusoris deceptorisque nomine dignus fuerit, quisquis re ipsa, iniquo ac nocendi animo, abutitur; non qui recto consilio id præstet, alioquin sæpe numero profuit decepisse, & hac potissimum arte, in maximis rebus, alteri opem subsidiumque tulisse. Ceterum qui recto semper calle ingreditur, de eo nunquam deflectens, sæpe fit, ut ei etiam, cui non astum aliquem struxeris, malorum incommodorumque quamplurimorum auctor sit. Succedat Hieronymus, vir maximæ eruditionis, qui non modo in epistolam ad Galatas. c. 2. utilem simulationem, & in tempore assumendam, Jehu & Davidis exemplis probat; sed & lib I. Apologiæ adversus Rufinum c. 4. ex Origenis lib. VI. Stromatum, hæc habet: *Plato in tertio de Republica libro: Veritas, inquit, sectanda magnopere est: si enim Deo indecens & inutile mendacium est, hominibus quandoque utile, ut utantur eo, quasi condimento aut medi-*

medicamine, nulli dubium est, quin hujusmodi licentia medicis danda sit, & ab imprudentibus removenda: ergo & Principes urbium, si quibus & aliis hoc conceditur, oportet aliquando mentiri, vel contra hostes, vel pro patria, vel pro civibus. Ab aliis vero, qui mendacio uti nesciunt, auferendum est omne mendacium. Hactenus verba Platonis recensuimus. Et nos igitur illius præcepti memores: Loquimini veritatem unusquisque, cum proximo suo; non debemus dicere, quis est proximus meus? sed considerare, quomodo Philosophus, caute dixerit, Deo indecens & inutile mendacium, hominibus interdum utile, & quod ne pro dispensatione quidem putandus sit Deus aliquando mentiri... Homo autem, cui incumbit necessitas mentiendi, diligenter attendat; ut sic utatur mendacio, tanquam condimento & medicamine, ut servet mensuram ejus, nec excedat terminos, quibus usa est Judith contra Holofernem, & vicit cum prudenti simulatione. Imitetur Ester, quæ Artaxerxis sententiam, diu tacita gentis veritate correxit: & inprimis Patriarcham Jacob, quem legimus benedictiones Patris artificioso impetrasse mendacio. Ex quo perspicuum est, quod nisi ita mentiti fuerimus, ut magnum nobis ex hoc quæratur bonum, judicandi sumus quasi inimici ejus, qui ait: Ego sum veritas. Eandem doctrinam, totis ingenii viribus, hac in parte secutus est Cassianus, Chrysostomi in plerisque discipulus, Collatione XVII. c. 17. graviter monens, non rigida animi obstinatione, sed judicio & ratione temperandas esse definitiones, ne irrationabiles videamur: tum subjungit: *Itaque ita eo utendum est, quasi natura ei insit ellebori, quod si, imminente exitiali morbo, sumtum fuerit, fit salubre: ceterum absque summi discriminis necessitate præceptum, præsentis exitii est. Ita namque sanctos ac probatissimos Deo viros veniabiliter legimus, usos fuisse mendacio; sicut Rahab, cujus cum non solum nulla virtutum, sed etiam impudicitiæ monumenta commemorat scriptura, pro tali mendacio, quo exploratores maluit occultare, quam prodere, admisceri populo Dei æterna benedictione promeruit.* Addit: *Quosdam per mendacium justificatos, alios per veritatis assertionem peccatum*

tum perpetuæ mortis incurrisse. Jacobum instiganti ad mendacium matri laudabiliter acquievisse: quia videbat, ex hoc majora sibi lucra benedictionis atque justitiæ, quam per simplicitatis observantiam, conferenda. Denique Ambrosius, vel quisquis est auctor Sermonis XV. de Sanctis, Ambrosio adscripti, Sanctum Eusebium Vercellensem Episcopum commendat: *Quod hæreticis mentitus sit, ut de hæresi filium liberaret.* Mitto Athanasium, qui ministris Juliani Imperatoris ipsum quærentibus, & interrogantibus, quantum inde Athanasius abesset, respondisse fertur: *Eum non longe abesse*, apud Theodoretum lib. III. Hist. Eccl. c. 8. Cui non dissimilis est Felicis Nolani responsio, ad paganos, ipsum sibi ignotum interrogantes, ubi esset Felix: *Nescio Felicem, quem quæritis*, auctore Paulino Natali V.

§. XIII.

At videor mihi audire, nescio quos, susurros obmurmurantium, Patres in doctrina, quæ falsiloquio patrocinatur, ut in aliis plurimis, deserendos esse; quia, nimio Platonis amore, in gravissimos errores delapsi sunt; & Origenistas alibi Hieronymus *mendaciorum orgiis fœderatos* appellavit. Quapropter recentiores addam hilarioris famæ, Theologos & Jurisconsultos, in quos illa suspicio non cadit. Hugo Grotius, Vir summi judicii, nec divinarum minus, quam humanarum rerum scientissimus, in comment. ad Lucæ cap. XXIV. 28. recte monuit, non confundenda esse, quæ distingui debent. Falsiloquium, simulationes & dissimulationes per se res medias esse, quæ malæ fiant, quoties malo fini adhibentur. Hoc vero seposito, neque materiam, seu actum loquentis vel facientis exteriorem, neque formam, seu intentionem agentis, vitiosam esse. Non illam; quia verba & facta naturaliter nullam habent significationem: non hanc; quia per hujusmodi dissimulationem plerique deserviunt, ac sua vel aliena tuentur. In verbis quidem majorem, quam in factis, difficultatem agnoscit; ideoque in contractibus, testimonii dictione, aliisque id genus

ve-

veritatem, ad id negotium pertinentem, aperiri jubet: *verumtamen si qui insaniæ malo ægrotent, ut atra bile perciti (qui fere a morbo imaginoso, nisi per remedia imaginosa, curari vix possunt:) aut ejus sint infantiæ, quæ rationis usum non habeat, apud hos, qui loquitur, is positus videri potest extra illam necessitatem, verba significatis rebus aptandi: quia scilicet sermonis commercium non habemus, nisi cum iis, qui sermonis significationem intelligere sunt idonei.* Alterum testimonium ferat Osiander ad Josuæ II. *Hæc*, inquit, *dissimulatio, qua Rachab ex fide innocentes viros servavit, non fuit peccatum, sed prudentia, vel potius pia astutia; talisque occultatio ac elusio, non a vanitate ac nocendi cupidine orta, sed propter honestam causam, & proximi utilitatem, aliquid dissimulans, vel tegens, non est mendacium, Deo displicens, sed figura potius, officiosa simulatio.* De mendacio quid senserit Philippus Melancthon, corculum Theologiæ Reformatæ, ex ejus verbis, supra pag. 508. allatis constat. Inter Evangelicos ex asse nobiscum facit, Rev. Dn. Buddeus, Institut. Theologiæ moral. *p.* II. *c.* 3. *sect.* 5. De Pontificiis non est laborandum; quia in alterum extremum delapsi, inprimis Jesuitæ, reservationes etiam mentales admittunt. Jurisconsultorum, qui vera non simulata sua philosophia, omne falsiloquium promiscue non damnant, magna nubes est; sed potiores nominasse sufficiet, ne gregatim pasci, aut testium numero niti videamur. Alciatus multas species, ait, esse, quibus omni jure, divino & humano, fas sit mentiri *lib.* V. *Cons.* 6. *n.* 67. Cujacius dolum, quo utimur in hostes, nihil pene a virtute distare, ait, ad *l.* 1. *D. de Dol. mal.* Hotmanus dolum bonum sine controversia probari, scribit *c.* 7. *Quæst. ill.* Albericus Gentilis in disp. *de abusu mendacii*, & Joh. Lud. Praschius, in *schediasmate de mendacio* ad Bœclerum, professa opera id caverunt, ne laquei injiciantur conscientiis, in argumento, quod per omnem vitæ humanæ scenam latissime patet. Singularia capita nobilissimo huic argumento dederunt Viri Celeberrimi, Grotius, in divino opere *de J. B. & P. lib. III. c.* 1. Pu-

 fen-

fendorf *lib. IV. de J. N. & G. c.* 1. Noodt *de forma emend. dol. c.* 1. Thomas. *lib. II. Jprud. div. c.* 8. Huber *lib. II. de Jure civ. sect. 6. c.* 2. quos si quis inter se conferre velit, alios aliis rationibus subinde moveri, & naturali hominum ad dissentiendum facilitate, idem omnibus non placuisse, deprehendet.

CAPUT II.

Dolum bonum illustrat exemplis.

§. I. *Dolo uti licet adversus hostes & latrones.* II. *Non vero in infinitum, nec fide data. Amesius notatur.* III. *Rectoribus rerumpublicarum an, & quatenus falsa dicere licet, contra Machiavellum.* IV. *Dolus bonus Legislatorum.* V. *Praetorum.* VI. *Jurisconsultorum.* VII. *Cautiones saepe degenerant in malas.* VIII. *De fictionibus juris adversus Alteserram.* IX. *Dolus bonus Judicum.* X. *Advocatorum.* XI. *Litigantium.* XII. *Contrahentium.* XIII. *Mercatorum.* XIV. *Jacobi foetura artificiosa, aliter, quam a Clerico defensa.* XV. *Blanditiae an obsint testamentis.* XVI. *Jurantium reservationes damnatae.* XVII. *Dolus bonus in tuitione suorum.* XVIII. *Erga furiosos & infantes.* XIX. *Dolus bonus Medicorum.* XX. *Poetarum.* XXI. *Oratorum & Historicorum.*

§. I.

Rationibus & auctoritate, veterum pariter ac recentiorum, hactenus defensus est dolus bonus: nunc ad jura controversa pedem promovemus. Metus enim est, ne quis incautior, doli boni pomoeria nimis extendat: aut alius contra, rerum humanarum minus peritus, bonos nostros Jurisconsultos, ut doli & fraudis magistros, impudenter calumnietur: ideo exemplis quibusdam horum doctrina illustranda erit: & quodnam aptius primo loco proferri posset, quam ex Ulpiano? *Maxime si adversus hostem latronemve quis machinetur, l.* 1. §. 3. *de Dolo malo.* Hostis est, qui nobis, aut

aut cui nos publice bellum decrevimus, eoque a latrone & prædone differt, qui privato ausu vim infert *l.* 118. *D. de V. S.* Uterque tam gestu & signis, quam confictis sparsisque litteris, aut vulgato rumore falso licite circumvenitur, quia rupto societatis & juris vinculo, hoc agunt, ut homines nefarie lædant, jugulent, ferrum & flammam patriæ inferant, & in perniciem generis humani grassentur. Nulla cum his nobis societas est, sed summa distractio: neque est contra naturam fallere eum, quem possis occidere *l.* 21 *de R. J*, quin stultum foret sermone gestuve ita uti, ut hostis malo nos multet, vel furor latronis innocentem ad cædem quærentis promoveatur. Hinc belli furta, κλέμματα & strategemata omni ævo non minorem laudem habuere, quam facinora, quæ propalam & per vim patrantur. Exempla passim sunt obvia, etiam nostri ævi. Videlicet cum pauci sunt videri plures, cum plures rursus videri paucos. Rapa serere prope mœnia, mox deserenda, ut apud Casilinum, obsidione cinctum. Nolendo pugnare, ut Annibal, quum virtute frangi non poterat, mora est comminutus. Huc pertinet, si dux alia minatur, alia interrumpit; si noctu castra hostium invadit, qui animas quieti mandarunt. Utiliter sæpe fuga simulatur: fausta & læta, quamvis falsa, militibus acclamantur. Cum discedimus videri præsentes; præsentes autem cum simus, videri absentes. Frontinus & Polyenus, ille quatuor, hic octo libris, multa veterum specimina dedere. Accedat iis aliud, magis admirandum, e Danorum Saxonis Grammatici Historia lib. IV. ante medium: *Amlethum, Jutiæ Regem, Britanni insecuti, majore copiarum parte exuerant. Rex postero die, ad augendam multitudinis speciem, cæsorum cadavera, partim subjectis stipitibus fulta, partim propinquis lapidibus affixa, alia viventium more equis imposita, in aciem digessit, ut ipsæ extinctorum imagines, lacessentibus Solis radiis, immensi agminis speciem darent. Quo aspectu territi Britanni, a mortuis superati sunt, quos vivos superassent.* Valerius Maximus *lib. VII. c.* 4. hujusmodi dolos

partem calliditatis egregiam, & ab omni reprehensione procul remotam, appellavit. Gentem *ad furta belli* idoneam, laudat Sallust *lib.* 1. quem imitatus Virgilius *lib. XI. Æneid.* ỳ. 515. de Turno:

Furta paro belli, convexo in tramite silvæ,
Ut bivias armato obsidam milite fauces.

In sacris Josuam dolo bono unum usum legimus, ad capiendam urbem Haj. *Jos. VIII.* 21. quod explicans Augustinus quæst. X. super Josua, *Cum justum bellum suscipitur*, inquit, *vi aperta pugnet quis, aut ex insidiis, nihil ad justitiam interest.* Aliud exemplum est II *Regum. VI.* 19. ubi Elisa Syris, ipsum insequentibus, & scolomate percussis, dixit: *Non est hæc via, neque hæc est civitas illa, sequimini me*, &c. In profanis eminet Ulysses, plenus ubique fraudium in hostes; quem Homerus ideo πολυτροπον & πολυπλην; Horatius *duplicem*; Statius *varium* appellavit. Sic ille lib. II. Achill. ỳ. 171.

Heu simplex, nimiumque rudis, qui callida dona,
Grajorumque dolos, variumque ignorat Ulyssem.

Doli hujus boni nominatim meminere Livius *lib. I. c.* 37. Ovidius *Epist. I.* ỳ. 18. & Curtius *lib. VIII. c.* 13. quorum verba referre, nihil attinet. Florus *lib I. c.* 3. Horatium ait, *addito ad virtutem dolo*, ut distraheret hostem, simulasse fugam. Rursus *lib. II.* c. 6. Fabium Cunctatorem, adversus callidum Hannibalem, *non virtute tantum, sed suis etiam consiliis pugnasse.* Ammianus Marcellinus lib. XVII. nullo discrimine *virtutis ac doli*, prosperos laudari omnes debere bellorum eventus, tradit. Silius Italicus de Fabio, lib. XV. *Exin virtuti placuit dolus*, cecinit: sed elegantissimus est Virgilii locus *lib. II. Æneid.* 390. cujus acumen Macrobius & Scaliger olim sunt admirati, & nos merito veneramur:

- - *dolus, an virtus, quis in hoste requirat?*

§. II.

Hæc vero ita intelligimus, si bellum justa causa, non ex ava-

avaritia, vel dominandi libidine sit susceptum, & ceteroquin leges naturales, circa modum belli legitime gerendi, observentur, nec remedium hoc subsidiarium ad alia producatur, quam necesse est. Insidias licitas tantum probamus, degeneres detestamur, & Stygio sulphure expiandas committimus. Quidni enim belli dux, leoninæ vulpinam addat, quoties ex re sua id esse videt, & simul imbecillitatis suspicionem non excitat? sicut Romani, non Punicis versutiis, sed Marte aperto, hostes suos ulcisci gloriosum ducebant. Prudentissimum est illud Livii, & velut ex tripode dictum lib. XLII. c. 47. *Interdum in præsens tempus plus profici dolo, quam virtute: sed ejus demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte, neque casu, sed collatis cominus viribus, justo ac pio bello esse superatum.* Antea tamen lib. II. c. 64. *Gradum retulissent, ni salubri mendacio Consul fugere hostes ab cornu altero clamitans, concitasset aciem.* Aliud Tulli Hostilii exemplum habet Florus *lib. I. c. 3.* Generaliter Seneca consol. ad Polyb. c. 24. *Quod duces magni faciunt, rebus afflictis, ut hilaritatem de industria simulent, & adversas res adumbrata lætitia abscondant; ne militum animi, si fractam ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur, id nunc tibi quoque faciendum est.* Guilielmus tamen Amesius lib. V. de jure conscientiæ c. 33. §. 38. fallere hostes mendacio vetat, interque verba & signa discrimen, quod nullum est, quærit: nos nec facta, nec verba omnia probamus. Nam hostem veneno interficere, spicula & sagittas viperina sanie inungere, prata & fontes toxico inficere, gentium jus, si non omnium, certe meliorum, non patitur. *Illita tela dolis* improbat Lucanus VIII. ℣. 482. Omnium utique consensu, peccarunt Hispani, quando, obsessa a Gallis Neapoli, noctu non horum aquas tantum veneno, & pistores ut gypsum pani admiscerent, pecunia corrupisse, contenti, clam quoque scorta formosissima ex urbe miserunt, ut totus inde exercitus extingueretur. Adde Grot. *l. III. c. 4. §. 15. 16.* Certum est præterea, fidem &

 justi-

justitiam in bello servari oportere; tum quia fides supremum rerum humanarum est vinculum; tum quod hostes homines esse non desinunt, sed juris gentium communionem habent; tum quod ante fidem datam nullum virtutis & doli discrimen est, ea autem data, fraudibus & dolis uti non licet; tum denique quia Gibeonitarum historia apud *Jos. IX.* & *2 Sam. XXI.* ac Scipionis Africani apud *Liv. lib. XXX. c. 25.* id confirmat. Itaque cum alter triginta dierum inducias pactus esset, alteri specioso fraudis titulo, noctu agros vastare non licuit, quasi non ut dierum, ita noctium induciæ factæ, apud Ciceronem *de Offic.* 1. Nec ad hostem rediisse censetur, qui clam rediit, ut statim exiret. Ejusmodi enim interpretatio veteratoria eidem Tullio, & fraudulenta calliditas, ignominiis a Censore notata, Gellio dicitur *lib. VIII.* 19. Equidem nihil referre, ait Florentinus, utrum captivus dimissus, an vi, vel fallacia hostium potestatem evaserit in *l. 26. D. de Captiv. & postl. rev.* sed hoc ad postliminium pertinet, si ea mente fuerit, ut illo non reverteretur. Ideoque responsum est Attilium Regulum non esse postliminio reversum, qui juraverat Carthaginem reversurum *l. 5. §. 3. eod.* Ultro is ad hostem crudelissimum reverti, quam domi perjurus & consularis manere maluit, laudatus id propter Ciceroni, Silio, Gentili de jure belli *lib. II. cap. XI.* & Grotio *lib. III. cap. 23.* §. 6. De quæstione an fides hosti & prædoni data servanda sit, adde Hotman. *Quæstion. illustr. cap. VII.* & Duarenum *ad l. 1. D. de Pactis.*

§. III.

Nunc missa militia armata ad togatam veniamus, in qua doli etiam boni complura exempla habebimus, quæ nec per particulam *maxime* exclusisse videtur Ulpianus in *d. l. 1. §. 3. de dol. mal.* Licet enim is nonnunquam eam vocem accipiat, pro *utique*, *ita demum*, tanquam alias idem juris non sit, v. gr. in *l. 21. §. 1. de Peculio* juncta *l. 3. Quand. ex facto tut.* Hoc tamen loco, ut plerumque, pro *præsertim* & *principaliter*,

liter) eam usurpavit; imitatione Stoicorum, qui isthoc inprimis militiæ exemplo utebantur, auctore Quintiliano & Stobæo supra pag. 505. Non solos vero militare sciebat illos, qui gladiis, clypeis & thoracibus nituntur; militant namque & Principum Consiliarii, Jurisconsulti, judices & causarum patroni, dum gloriosæ vocis confisi munimine laborantium spem, vitam & posteros defendunt. De singulis agemus singillatim. Ac primum quidem huc maxime pertinent Principes, & qui circa latus eorum agunt Consiliarii, in sacris palatii scriniis militantes, quibus vel ideo, quod populus ingenio mobilis, cupidusque rerum novarum, vera sua bona nescit, & proinde tacito consensu omne jus suum in imperantem contulit, dolo bono sæpius utendum est. Plato *lib. III. de Rep.* civibus a mendacio abstinendum monet, Rectoribus autem rerumpublicarum, sicut Medicis, vel hostium, vel civium causa, falsum dicere concedit; atque in eam sententiam Socratem loquentem introducit. In partes ivit Græcorum justissimus Aristides, qui apud Plutarchum, Remp. multa injustitia egere fatetur, & Quintilianus *lib. II. c.* 18. *Aliquando*, ait, *communis utilitas exigit, ut etiam falsa defendantur.* Referri huc potest exemplum Saulis, qui cum ab hominibus nequam despiceretur, contumelias dissimulans, quasi surdum egit 1 *Sam.* X. 27. Tiberius nullam ex virtutibus suis magis, quam dissimulationem diligebat. Vespasianus omnium, quæ diceret, atque ageret, arte quadam ostentator erat. Inter recentiores, Ludovicus XI. Galliæ Rex prudentissimus, filium Carolum VIII. expertem esse literarum, sed unam sententiam Latinam scire voluit: *Qui nescit simulare, nescit imperare*, auctore Paulo Æmilio. Vel sola, ut vocatur, Ratio status, sive dominationis arcana, ad salutem præsentis Status pertinentia, hoc edocent; quæ nisi prudenti consilio velentur, aut sæpius, salvo tamen ubivis justitiæ moderamine, dissimulentur, Principi aut Reip. exitium conciliare possunt. Salus populi suprema lex esto. Rigidi quidam, in umbra scho-

scholastica nati & alti, cum Terentio exclamabunt: *O Jupiter! Hanccine vitam? Hoscine mores? Hanc dementiam?* Sed qui aulas & earum fumos novit, paucis hic directum cum virtute iter probari, plures abditos gerere sensus, & astutam vapido sub pectore fraudem servare sciet. Nuncii & legati ad has mittuntur, tum ut speculatores agant; tum ut Principis sui actiones tegant; tum ut quorundam animos ad usus suos adjungant: inter vulpes ergo vulpinum esse licet; sique contendi nequitum est, clam tendenda est plaga. *Velimus, ut quimus, quando ut volumus non licet*, ait Terentius. Magis ad rem Cicero monet, eos, quibus commissa est Respublica, ut ad effectum suorum consiliorum veniant, oportere, ut multa simulent inviti, multa dissimulent cum dolore. *lib. X. ad fam. ep.* 8. Poeta *lib. IV. Æneid.* ỳ. 490.

Arma parent, & quæ sit rebus causa novandis
Dissimulent.

Verum cautione hic opus est, ne scelus & perfidia sub arcanis status tegantur, & nequitiæ palæstra Regibus aperiatur. Impium consilium Principi suo dat Machiavellus; dum mox leonis, mox vulpis, mox monstri centauri formam ei induendam esse suadet, quod sua ætate viderat, scilicet! nonnullos plus fraudibus, quam alios fide profecisse. Gabriel quoque Naudæus, dum in Arcanis status, excessus juris communis, propter bonum commune vehementer extollit, ac crudelem lanienam Parisiensem hoc prætextu excusat, non parum ex iniquo trahit. Contra Grotius, nimis severe Platonis comparationem medici & Rectoris Reipublicæ, exagitat ad Lucæ XXIV. 28. Quamvis enim dignitatis differentia non tollat æqualitatem, quam inter omnes homines natura constituit; liquere tamen arbitror, simulatione opus esse, quoties cum plebe, sævissima bellua, res est, aut cum Machiavelli discipulis negotia intercedunt. Quidni enim hos propriis artibus implicemus, ut Metellus Jugurtham? Exemplorum pleni sunt annales. Apud Livium Marcus & Attilius, Romanorum legati de Perseo, Rege Macedonum,

spe

ſpe pacis a ſe circumvento, gloriantur; improbantibus Senatoribus antiquis, qui fidei Romanæ erant, laudantibus novis, *lib. XLII. c.* 47. Unicus Tacitus, ſcriptor πολιτικώτατος, & fraudium aulicarum acutiſſimus detector, multa habet: utitur is verbis *imagine*, vel *ſpecie*; degenerem vero Status rationem *flagitia dominationis* appellat XIV. *Annal. c.* 11. Nec aliud ſibi hodie volunt articuli, quos vocant, ſecreti; rumoris falſi ſparſiones, & fœdera ad ſpeciem potentiæ comparata. Hugo Grotius *l. V. Hiſt. Belg. ad A.* 1596. de fœdere inter Henricum & Galliæ regem: *Hæc palam ſpecioſa: nam ſecretioribus pactis imminutus eſt numerus militum.* Et nonne mors Principum, rebus periculoſis, utiliter ſæpe celata eſt, turbis præcavendis, donec neceſſaria expedita eſſent? Vide Tacitum *Annal I. cap.* 5. Liv. III. *c.* 18. Thuan. XIII. *p. m.* 259. Infinitum foret, ſi miracula, viſiones cœleſtes, prophetias, conciones, aliaſque *pias*, ut Ovidius jam vocavit, *fraudes*, ſed graviſſimo abuſu & impietate plerumque involutas, hic commemorare vellem; ingens enim ejusmodi hiſtoriis liber impleretur. Semiramidis, Cyri, Romuli, Alexandri, Auguſti, Conſtantini, Clodovæi, Alfonſi, Caroli V. natales & res geſtæ loquuntur, captos ſuperſtitione animos quæſtui ſæpenumero fuiſſe, nullaque re multitudinem efficacius moveri, quam thyrſo religionis. Livius *Patres*, inquit, *non vi agebant, ſed precibus, & inter preces multa deorum mentio erat, religioſum parti id maxime fuit*. lib. V. c. 14. ſeq. Duo ſpecimina, in hiſtoria Francorum, vidimus ſupra in Diſſ. de Unctione Remenſi p. 365. & 385.

§. IV.

Proximum locum præclaris Legislatoribus dabo, inter quos vel omnium judicio eminent Lycurgus & Solon, ille Spartanorum, hic Athenienſium, duces; quorum dolos bonos complures Xenophon & Plutarchus memoriæ prodiderunt. Solon aliquando ſolicitus, ne aut tacendo Reipublicæ parum conſuleret, aut cenſendo periculum ſibi afferret, dementiam ſimulavit, cujus venia non dicturus modo pro-

hibita, sed & facturus esset, Justinus *lib. II. c.* 7. quod ejus factum *versutum inprimis & callidum* vocat Cicero *de Offic.* 1. at Florentinus ille politicus astutissimus, Sapientis esse nonnunquam stultitiam simulare, hoc aliisque exemplis defendit. Lycurgi leges steterunt per annos fere octingentos, auctore Livio; is vero ut æternitatem iis daret, jurejurando obligavit civitatem, nihil eos de legibus mutaturos, priusquam reverteretur. Simulavit statim, ad oraculum Delphicum se proficisci; sed perpetuum exilium in Creta egit, atque moriens ossa in mare abjici jussit; ne relatis Lacedæmonem solutos se Spartani jurisjurandi religione arbitrarentur, Justin. *l.* III. *c.* 3. In universum huc pertinet, quod Marcianus in *l.* 2. *D. de Legibus*, cum Demosthene, legem *inventum ac munus Dei* vocat: quia antiqui Legislatores, non metu tantum religionis, solutos antea mores & tædium consuescendi vincere voluerunt, sed & a Diis ipsis se leges suas accepisse finxere, veram Mosis historiam per simulationem imitati. Ita Lycurgus Apollinem Delphicum legum suarum auctorem finxit, Cicero l. *de Divin.* Pythagoras Apollinis sacerdoti decreta sua accepta tulit, Laert *lib. VIII.* §. 8. Romulus Consum, Consiliorum Deum invenit; Numa congressus nocturnos cum Nympha Ægeria simulavit. Livius *lib. I. cap.* 19. De Mnevi Ægyptiorum Legislatore Diodori Siculi locus pulcherrimus est *lib. I. Biblioth. c.* 94. cujus verba semel adscribam: *Leges a Mercurio sibi traditas, unde ingentia vitæ bona promanarent, simulavit. Quod apud Græcos in Creta quidem Minos; apud Lacedæmonios Lycurgus factitavit: quorum iste Jovi; hic Apollini suas vendicavit. Id commenti genus apud plures quoque alias gentes adhibitum, multorum causa bonorum persuasis extitisse ferunt. Nam apud Arismaspos Zathraustes Bonum Genium, apud Getas Zamolxis Communem Vestam; apud Judæos Moses Deum, qui J A O dicitur, Legum auctorem suarum finxisse perhibetur. Sive quod admirandum prorsus & divinum esse judicarent commentum istud, quod in commodum societatis humanæ exiret; sive quod vulgus ad majestatem*

&

& potentiam illorum, qui leges invenisse dicerentur, respectans, dicto magis audiens fore, existimarent. Legum dolo bono latarum varia possent adferri exempla, sed tribus contenti erimus. Quum piscarii Athenis pisces nimis caro venum darent, Aristonicus legem tulit, ut in custodiam abduceretur, qui pluris indicaret, ac minoris venderet. Sed quum illi ex compacto carius indicarent, piscesque putres, aqua rigatos, die sequente exponerent, is alia lege jussit, uti stantes pisces venderent, non sedentes; quo ita tædio moræ confecti, quam recentissimos vili venderent; ut refert Alexis, in Lebete fabula, auctore Athenæo lib. VI. Apud Lacedæmonios, sobrios illos & acres viros, Legislatores jus atque usum furandi juvenibus permiserunt, non ob turpia lucra, neque ad sumtum libidini præbendum, sed pro exercitio disciplinaque rei militaris, ad quam tota Respublica composita erat. Credebant enim furandi sollertiam & assuetudinem acuere animos adolescentium, & ad insidiarum astus, & ad vigilandi tolerantiam, & ad obrependi celeritatem: majorque victima immolata ab eo, qui per dolum, quam aperto Marte hostem superasset, auctore Plutarcho in Marcello. & Gellio lib XI. Noct. Att. c. 18. Romæ equo vehi Flamini Diali non licebat, ne si longius digrederetur, sacra negligerentur; insit Sextus Pompejus de V. S. lib. 5.

§. V.

Sed propius ad Romanos veniamus, quorum nomothesia pluribus doli boni exemplis abundat. Non hic memorabo actiones legis & juris formulas, astu Patriciorum hoc fine excogitatas, ut omnibus in rebus interessent, & ipsi hoc freno vulgus refractarium cohiberent, ejusque fortunis, aucupatione sillabarum insidiarentur. Neque arcana monarchiæ introducendæ recensebo, quibus callidi Imperatores umbram libertatis populo reliquerunt, Senatus vero potentiam augendo suæ inservierunt. Magis enim hæc, & ejusmodi alia arrogantiam spirant, atque ad dolum malum inclinant. vid. Tacit. II. *Ann. c. 64. seqq.* Vetus

Xxx 2 autem

autem illa & mystica per æs & libram testandi ratio, interdictiones aquæ & ignis, nec non addictiones in servitutem huc omnino pertinere videntur: sed iis hoc loco missis, Prætores tantum videamus. Hi legum custodes & ministri, non arbitri erant; nec leges sancire novas, neque veteres corrigere poterant directe, quippe quod solius Majestatis & populi erat. *l.* 12. §. 4. *D. de Public. in rem act.* *l.* 12. §. 1. *de Bon. poss.* quamobrem Marcianus jus honorarium *ἀλληγορικῶς vivam vocem juris civilis*, & Cicero Magistratum *legem loquentem* appellavit. Et tamen quia nefas videbatur, scriptum legis angustum, sola interpretatione, ultra proximam verborum significationem extendere; multæ item species generalitate verborum comprehensæ, propter æquitatem, subducendæ erant, & leges denique neglectæ vel desuetudine abolitæ iterum revocari debebant; hinc Prætores per indirectum, occultis mutationibus & coloribus quæsitis, jus civile varie & suppleverunt & emendarunt, rigore mitigato. Nunc enim diversis nominibus uni rei impositis juri civili, quasi aliud agentes derogabant; nunc fictionibus adhibitis imperitæ plebi fucum faciebant; ubique tamen & æquitatis, & utilitatis publicæ, & litium finiendarum studiosi. Sic Prætor, quia legem facere non poterat, nec heredem facere, nec dominium transferre, nec obligationem inducere valebat directe: imperfecte tamen, & tanquam minister æquitatis invenit bonorum possessores, per omnia vice heredum habentes, *l.* 2. *de Bon. poss.* *l.* 138. *de V. S.* quos tamen heredes appellare contra jus erat, quia *per legem tantum, vel legi similem constitutionem heredes fiunt*, ait Imperator *pr. Inst. de B. P.* Hinc *fictitiis actionibus*, id est, utilibus, opus fuisse, ait Ulpian. *tit.* 28. §. 12. Sic juris civilis duritiem ut emolliret, finxit filium non esse emancipatum, ut ad bonorum possessionem admitteretur. Rursus liberis Suis, qui per Leges Decemvirales parentum, quorum in potestate, inviti & necessarii heredes existebant, beneficium abstinendi concessit §. 2. *I. de Hered qual.* Et licet

vi

vi ipsa ex necessariis voluntarios fecerit, quia in eos actio non datur; non tamen extranei sunt, sed adhuc inviti heredes esse dicuntur jure civili *l. 57. de Acq. her.* Sic in Publiciana Prætor fingit rem usucaptam, quæ usucapta non est; quia jus strictum vindicationem ex jure Quiritium denegabat: & contra in rescissoria tempus usucapionis nondum ajebat esse elapsum, quod tamen elapsum erat §. 4. *&* 5. *I. de Act.* Simplicius utique fuisset, si insuper habitis subtilitatibus actorem veras circumstantias allegare jussisset, sic enim Placentini censura abforet ad §. 4. Inst. de Act. *Juvabitur*, inquit, *actor potius, si mentiatur, quàm si verum dicat: littera est meretrix & occidit.* Sed vide Bachov. *disp.* 3. *de Act* §. 16. Hinc quoque inter actiones *directas* id est civiles, & *in factum* vel utiles, id est Prætorias distinctio enata est. Obligationem denique jure civili recte contractam tollere non poterat Prætor, sed dabat exceptionem; cum tamen effectu ipso & exitu judicii inspecto nihil interfit, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur *l.* 112. *D. de R. J.* Vide Averan. *interpr. jur. lib. I. c. 6.*

§. VI.

Ordo postulat, ad urbanam illam Jurisconsultorum, Judicum & Advocatorum cavendi, fingendi, judicandi & postulandi militiam progrediamur: in qua præ ceteris veterum Prudentium ευρηματικα eminent, quibus nimium juris rigorem ad æquitatem inflexerunt, clientibusque suis, ut captionum laqueos & calumnias adversariorum evitarent, sua autem negotia valide gererent, consilia dedere. Latini *Cautiones* appellarunt, ut cautio Muciana. Inde jocus Ciceronis VII. ep. 13. *Sed ut ego quoque aliquid de vestris cautionibus dicam.* Et longe urbanius ep. 18. *Itaque quando vestræ cautiones infirmæ sunt, Græculam tibi misi cautionem chirographi mei.* Pomponius & Ulpianus *Remedii* voce usi sunt, *in l. 66. de Jure dot. l. 3. §. 2. de Statu lib.* Papinianus conjunxit *cautionis Mucianæ remedium* in *l. 79. §. 3. de Cond.*

& dem. Nec aliud quid fuere stipulationes ab antiquis Jurisconsultis, rei jurisque sui tuendi gratia inventæ Paul. *V. rec. sent. tit.* 7. *l.* 1. *de Præt. stip.* Cic. *pro Roscio cap.* 12. & *II. de LL. c.* 21. Recentioribus passim *Cautelæ* vox placuit, Apulejo item & Prisciano usurpata: Stryckii Cautelæ contractuum, testamentorum, juramentorum & praxeos forensis omnium in manibus sunt, nec sine fructu leguntur. Veterum quoque cautionum vestigia, per universum Pandectarum corpus dispersa supersunt, ac Modestinus ultimum Jurisconsultorum oraculum, & Alexandri Imperatoris Consiliarius, librum singularem Ευρηματικων scripsit, cujus decem capita, ex magno naufragio servata, Viri Clariss. Johannes Schilterus & Henricus Brenkman eruditis commentariis illustrarunt. Atque hæc pars Jurisprudentiæ maxime practica erat, tam ad averruncandas fraudes, quam ad lites præcidendas maxime necessaria: unde Cicero Jurisconsultum definit, qui non tantum ad respondendum, & ad agendum, sed & ad *cavendum* peritus est lib. I. de Oratore. Hinc cauta diligentia laudatur & commendatur §. 3. *Inst. de Pup. substit. l.* 2. *C. de Furtis l.* 5. *pr. C. de Off. Magistr. mil.* Ipsum jus eapropter *versutum vocatur* in *l.* 28. *C. ad Leg. Jul. de Adult.* & *Vafrum* apud Horatium *lib. II. Sat.* 2. Hinc quoque Alphenus, Jurisconsultorum coryphæus, *vafer* audit eidem *lib. I. Sat* 3. Æbutium *peritum juris & callidum* Cicero pro Cæcina vocat, & Licinium Proculum urbanæ militiæ impigrum & *callidum* Tacitus appellavit 1. *Histor. c.* 87. Calliditas enim proprie versutiam significat, ex usu rerum multo contractam. Callidi sunt quorum animus, ut manus opere, concalluit, ait Cicero *lib. III. de Nat. deor.*

§. VII.

Quemadmodum vero cautiones laudem merentur, quæ ex vera, non simulata Philosophia profectæ litibus minuendis inserviunt, sic tanquam illicitas & pestilentes damnamus cavillationes & vaframenta, quæ legi fraudem faciunt, pacta evertunt, aut fidem jurejurando adstrictam eli- dunt.

dunt. *l.* 29. *&* 30. *D. de Leg. l.* 133. *de V. S. l.* 65. *de Reg. Jur.* Hæ sunt quæ calliditatis commentum in *l.* 9. *D. de Reb. eor.* calliditatis auxilium in *l.* 9. *C. Th. Quor. appell.* & callidæ debitorum artes vocantur in *l ult. C. eod.* Multa harum exempla congessit Pufendorf *lib. IV. de J. N. & G. c.* 2. §. 12. *& lib. V. c.* 12 §. 3. 7. 18. Coccejus *de Simulatione* & Nicolaus Hertius *de Jurisprud. cavente sect.* 1. §. 11. *seqq.* quorum scrinia compilare non vacat. Illud certum, Romanos Jurisconsultos non omnes fuisse Gallos Aquilios, cujus prudentiam populus Romanus in *cavendo*, non in *decipiendo* perspexit, auctore Cicerone pro Cæcina. Qui enim in foro verisque litibus terebantur, multum malitiæ, etiam inviti, addiscebant, ut de se Plinius *lib. XI. epist.* 3. Multos innata animi perversitas, alios artis sanctissimæ abusus, rursus alios auri sacra fames veteratoriis artibus mancipabat, quia & ad opes augendas & ad gratiam vehementer pertinebant. Hinc Lucius Titius testamentum suum scripserat *sine ullo Jurisperito*, rationem animi sui potius secutus, quam nimiam & miseram diligentiam in *l.* 88. §. 17. *D. de Legatis lib. II.* Testamenta quippe scribebant & caute concipiebant Jurisconsulti, teste Suetonio *in Nerone cap.* 32. Arriano *ad Epictet. lib.* 2. *c.* 1. & Ammiano Marcellino *lib.* 28. *c.* 4. Cicero II. de Oratore c. 6. *Nam si inquam Scævola nullum erit testamentum recte factum, nisi quod tu scripseris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus.* Ad cautiones contractuum ab iisdem confectas pertinet Inscriptio Neapolitana apud Gruter. pag. DCLXII. DOLVS MAL. ABESTO. ET. IVRISCONSVLT. Nec recentiores ab hac labe immunes: qui enim post Joh. de Deo, Hispanum, & Bartholomæum Cæpollam, Italum, cautelas collegerunt Germani, si unicum B. Stryckium excipias, periculosas & fallaces a necessariis & innoxiis non satis separarunt. Specimina nonnulla minus probandorum ejusmodi sophismatum ex Cæpolla, & Dyno, immodestis eorum artificibus, cetera tamen, integræ vitæ & conscientiæ viris, adduxit Schilte-

Schilterus *Exerc. I.* §. 4. *XV.* §. 34. *XXX.* 140. *& XXXVII.* §. 147. 167. & 168. Alia Stryckius *de C. C. Sect.* 1. *c.* 1. §. 8. Quibus adde quod Oldendorp *D. I. Act.* 9. ex Speculatore refert, Cæpollam tradidisse, suspendendum esse laqueo advocatum, qui in causa tutelari patiatur litem contestari, intra triennium. Ejusdem farinæ est, quod Paulus Castrensis probat atque excusat, Notarium de majore summa, cum minor esset soluta, sed eadem sæpius enumerata, instrumentum scribere posse *ad l.* 67. *D. de Solut.* Quodque Angelus Aretinus ad *l.* 1. *C. de fals. caus.* scribit, ex visione quadam sibi compertum, Dynum, ob cautelæ alicujus usum, ad inferos damnatum esse. Rectum de his judicium tulit Jacobus Cujacius, in præfat. Consultationibus præmissa: *cœperunt more pravo, prævaro, litigandi potius, quam justitiæ tradere vias.* Aliud est Francisc. Duareni ad l. 25. D. Solut. matr. cujus verba adscribo: Ευρηματικων *libros nonnulli ex barbaris conscripserunt, sed commentis partim frigidis & ineptis, partim vafris atque veteratoriis refertos, ut eos studiosorum lectione prorsus indignos censeam.* Utique in hæc artis nostræ propudia fraudisque magistros quadrat vulgaris parœmia, qua status controversia passim JCtorum ordini movetur, & *Juristæ* mali *Christiani* vocitantur. Ejus occasionem & causas indagavit Cl. Hertius, quibus hanc a cautionibus subdolis petitam addi velim: hæ namque Jurisprudentiam ex matrona meretricem, ex matre novercam fecere. Ceterum usuri cautionibus, etiam licitis, caveant ne nimiis, præsertim insolitis utantur, ex hoc ipso enim fraudis suspicio oritur; ut sæpius usu veniat Plautinum illud *in Capteiv. Act. II. sc.* 2.

Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, cum etiam cavet.
Etiam cum cavisse ratus, sæpe is cautor captus est.

§. VIII.

Quid autem est, dicat aliquis, quod Ulpianus tam magnifice juris Sacerdotes *veram non simulatam Philosophiam* profiteri, ait in *l.* 1. §. 1. *de Just. & jure*? & tamen fictionum adeo

adeo plena sunt omnia, ut non tantum *commentitii juris* fiat mentio in *l.* 20. *D. de Pœnis*, sed & Plautus Jurisconsultos *legum atque jurium fictores* appellarit, *Epid. Act. III. sc.* 4 ℣. 86. Quid est? quod Cicero pro Muræna *c.* 13. etsi subridens, scientiam juris, prope totam, *ex rebus fictis & commentitiis* constare dixit, quibus falsa pro veris scienter & aperte assumantur. Et alibi, *umbris & imaginibus* uti JCtos, queritur; nullam eos veri juris, germanæque justitiæ solidam & expressam effigiem tenuisse *lib. III. de Offic.* 17. Dignus est articulus, qui exemplis illustretur. Filius movens querelam inofficiosi hoc colore, tam apud Græcos, quam Romanos niti jubetur, ut dicat, non sanæ mentis fuisse patrem, cum testamentum ordinaret, etsi certum sit, dementem non fuisse *l.* 2. *&* 5. *D. de Inoff. test.* Adoptiones & emancipationes per imaginarias venditiones celebratæ *l. ult. C. de Adopt. l. ult. C. de Emanc.* Hinc imago naturæ veritati opponitur, in *l.* 23. *D. de lib. & posth.* Papinianus *adoptionis commentum* vocat, *l.* 76 *D. de Cond. & dem.* Justinianus *ludibrium* appellavit, *l.* 10. *C. de Adopt.* Donationis gratia nummo uno mancipio dabatur, Vitruv. *lib. I. c.* 4 *Arcas divisit nummoque Sestertio singulis mancipibus mancipio dedit.* & Grut. pag. 956. n. 4. MANCVPATIO. SESTERTIO. NVMMO. VNO. Qui ex captivitate reversus, semper in Urbe fuisse, & qui mortuus in captivitate, ab initio mortuus fingebatur §. 5. *I. quib. mod. jus patr. pot. sol.* pariter ac apud Athenienses, ab hostibus reversi, δευτεροποτμοι και υστεροποτμοι dicti, quasi ex Orco reversi & renati. Qui in utero sunt pro natis habentur, quoties de eorum commodo agitur *l.* 7. *D. de Stat. hom. l.* 30. §. 1. *de Acq. vel om. her.* Actio funeraria oriri censetur ex quasi contractu, cum homine mortuo celebrato *l.* 1. *D. de Relig.* Hereditas ante aditionem defunctum repræsentat §. 2. *I. l.* 31. §. 1. *l.* 52. *D. de Hered. inst.* Pater & filius, servus & dominus, heres & defunctus pro una persona habentur §. 4. *&* 12. *Inst. de inutil. stip. l. fin. C. de impub. subst.* Servitus mortalitati h. e. morti, comparatur *l.* 209. *de R. J.* Sexcenta id genus sunt

 alia,

alia, quæ Franciscus Hotmanus *qu. illustr. c. 38.* ad quinque genera, personas, res, tempora, loca & actus revocavit. Tacceo tot alia *dicis causa*, *προφάσεως ἕνεκα*, a Jurisconsultis excogitata, *l. 4. D. Commod. l. 66. de Jur. dot. l. 46. Locati l. 10. de Acq. poss.* de quibus A. Dadinus Alteserra Tractatus septem *de Fictionibus Juris* publicavit Parisiis anno 1659. Equidem non meum facio istorum judicium, qui fingendi illud institutum, tanquam elegans, subtile, & ad leges ferendas necessarium extollunt: multo minus probo comparationem Alteserræ, in præfatione laudati tractatus: *Etiam fictiones usquequaque non respuit ipsa sacra scriptura, & quod perpetuum vel æternum pactum salutis dicere malis, variis verborum coloribus veritatis sacramenta insinuavit; & Christus per parabolas & figmenta de infrugifera ficu arefacta, de lampadibus sponsi, de sementis incrementis; hypocritas apud eum audies per sepulchra dealbata, quæ foris marmorea, intus nihil aliud, quam cineres, & putredinem continent.* Potius assentior Titio, qui totum istum fictionum apparatum, non modo non necessarium, sed & inutilem ineptumque esse docuit, in dissert. *de Fict. Roman. natur. & inconcin.* Pendent enim ab imperio, & sunt legis dispositiones, quæ falsi assumtione per se non egent; Romæ autem malum erant necessarium, & species genuina doli boni. Vix enim Reip. status aliam legum rigidarum medelam admittebat; vulgus æquos habebat mores antiquos, & novandi studium exemplo periculosum censebat; ideo quæ diu comprobata erant, propter utilitatem, verborum fictione atque imagine erant obliteranda, ut Clariss. Vir Gerard. Noodt *lib. III. Probabil. cap. 12.* pulcherrime ostendit. Nimis autem durum est Titii effatum, stultitiam atque improbitatem Jurisconsultorum fictiones protulisse, quo res planas involverent, miseramque plebem emungerent atque irretirent. *Jur. priv. lib. I. c. 9. §. 12.* Nec audio Ant. Matthæum *disp. fund. VII th 23.* furoris colorem in querela inofficiosi his verbis redarguentem: *At, inquam, sermo vester sit, Ita ita: Non non.* Ecquid

quid enim minus lædit reverentiam, patrem impietatis & *ἀστοργία*, an morbi accusasse? Nonne furor est, posthabito sanguine, extraneos heredes instituisse? Plinius paneg. ad Trajanum: *Non tu falsis, non iniquis, tabulis advocaris; nullius ad te iracundia, nullius impietas, nullius furor confugit.* De fictionibus in jure naturali licitis, vide quæ Pufendorf *lib. II de J. N. & G. c. 2. §. 2. in Eride Scandica pag.* 20. 220. contra imperitos adversarios suos disputavit.

§. IX.

Tempus est ad Judicum tribunalia veniamus. Hæc utut justitiæ ac veritatis officinæ esse debeant. dolum tamen bonum non excludunt, si ejus ope ab actore vel reo veritas extorqueri possit. Divinum Salomonis judicium, in jure duabus mulieribus dicendo, primum in hoc genere locum meretur; quia summa prudentia naturalem matrum affectionem respiciens, voluntatem scindendi infantis vivi præ se tulit, ut matrem detegeret veram 1 *Reg. III.* 25. Similem Claudii solertiam memoriæ prodidit Suetonius *cap XV.* qui feminam, non agnoscentem filium suum, dubia utrinque argumentorum fide, ad confessionem, indicto ejus matrimonio, compulit. Aliam Galbæ, narrat idem: quum enim de proprietate jumenti quæreretur, levibus utrinque argumentis & testibus, decrevit, ut ad locum, ubi adaquari solebat, duceretur capite involuto, atque ejus esset, ad quem sponte a potu, capite revelato, se recepisset, *in ejus vita c. VII.* Carolus Magnus denique, certus aut patrem aut filium quendam occidisse, incertus autem uter eorum, utrumque suspendi jussit, & confestim filium innocentem confessione sua pater ab imminente supplicio liberavit: id quod laudat Menochius: improbat Scaccias imperite, & contra *cap. afferte 2. X. de Præsumt.* Vel sola namque ratio dictitat, judicem, ad veritatem eruendam, simulatione honesta, & ad decipiendum non directa, uti posse. Sic territionem realem & verbalem praxis quotidiana defendit, quando judex ministrum terribilem, carnificem puta, reo sistit, quasi tor-

quendus esset. Similiter prudens judex notitiam criminis præ se ferre potest, ac si auctorem delicti ejusque circumstantias habeat perspectas, licet omnium sit ignarissimus. Caveat autem sibi, ne promissione impunitatis confessionem eruat, quæ raro in optimam partem cadere solet. Neque enim judicis est, pœnam remittere, sed punire, immo dubia & inutilis plerumque hæc eruendæ veritatis est ratio. Sive enim reum indicia propinqua & præsumtiones urgeant, quæstioni est subjiciendus: sive per testes criminis jam convictus, & ejusmodi confessio non desideratur *l.* 8. *D. de Quæst.* sive deinceps leviores tantum conjecturæ adsunt, & ille crimen, forsan non commissum, fassus est, quo e carceris squalore se liberaret, nec tunc pœnæ ordinariæ erit subjiciendus, præsertim si confessionem ita extortam revocaverit. *l.* 27. §. 4. *D. de Pactis.* ibique Duarenus, Faber *C. lib.* 9. *tit.* 25. *def.* 17. Covarr. *lib. I. Var. res.* 2. *in fin.* Quid si vero judex nihilominus veniam delicti promisit? Distinguo: aut is inferior est, & tum si reus, indiciis oneratus, in confessione perseveret, vel satis probatum fuerit delictum, non obstante fide nulliter data, pœna ordinaria est afficiendus. Aut Princeps aliusve, qui gratiam delicti facere potest, impunitatem promisit, & hic fidem liberare tenetur, exemplo Davidis 3 *Reg. II.* 8. Matth. *de crim. lib.* 48. *tit.* 16. *c.* 1. *n.* 16. Unde factum Alexandri III. passim reprehenditur, qui impunitatem Episcopo Simoniaco promissam, haud præstitit. Carpz. *pr. cr. qu.* 149. *n.* 15. Aliquando item si Reip. intersit, delictum valde occultum detegi, impunitas prodenti a judice inferiore promissa, servanda erit. vid. *l.* 5. §. 7. *C. ad L. Jul. Maj. l.* 1. *C. de Falf. monet.* Brunn. *proc. inq.* c. 8. *m.* 1. §. 55.

§. X.

Nunc latissimus disquirendi campus sese aperit, num Advocatis in bona causa simulatione & dissimulatione uti fas sit? Vetus illa quæstio est, tam apud Gentiles, quam Christianos ventilata. Quintilianus *lib. XII. Inst. orat. c.* 1. licite fieri

ri posse existimavit, ut vir bonus, in defensione causæ, velit aliquando judici auferre veritatem; aut responsione joculari, rem risu magis dignam facere, quam pœna, si crimen objectum negari non potest. Sane cum litis contestatio sit quasi initium prælii civilis, dolos & argutias, velut stratagemata forensia, probarunt multi, etiam recentiores Jurisconsulti, Mynsing. *cent.* 3. *Obs* 6. Wesenb. & Perez. *in tit. C. de Adv. div* Negarunt alii, auctoritatis non minoris, quos inter Wissenb. *disp XI. n.* 11. Covarruv. 1. *resolut.* 2. Carpzov. *p.* 1. *c.* 1. *d.* 8. & Struv. *Ex. VII.* §. 8. hoc moti sunt argumento, quod non sint facienda mala, ut eveniant bona, quodque melius sit decipi, quam decipere 1 *Cor. VI.* 7. 8. Mihi distinguendum videtur inter dolum bonum & malum. Circuitus prudentiæ civilis, vigilantia & modi, quibus sine læsione adversarii ad exitum citius pervenitur, non tantum permissi sunt, sed & laudandi; inprimis si ad excludendam alterius fraudem, vel pertinaciam ejus frangendam adhibeantur: *nec enim dolo fecisse videtur, qui fraudem exclusit*, ait Papinianus in *l.* 77. §. *antepen de Legat.* 2. Perjuriis autem & mendaciis, etiam in bona causa, abstinendum censemus, etsi pars adversa iis utatur; nec enim hujus peccatum, alteri peccandi licentiam donat. Omnino autem temeritatem illorum causidicorum, qui omnia moliuntur, lucri cupiditate illecti, ut palmam ferant per fas & nefas, per vera & falsa, detestamur, illosque supplicio dignos esse censemus, quod, post cladem Varianam, majores nostri statuerunt, in causarum Patronos Romanos: *aliis oculos, aliis manus amputabant: unius os sutum, recisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, Tandem, inquit, vipera, sibilare desiste*, apud Florum *lib. IV. cap.* 12. Neque enim caninum illud studium, quod Lipsius, post Columellam, *pestem reip.* vocat, majoribus tum cognitum fuit; sicut nec Hebræis, Suecis, Danis, Hungaris antiquis. Franci inter Advocatos & causidicos, seu clamatores, differentiam statuerunt, ut apparet ex capit. 8. & 12. apud Goldast. *t.* 3. *pag.*

 156.

156. Romæ in jure cavere, consilio juvare, atque hoc scientiæ genere prodesse quamplurimis, vehementer & ad opes augendas, & ad gratiam pertinuit. Cassiodorus contra queritur, officium Advocati plus ad subversionem veritatis, quam expositionem justitiæ exerceri; Nec tamen propter abusum usus tolli potuit, neque hodie omnes eodem loco habendi sunt. Pravi ac perniciosi procul e limine judicii pellantur: probos autem, fideliter, ut decet Justitiæ Sacerdotes, munere suo fungentes, maneat suus honos suaque laus ex *l.* 14. *C. de Adv. div. jud.* quam & scite Lucanus expressit:

- - - - licet exercere togatæ
Munera militiæ, licet & sine sanguinis haustu
Mitia legitimo sub judice bella movere,
Hinc quoque servati contingit gloria civis,
Altaque victrices intexunt limina palmæ.

Hi præstiti jurisjurandi memores, non modo falsas allegationes & dilatorias exceptiones, utut cliens suus possideat, abominantur, sed & a maledictis, calumniis & sordibus abstinent, illud Isocratis monitum, non moniti præ oculis habentes: *Nullius improbi negotii patronus esse velis: nam & te ipsum facere putabunt, quæ ab aliis facta defenderis.* Quo magis autem in tritura forensi exercitatus erit causarum Patronus, eo plures cautelas contra adversarii cavillationes in promtu habebit, legitimas puta & honestas, non tales, quibus ipse Cæpolla nonnunquam subjecit: *Sed cave, ut hac cautela utaris, in perniciem animæ tuæ.* Finge: negotia mea gerens, imprudens rem meam emisti: intelligis rem meam esse; priusquam usucapias, vis mihi rem servare, & tibi regressum efficere contra venditorem, quod neutrum fieri potest, ubi impleveris usucapionem. Ergo aliquem subornas, me absente, qui meo nomine petat rem; *nec videberis dolum malum facere*, quia nemini facis injuriam *l.* 19. §. 3. *D. de Neg. gest.* Aliter sentiendum de specie sequente: Mulier quædam Atheniensis pecuniam depositi nomine acce-

cepe-

ceperat a duobus, ea conditione, ut illam utrisque redderet. Alter eorum rediens, simulata socii morte, pecuniam ab ea totam abstulit; postea alter reversus eandem ab ea pecuniam, aut totam, aut suam partem poposcit, venit res ad judicium. Hærebat misera in maxima pariter, & pecuniæ, & defensionis penuria; jamque de laqueo cogitabat. Sed Demosthenes, mulieris patronus, judicii vim ita elusit: postulavit enim, ut hic socium advocandum curaret, quo utrique simul secundum legem conventionis pecunia redderetur. Quod Demosthenis factum Valerius Maximus inter ea annumerat, quæ aliquando vafre dicta aut facta sunt *lib. VII. c. 3. §. 5.* Pejus est, docere clientem, ut adversario subtrahat instrumenta; vel ut cum teste simulet rixas, quo tanquam suspectus recusari possit. Bene monuit Justus Oldekop in *Obs. crim. tit. I. Obs.* 11. advocatos aliis cavere volentes, sibi inprimis cavere debere, ne per cautelas vincendo, cauteriatam conscientiam consequantur; quamvis enim in hac vita prosint ad honorem, in futura tamen vita, ædificant gehennam. In criminalibus equidem, ubi de pœna agitur, frena laxat Pufendorf *lib. IV. de J. N. & G. c.* 1. §. 21. adeo ut Patronis a parte adscitis, fictas sententias allegare, & reum, qui clam confessus est crimen, ad negandum instruere permittat. Verum quum rei interpretem agat Advocatus, fictis argumentis absolutionem non obtinebit, sed simplicior via præstat; qua usum M. Antonium, in defendendo M. Aquilio, tradit Cicero *in Verrem lib. V. Oratores, qui circumscribere nituntur*, hos tales vocat Salvianus epist. 4. *Diaboli mancipia.* Carpzov. *pr. crim. qu.* 115. *n.* 93. appellavit.

§. XI.

Difficilior inspectio est, quid his in speciebus de litigantibus & accusatis dicendum sit? Si ad forum eatur, plerique in ea sunt hæresi, quasi veritas, non nisi exacto jurejurando dici debeat: ordinatam charitatem incipere a se ipso, *l. 6. C. de Serv.* actori probandum esse, Decius & Mynsingerus causantur, neminem vero, ut sorex, spontanea con-

confessione, se ipsum prodere debere. Baldus suo tempore dixit: *Advocatos & reos semper negare piper nigrum, aliquando & dicere esse album:* ut refert Paris de Puteo *tract. de Syndicatu tit. de excess. Advoc.* Alii interesse existimant, utrum civiliter, an criminaliter agatur. Delinquentem enim obstrictum non esse, ut ultro sese pœnæ offerat, & condemnet. Horum argumenta recensuit Pufendorf *lib. IV. c.* 1. §. 20. singula vero Ill. Thomasius *Jurispr. div. l.* 2. *c.* 8. §. 85. solide confutavit. Quod si enim sanctitatem Judicum, Dei nomine præsidentium, & jus eorum veritatem explorandi, & obsequii necessitatem intueamur, mendacio vel contumaciæ non magis in criminali, quam civili causa, est locus. *Mi fili! tribue Domino Deo Israel honorem & laudem, & confitere quid feceris, nec facinus tuum nega,* vox erat Josuæ ad Achanum *cap. VII.* ỳ. 19. 20. Deinde justa causa justis modis est propugnanda, nec gravi bonoque viro unquam convenit, de victoria magis, quam veritate esse solicitum; quandoquidem ea veritatis vis est, nullis ut machinis aut arte subverti possit, sed se ipsam sine patrono tueatur. Absit tamen omnes cautelas judiciales damnemus, quarum exempla dedit Covarruv. *l.* 1. *Var. res. c.* 2. & passim Stryck. *Introduct. ad prax. for.* ad quem B. L. remitto. Controversa quæstio est, an positio partim vera, partim falsa tota negari possit? Gailius affirmat, si quoad qualitatem temporis vel conditionis falsa sit *lib.* 1. *Obs.* 82. *n* 16. Alii reum respondentem officio suo satisfecisse ajunt, si dicat positionem nego, ut concepta est. Mascard. *de Probat. concl.* 1177. *n.* 44. Sed Mynsingeri negantis sententia verior est, *cent.* 2. *Obs.* 55. tum propter *l.* 20. §. 1. *D. de Interr. in jure fac. l.* 7. *D. de Exc. rei jud.* tum ut omne perjurium evitetur; tum ut periculosa rabularum astutia excludatur. Quin vel sola accedentis jurisjurandi religio has nebulas facile dispellit, & sufficit distincte partim negando, partim fatendo responderi posse, sive de quantitate, sive de qualitate interrogatio instituatur. Non magis probanda est sententia Franzkii *ad tit. De his qui not.*

not. inf. n. 14. & aliorum existimantium, eos qui actionem injuriarum timent, mittere posse procuratorem, ut ad evitandam infamiam sententia in ipsos feratur, per *l.* 4. § *fin. l.* 6. *de His qui not. inf. l.* 2. *de Obseq. patron. & par.* Quanquam enim Camera Imperialis, in causis injuriarum, sententias in Procuratores ferat; alibi tamen in reum feruntur, nec ex lite, sed ex negotio ac turpi facto infamia oritur, cujus dominus est reus conventus *l.* 86. *de Solut.* Schilt. *Exerc. X.* §. 14. Solidum magis crepat cautio, ut qui propter injurias non atroces, calore iracundiæ prolatas, actione ad palinodiam pulsari potest, ante litem contestatam honoris declarationem instituat, quo ipso a recantatione se liberabit. Finckelth. *Obs.* 50. *per tot.* id quod non tantum apud Saxones, sed & alibi obtinere tradunt Mev. *p. III. dec.* 358. Klock. *tom.* 3. *cons.* 184 *n.* 10. Sande *lib.* 5. *tit.* 8. *def* 7. Quid? quod jure Romano de furto, rapina aliove delicto ante litem contestatam transigens, infamis non fit, quod crimen confiteri non videtur *l.* 73. *D. de Proc. l.* 26. §. 5. *D. de Nox. act.* Idem est, si per tertium transactio celebrata *l.* 4. §. *fin. D. de His qui not.*

§. XII.

Ad contrahentes quod attinet, ipsa ratio dictitat, omnia aperienda esse, quæ natura contractus exigit; id quod & legibus civilibus est repetitum. Prostat apud Demosthenem vetus Lex Attica: Κατα την αγοραν αψευδειν. Romæ venditor, secundum Edicti Ædilitii normam, de vitiis non indicatis tenetur; sive sciverit ea, sive ignoraverit; quoniam nihil interest, ignorantia venditoris, an ejus calliditate emtor fallatur. Plane *dolum malum semper abesse oportere, in judicio emti, quod bonæ fidei est*, respondit Pomponius in *l.* 6. §. *fin. D. de Act. emt. vend.* Et nemo quidem dubitat, vitia quæ rem subjectam per se contingunt, a viro bono reticeri non posse; ut si mancipium morbosum, fugitivum, noxave non solutum, venum exponat mango; si domum a Magistratu dejici jussam, vel ædes pestilentes quis vendat, quæ salu-

bres habebantur, indicandum id est emtori, quia lux contractibus convenit, & *bonæ fidei venditorem nec commodorum spem augere, nec incommodorum cognitionem obscurare oportet*, ait Valer. Max. *l. VIII. c. 2. n.* 1. At difficilior decisio est, num & vitia, quæ extra rem venditam posita sunt, palam & recte pronunciari debeant? Cicero *lib. III. de Off.* eam quæstionem inter *controversa jura Stoicorum* retulit; hodie casus conscientiæ vocamus. Antipater enim, homo acutissimus, omnia patefacienda existimabat, ut ne quid omnino, quod venditor novit, emtor ignoret. v. gr. Si in annonæ caritate frumentum aliquo advexerim, solusque sciam, multos illuc frumenta advecturos, ita ut suo adventu inopiam paullo post levaturi sint: omnia hæc, putabat, me nota facere debere, nec quicquam subticendum esse, ut pluris quam æquum sit, frumentum vendam. Contra Diogenes Babylonius, magnus itidem & gravis Stoicus, venditorem, quatenus jure civili constitutum esset, dicere oportere, ajebat; cetera eum sine insidiis agere, & quoniam vendat, velle quam optime vendere. Advexi, inquit, exposui, vendo meum, non pluris quam ceteri: fortasse etiam minoris, cum major est copia, cui fit injuria? Cicero in Antipatri sententiam pronior est, omnemque mercatoris dissimulationem idcirco hominis non aperti, simplicis aut ingenui, sed versuti potius, astuti & fallacis esse contendit. Alexander autem ab Alexandro *lib. VI. Genial. dier. c.* 1. Grotius *lib. II. c.* 12. §. 8. *&* 9. etiam Pufendorf *lib. V. c.* 3. §. 2. 3. 4. arbitrium suum interposuerunt. Vin' meum? Paucis dabo: Aliter leges, aliter Philosophi tollunt astutias; illæ quatenus tenere manu possunt, hi quatenus ratione & sectæ doctrinis. Jam vero Cicero, cum Antipatro suo, Virum bonum & Stoicum sapientem fingit, qui ubique sanctus & honesti cultor paupertatem magis, quam divitias in bonis habet; hic vero in summa frumenti inopia si sciat, alios annonæ caritatem mox levaturos, id non silebit; quia ea lege se hominem natum profitetur, ut humanæ societati inserviat,

viat, nihilque dicat, faciat, aut expetat, nisi summa cum laude & dignitate conjunctum. At mercator, ad Indos extremos impiger currens, nulloque pacto ad futura prædicenda obstrictus, plusculum hic lucrabitur, reticendo negotiorum eventa, quæ fortuita tantum & in casu sita esse norat. Sine hac solertia commercia stare non possunt: & licet rigida charitatis regula, in egenis emtoribus, sic violari possit; non tamen injustus est venditor, pretium ab omnibus ultro oblatum accipiens. Latius utique patet officiorum, quam juris regula: multa pietas, humanitas & liberalitas suadent, quæ extra publicas tabulas sunt. Forum hacpropter Anacharsis, locum ad fallendum invicem destinatum appellavit, ubi æquum esse credatur, quemque ad quæstum suum esse callidum: & judicio Impp. *hæc emtionis venditionis existimatur substantia, ut emtor viliore comparandi, venditor cariore distrahendi votum gerentes, ad hunc contractum accedant. l. 8. C. de Resc. vend.* Alibi nimius in alteram partem Cicero; cum enim ab inimicis, in Senatu, ei mendacium objiceretur, inter ridendum eos, quasi austeros & œconomiæ imperitos obtundebat, dicens: Ἀκοινονόητοι *homines estis, quum ignoratis, prudentis & cauti patrisfamilias esse, quod emere velit, emturum sese negare, propter competitores emtionis*, apud Gellium lib. XII. N. A. c. 12. Plautus Trucul. Actus II. sc. 4. ỳ. 60.

- - - quippini?
Ubi sine labore res geri pulchre potest,
Ad suum quemque æquom est, quæstum esse callidum.

§. XIII.

Eadem ratio efficit, ut quæ commendandi causa, in venditione dicuntur a mercatoribus, si palam appareant, eos non obligent *l. 43. §. 1. D. de Contr. emt. l. 19. pr. & §. 3. de Ædil. ed.* veluti si servum frugi & dicto audientem dixerint; vel speciosum, cui difficilis natura formam negavit; vel domum bene ædificatam, quæ ruinam minatur. Diogenes in laudato *lib. III. de Offic.* *Quod si qui proscribant*, inquit,

quit, *villam bonam beneque ædificatam, non existimantur fefellisse, etiamsi illa nec bona sit, nec ædificata ratione; multo minus, qui domum non laudarunt: ubi enim judicium emtoris est, ibi fraus venditoris quæ potest esse?* Attamen nostris quoque temporibus, verum esse comperimur, quod Sirachus habet *cap.* 27. ỳ. 2. Inter compages ligneas pangitur clavus, & inter venditionem atque emtionem peccatum ultro citroque teritur: vel quod de sui ævi propolis dixit Cicero, *nihil eos proficere, nisi admodum mentiantur.* Salycetus paucos mercatores esse conqueritur, qui non utantur mendaciis; & plures id genus querelas cumulat Benevenutus Stracha *de Mercat. p.* 2. *n.* 9. quas promiscue nostras non facimus. Trita interim præconum laudatio est, rem bonam venum exponi; cujus causa emtor intelligens ne numulo quidem pluris emit, stultus suam sibi exprobret stultitiam, & quia non aperuit oculos, aperiat crumenam *l.* 15. §. 1. *D. de Contr. emt.* Mev. *p. IV. dec.* 49. Brunn. *cent.* 3. *dec.* 10. Bene Horatius *lib. II. ep.* 2.

Multa fidem promissa levant, ubi plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces.

Plane si decipiendi emtoris causa aliquid dictum, quod ad rei laudem spectat, vel reservatio mentalis aut vanitas orationis adhibita, quæ hominem constantem & prudentem fallere possit, ratio est, ut actio de dolo nascatur *l.* 37. *D. de Dolo mal.* Non multum enim refert in mendacio, aperte dicas a re alienum, an verum quidem, sed quod, ob πολυσημίαν vocis, alterum aliter accepturum scias. v. gr. vendo tibi equum sine vitio, nisi quod non ascendit arborem, pontem ligneum in mente habens, apud Gloss. in *l.* 39. *de Pact.* vel de equo lunatico, si loquatur, *klare ogen*, non equi, sed suos, vel emtoris oculos intelligens, quod exemplum attulit Giphan. in *œcon. leg. l.* 1. *c.* 24. *n.* 215. Hæc enim & aliæ ejuscemodi cavillationes hominum perfidorum & veteratorum sunt, contra quos commodum erit ac frugi ὡρήματα adhibere, qualia Cl. Stryckius in cautelis contractuum

ctuum commendavit. Bene idcirco Hieronymus ad Paullinum nos jubet habere simplicitatem columbæ, ne cuiquam machinemur dolos; & serpentis astutiam, ne aliorum supplantemur insidiis; *Non multum*, inquit, *distat in vitio, vel decipere posse, vel decipi.* Nec minus perspicue doli mali ut & mendacii naturam, supra a nobis traditam, in hac venditionis materia, expressit Florentinus in *l.* 43. §. 2. *D. de Contr. emt.* verba ejus: *Dolum malum a se abesse præstare venditor debet: qui non tantum in eo est, qui*, fallendi causa *obscure loquitur, sed etiam qui insidiose obscure dissimulat.* Adde Modestin. *l.* 39. *de A. E. V.* verbis *potuit & debuit*, item Mevium *p. VI. dec.* 146.

§. XIV.

Age, quia huc perventum, videamus quo in loco Jacobi Patriarchæ stratagema œconomicum habendum sit, quo avunculi gregem minuit, suum vero auxit? De facto Sacra Scriptura nos dubitare non sinit, *Genes. XXX. & XXXI* licet de genere virgultorum variæ sint interpretum sententiæ, apud Bochartum, quas excutere non lubet. Aben-Esra effectum ad miraculum retulit; at R. Levi Ben Gerson & Abarbanel ex obtutu & causis physicis rationem petunt; quod colores agant in humores, præsertim in bestiis, quarum sensio cum speciebus corporeis arctius connexa est. Hodie forsan imaginationis tanta vis non est; verum oviculæ nostræ tanto desiderio aquam nec expetunt, nec aquationis tempore arietes admittunt. Si de jure quæras, constat inter omnes, artem illam, qua alterius commoda intervertuntur, in furtum cadere; sed Jacobus, fœtura hac artificiosa, soceri fraudulentas molitiones, pacta decies mutantis, & septennali θητεία Rachelam vendentis elusit: nec id suopte consilio, sed admonitus a numine divino, velut judice supremo; cujus ultrix ærumnarum providentia, ita disposuerat causas naturales, ut quod per se effecturæ erant, nunc promtius efficerent, quo legi de mercede solvenda satisfieret. Qui absolutum & supereminens Dei in opes

humanas dominium urgent, dubiis premuntur, quibus haud facile satisfieri potest. Joh. Clericus, Vir Cl. ad JCtorum regulam confugit, quod ambigua pactio vel obscura venditori nocere debeat, in cujus potestate fuit legem contractus apertius dicere, *l.* 21. & *l.* 33. *D. de Contr. emt. l.* 172. *D. de R. J.* Sed vereor, ut feliciter! Neque enim Laban, sed Jacobus legem contractus dixit, & Paulus cum Labeone aliquando contra emtorem interpretationem faciendam monuit, quando is, ut hic Patriarcha, singularem & extraordinariam utilitatem quærit in *l.* 34. *D. de Contr. emt. l.* 13. *D. Qui pot. in pign. l.* 41. *l.* 110. §. 1. *D. de V. O.* In obscuris porro id, quod plerumque fieri solet, inspici debet *l.* 114. *D. de R. J.* & Jacobus denique locator magis fuit operarum, quàm emtor; *ei* autem *qui locavit pactio obscura nocere debet*, infit Papinianus in *l.* 39. *de Pactis.*

§. XV.

Cum dolo bono magnam affinitatem habent blanditiæ, quæ sicuti in contractibus omnino sunt permissæ *arg. l. ult. C. de his quæ vi metusve*, ita mellitis loquelis & verborum lenociniis, ut quis condito testamento heres scribatur, vel ne agnatus testamentum condat, omni jure uti licet. Quod ad Romanum, dubia quædam movit Antecessor Viadrinus Clarissimus *Var. c.* 8. sed nimis aperte Papinianus ex facto consultus respondit, maritum, si non per vim ac dolum intercessit, sed ut fieri assolet, offensam ægræ mulieris blando sermone placavit, quominus contra eum mutata voluntate codicillos faceret, in crimen haud incidere, nec ei, velut indigno, hereditatem auferendam, quæ testamento data fuerat *l. ult. D. Si quis aliq. test. prob.* Cujus imitatione *judicium uxoris postremum in se provocare maritali sermone, criminosum non esse*, Diocletianus & Maximianus rescripsere in *l. ult. C. eod.* Qui elegans Papiniani ingenium novit, quid sit *sermo maritalis* facile intelligit. Is totus Stoicus licet, non omnia ad Stoicam gravitatem exigenda censuit. Mariti enim uxorum amantes quovis sermone jucundos & obvios sese

præ-

præbere solent, & ipse Cato rugosa, opinor, fronte Gratiis aliquando litavit, suæque stomachantis Marciæ benevolentiam blanditiis & amorum illecebris recollegit. Sic Cujacius *ad lib. XV. Resp. Papin.* Jac. Gothofred. *ad l.* 1. *C. Th. d. inf. pœn. cœl.* Bynkersh. *d. captat. inst. cap.* 3. & Dd. communiter *ad tit. D. Si quis aliq. test. prob.* Aliud autem sedisse videtur Soloni, Atheniensium Legislatori, qui, Plutarcho auctore, nihil discriminis intercedere existimavit, testatori persuadeatur, secus quam expediat, an vero is cogatur; quia in pervertenda hominis voluntate tantundem utraque valerent. Romæ, ut dixi, crimen erat, si intervenisset vis ac dolus; illecebris elicere hominum benignitatem, nulli prohibitum; satis enim existimabant malitiam abfuisse; quin gratia & officiis hereditatem merere, laudi dabatur & honori. Cicer. *Phil. II. c.* 16. & Tacit. II. *Annal. c.* 84. Adeo ut licet heredipetarum natio infamis esset quam maxime, & legibus damnata, ejusmodi tamen institutio: *Qua ex parte Lucius Titius me heredem instituit, ex ea parte mihi idem Lucius Titius heres esto*, captatoria non videretur, sed grata potius amoris compensatio *l.* 70. *&* 71. *D. de Her. inst.* quod eam similis affectus & simplex religio testantium sine calliditate provocarit, ajunt Impp. & Leonii exemplo declarant *in novell. Valentin. l.* 1. *tit.* 4. Pariter & moribus nostris verbis delenificis, etiam, ut multi volunt, lacrymis non dolosis, munusculis hamatis, & expositione benemeritorum judicium uxoris, vel mariti, etiam extranei, provocare licet Gail. *l.* 2. *Obs.* 117. *n* 4. Carpz. *p.* 3. *const.* 5. *d.* 7. Farinac. *de falso & simul. qu.* 161. *n.* 87. Nec tamen (1) mendacia, sugillationes, aut fictæ criminationes, in heredes scribundos adductæ, probantur. Hartm. Pistor *p.* 1. *qu.* 39. *n.* 4. Mev. *p. VI. dec.* 146. Carpz. *p.* 3. *c.* 5. *d.* 8. *&* 10. multo minus (2) assiduæ persuasiones & instantissimæ solicitationes; cum habeant vim compulsionis, ut Samson in Delila sua expertus est, *Jud. XVI.* 16. Sande *lib. IV. Dec. Fris. tit.* 1. *def.* 11. Lynck. *cent.* 9. *dec.* 832. Potentiorum quoque (3) assentationes, sive

preces.

preces armatæ, justo metui pares sunt *arg. l.* 1. *C. Si Rect. prov.* Mascard. *de Probat. vol.* 2. *concl.* 1. & denique blanditiæ, (4) in ultimo mortis articulo adhibitæ, reprobantur a plerisque, quod eo in statu morienti omnia sunt molesta. *Stulte quodammodo & perverse plerique affecti sunt, quando morti se proximos arbitrantur*, scribit Plato *lib. XI. de LL.* De usu hodierno, vide ex professo Stryck *de Jure blandit. c.* 3. *&* 4. Atque importunas ejusmodi solicitationes & dolosas, quibus legitimi heredes arcentur, prohibuisse videtur Solon: quemadmodum Romani novercalia delinimenta detestantur, quibus ad malignum circa sanguinem suum judicium inferendum parentes binubi corrumpuntur. *l.* 4. *D. de Inoff. test.* Constantinus *fallaces blanditias* vocat in *l.* 1. *C. Th. de Infirm. pœn. cœl.* Egregie Cicero lib. III. de Off. c 18. *Mihi quidem*, inquit, *etiam veræ hereditates non honestæ videntur, si sint malitiosis blanditiis officiorum, non veritate, sed simulatione quæsitæ.* Graphicam & prolixam heredipetarum descriptionem dabit Ammianus Marcellinus *lib. XXVIII.* & Salvianus *lib III. adv. avarit.* Ciceronem illustrat Seneca epist. 96. *Amico ægro aliquis adsidet? Probamus. At hoc si hereditatis causa facit, vultur est, cadaver expectat. Eadem aut turpia sunt, aut honesta. Refert, quare, aut quemadmodum fiant.*

§. XVI.

Magis adhuc detestandæ sunt reservationes mentales, & æquivocationes Jesuiticæ, quibus ei, quocum res geritur, verba dantur, & apertus verborum sensus in contrarium torquetur. Accidit quidem aliquando, ut sermoni generali ex indifferenti verborum significatione, aut sententiæ constructione, aliisve circumstantiis, tacita conditio vel restrictio accedat; multæ quippe voces, ex vulgi usu, vel artis consuetudine, plures uno significatus admittunt, nec tum mendacium committitur, etiamsi putetur is, qui accedit, in aliam partem accepturus Vid. Grot. *lib. III. c.* 1. §. 10 At in assertionibus jurejurando confirmandis, vel in rebus,

ubi

ubi ad veritatem dicendam obligamur, absurdum sane & Diabolicum inventum est æquivocatio, qua omnis juramentorum usus & sanctitas tollitur, pacta enervantur, mendacia foventur, & perpetua diffidentia inter contrahentes, litigantes, testes & judices stabilitur. Plane Scriptura damnat eos, qui loquuntur pacem, & insidias in corde ponunt *Jer. IX.* 8. econtrario nosmetipsos in manifestatione veritatis commendare jubet, non tantum coram Deo, sed & apud hominum conscientiam 2 *Cor. IV.* 2. Idque expressis verbis Jure Canonico repetitum *c. 22. qu. 5. c. 9.* *Quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.* Ipse Juvenalis Sat. VIII.

- - Ambiguæ si quando citabere testis,
Incertæque rei, Phalaris licet imperet ut sis
Falsus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas, animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.

Hæc licet aperta sint, & pluribus apud Casaubonum epistola 9. ad Frontinum Ducæum, Jarrigium, in libro, quo Jesuitam in ferali pegmate exhibet, Ludovicum Montaltium Epist. Provinc. pag. 226. aliosque firmata, Toleti tamen Jesuitæ & Cardinalis instruct. Sacerdot. l. IV. c. 21. sententia bonis illis Patribus adhuc placet: ***Si quis a superiore interrogetur juratus; tum si juste interrogetur, respondere debet absque æquivocatione; si vero injuste, tum potest uti æquivocatione, & respondere non secundum judicis mentem, sed secundum propriam. Et si crimen omnino occultum est, de quo quis interrogatur: tum æquivocatione uti poterit, respondendo, nescio: intelligendo tamen intra se, ut dicam tibi: vel respondendo, non feci, intelligendo intra se, nunc non feci, vel quid simile.*** Fundamentum pestiferæ hujus doctrinæ ponunt in facto *S. Francisci*, qui interrogatus a lictoribus, homicidam persequentibus; An illuc transiisset? immissis intra manicas manibus, hac non transiisse, respondit. Eundem in modum Jesuita

in locis, ubi impune commorari non potest, interrogatus, an sit Sacerdos? jurabit se non esse Sacerdotem, Baalis scilicet, vel Apollinis, vel non talem, qui ad id dicendum obligetur. Vide Riveti *præl. ad Exodi XX. pag. m.* 297. Ejusdem indolis est nautarum Belgicorum fictio, qui ut tutius apud Japonenses mercari possint, Num essent Christiani interrogati? Non, sed Hollandos se esse, responderunt, auri sacra fame impulsi. De æquivocatione Arii hæretici, librum sub axilla ferentis, videatur Photius *in Excerpt. pag.* 489. Aliam Ludovici XIII. Regis Galliæ, adversus Magnum Priorem Galliæ ejusque fratrem, habet Gramond *Hist. Gall. lib. XVI.*

§. XVII.

Nos, misso spurio hoc doli boni exemplo, cetera genuina videamus, quo lux simul affundatur, Labeoni, qui *posse & sine dolo malo aliud agi, aliud simulari*, contendebat, *sicuti faciunt, qui per ejusmodi dissimulationem deserviunt, & tuentur vel sua vel aliena*, auctore Ulpiano in *l.* 1. §. 2. *D. de Dol. mal.* Enimvero ita nati sumus & educati, ut vitam quisque tenerius amet, quam necesse est; & nemo sanus ad curam sui hortandus sit. Contra insidiantes ergo vel simulantes, quidni scutum aliquod a simulatione innocente, quæ vitandæ, non inferendæ fraudis gratia adhibetur? Diphili sententia eam defendit: *Est probum, quod fit salutis gratia mendacium.* Jure hoc evenire, ait Florentinus, ut quod quisque ob tutelam corporis vel bonorum suorum fecerit, id recte fecisse existimetur, *l.* 3. *D. de Just. & jur.* Id jus natura comparatum esse, ait Ulpianus, ut vim vi repellere liceat *l.* 1. §. 27. *de Vi & vi arm.* & Paulus in *l.* 45. § 4. *D. ad L. Aquil.* Nil denique vetat cretizare cum Cretensi, & artem arte eludere, quia hoc minus quietem publicam turbat, nec fidem frangenti fides servari debet. Genu sura propius esse, in Græcorum adagium ivit. Ne in amicitia quidem optandum esse, ut me ille plus, quam se amet, ego illum plus, quam me: perturbatio vitæ, si ita sit, atque offi-

officiorum omnium consequetur, ait Cicero III. Tusc. quæst. Quanto magis ergo furum, latronum, veteratorum, & inimicorum desideria caute declinare licebit, ut in eosdem, quos nobis struxerunt, casses incidant? Hanc non scriptam, sed natam legem, præclare vocat idem Tullius *pro Milone c.* 4. ut si vita nostra in aliquas insidias, in vim, in tela inimicorum incidisset, omnis ratio honesta sit expediendæ salutis. Publius quoque Syrus pronunciat: *Nil turpe ducas pro salutis remedio.* Et Plautus denique adstipulatur Rudente act. IV. sc. 7. ℣. 9.

- - - In ætate hominum plurimæ
Fiunt transennæ, ubi decipiuntur dolis.
Ille qui consulte, docte atque astute cavet,
Diutine ei uti bene licet partum bene.

Elegans exemplum habet Cornelius Nepos *in vita Lysandri*; aliud ex Pauli *l.* 19. §. 3. *de Neg. gest.* vidimus supra, aliud suppeditat Justinianus in §. 8. *I. de Obl. quæ ex del.* aliud Tryphoninus in *l. ult. D. de Dot. collat.* sed elegantissimum Papinianus habet in *l.* 77. §. 31. *D. de Legat. lib. II.* cujus species ista est: Mevius a Sejo heres institutus, & hereditatem Titio fratri suo restituere rogatus, eundem Titium heredem scribit, rogatque, ut moriens tam suam, quam Seji hereditatem restituat Sempronio. Si Titius hereditatem adit, fideicommissaria Seji hereditate fraudatus est; prudentius ergo hereditatem fratris repudiat, & intestati possessionem petit: *nec enim*, inquit Æmilius, *videbitur dolo fecisse, cum fraudem excluserit.* Quocum conspirat Ulpianus in l. 42. de Acq. her. *Nec enim videtur voluisse fraudare edictum, qui sibi prospicit, ne oneribus patris pupilli hereditas implicaretur.* Et iterum in l. 6. §. 8. Si quis amiss. causa test. *Neque enim interdictum est, ut quis omittat hereditatem, si sine fraude id faciat.*

§. XVIII.

Hoc amplius in dolo bono esse, ait Labeo, qui per ejusmodi dissimulationem *deserviunt & tuentur aliena.* Servire

Latinis utilitatem præstare significat; vocula *de* autem hic auget significationem, ut sit reipsa, cum effectu prodesse, ut in *l.* 39. § *f. de leg.* 3. Finge furiosum ire se perditum, iratum placandum, mœstum demulcendum, pertinaciam ebrii aut ægroti ad mortem festinantis frangendam, vel malum propositum alicujus intervertendum esse, quod plano sermone fieri nequeat. Hic sane duæ colliduntur leges, altera veritatis, altera humanitatis, nempe de homine servando, qui bona sua non intelligit. Et jubet ratio legem majorem vincere minorem; major autem est, quæ magis necessaria & utilior est; quæ prodest generi humano, non quæ illud pessundat. Testimonia sacra & profana hunc dolum bonum confirmant. *Exod. I.* 17. 1 *Sam. XIX.* 12. *XX.* 5. Menander: *Satius eligere mendacium, quam malum verum.* Heliodorus lib. 1. Æthiop. *Pulchrum*, vocat, *mendacium*, *quum auctori commodat*, *&* *audienti non nocet.* In alia tamen omnia ivit Augustinus in *can.* *Si quis* 22. *qu.* 2. caussatus, quod vita æterna mentiendo amittatur. Bartolus etiam neminem jure civili ad alterius defensionem teneri docuit; sed quemadmodum ejus animam propterea in inferno cruciari, dixit Baldus, ita qui non peccare vetat, cum possit, jubet. Nullum profecto mendacium, nulla hic læsio occurrit ejus, qui ficto sermone, sed salutari, deluditur; quin remisso furore mox consensuri, immo gratias acturi sunt insanus, ebriosus, vel iracundus, pro beneficio, quod in ipsos invitos est collatum. Merito sic Hypermnestra, Danai filia, ad patrem simulans, se sponsum interfecisse: *Splendide mendax & in omne virgo Nobilis ævum*, laudatur apud Horatium *III. Carm. II.* Apposite etiam Sosia Terentianus ait, *Andria Act. I. sc.* 1. ℣. 115.

Si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit:
Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?

In eadem causa est, qui a sobrio & sanæ mentis homine, depositum accepit, id enim ebrio aut furioso repetenti negare potest; quia sic utilitas ejus promovetur: nonne enim con-

confestim perditurus est, quod recepit? Nonne reddere peccatum est, inficiari officium? Nonne justitia suum cuique ita tribui jubet, ut non distrahatur ab ulla humanæ societatis, & utilitatis publicæ justiore contemplatione? *l.* 31. §. 1. *D. Depos. l.* 4. §. 11. *D. Fam. erc. l.* 12. §. 11. *D. Mandati.* Seneca de Benef. IV. c. 10. *Depositum reddere per se res expetenda est: non tamen semper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore. Aliquando nihil interest, utrum inficier, an palam reddam. Intuebor utilitatem ejus, cui redditurus sum, & nociturum illi depositum negabo.* Ex his simul constat, mendaces non esse, qui fictis sermonibus utuntur, ad meliorem liberorum educationem. Plato selectas fabulas a nutrice vel matre pueris narrari præcipit, *lib. II. de Rep.* Strabo *lib. I. Geograph.* ejus rei utilitates, & causas proposuit. Sed hoc ita demum admittimus, quatenus pueri nudæ veritatis nondum sunt capaces; alioquin enim ejusmodi fictionibus & terriculamentis intellectus recens corrumpitur, judicium supprimitur, & mens tota præjudiciis repletur, ad senectutem usque duraturis, ut Lockius egregie monuit *de l'education des Enfans n.* 120. 138. Solebant autem veteres, Gorgus Empusæ mentione facta, puerulos ejulantes compescere; adultiores vero, Accus & Alphitus formidine, ab otio deterrere, auctore Plutarcho *de Stoic. repugn.* Græci alias μορμολυκεῖον vocant, Romani Manducum: de quo Juvenalis Sat. III.

- - - personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.

§. XIX.

Non migrabimus limites professionis nostræ, si Medicis, Poëtis, Oratoribus, & Historicis, locum hic concedamus inter illos, quibus in utilitatem generis humani, & *ad alios tuendos*, dolo bono uti licet. Quod si enim Medicus ægroto delicato aut moroso pharmaci dulcedinem persuadeat, dissimulatio est & dolus, non malus, sed bonus; quia studium ægroto debet restituendæ potius salutis, quam veritatem ei

 noci-

nocituram. Aliquis opinabatur, se vita functum esse, nec alimentis indigere, medicus adducebat, qui se mentiretur mortuum, & tamen comederet: nonne melius erat, delusum sic fuisse ægrum, quam verum audivisse? Alphenus Varus in *l. 26. D. de Oper. libert.* decumbentes ejusmodi divites idcirco *imperantes* Medicorum vocat, quia illi, medicinam fastidientes, imperant aliud atque aliud genus: hi vero, si sapiunt, ex Hippocratis præcepto, sese accommodant ægris, iratos placant, recusantibus cedunt, nec qua optimum & celerrimum est, sed qua licet, medentur. *Si quis per vim, vel suasum, medicamentum alicui infundit*, ait Ulpianus *l. 9. §. 1. D. ad L. Aquil.* Aliorum testimonia passim obvia sunt, & supra laudavimus Platonem, Xenophontem, Philonem, Quintilianum aliosque: quibus hic, velut suo loco, accedat Seneca III. de ira c. 39. *Medicum ajunt, cum Regis filiam curare deberet, nec sine ferro posset, dum tumentem mammam leniter fovet, scalpellum spongia tectum induxisse. Repugnasset puella remedio palam admoto: eadem, quia non expectavit, dolorem tulit. Quædam non nisi decepta sanantur.* Palladius Sophista *lib. VI. Epid. Hipp. sect. 4 aph. 9.* eo usque processit, ut medico non tantum mentiri, sed & mendacium perjurio firmare licere, citra hæsitantiam pronunciarit: nimis large, opinor! Maximus Tyrius non minus audacter Dissert. III. *Ego non Deo tantum, sed & viro bono indignum esse puto, ut occasione qualibet verum dicat. Neque enim res per se præclara est, verum dicere, nisi id cum utilitate ejus fiat, qui audit. Ita sæpe Medicus ægros, Imperator exercitum, & gubernator navigantes decipit absque malo.* At, inquis, vox *decipiendi* ingreditur definitionem doli mali, qua ratione ergo sine malo? Audi Titum Lucretium, qui *lib. I. de Rer. nat.* ita deceptos non capi, te docebit:

Sed veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur,

Labro-

Labrorum tenus: interea perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valescat.

Andronicus Rhodius de Medico mentiente idem affirmat: *Decipit quidem at deceptor non est: nec enim propositum sibi habet decipere, sed servare ægrotum.* Salus ægri suprema Medicorum debet lex esse, & quacunque ratione eam præstant boni & æqui consulendum est. Modos hujus doli boni varios adduxit Franciscus Valleriola *Enarrat Med. lib. VI. enarrat.* 6. Gabrielis quoque Naudæi ea de re scriptum olim me vidisse puto. Hoc loco unicum adhuc exemplum attulisse sufficiat, & verbis Horatii quidem pulcherrimis *l. II. Sat.* 3. 142.

Pauper Opimius argenti positi intus & auri,
Qui Vejentanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis,
Quondam lethargo grandi est oppressus, ut heres
Jam circum loculos & claves lætus ovansque
Curreret: hunc medicus multum celer atque fidelis
Excitat hoc pacto; mensam poni jubet, atque
Effundi saccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum: hominem sic erigit, addit & illud;
Ni tua custodis, avidus jam hæc auferet heres.
Op. *Men' vivo?* M. *Ut vivas igitur vigila: hoc age.*
Op. *Quid vis?*

§. XXX.

Sequitur ut fictas Poetarum fabulas, & *portentosa*, ut Plinius vocat, *mendacia* videamus. Magna sapientiæ vis aliquando iis inclusa est; adeo ut corticibus fractis humanum genus nucleum inveniat, & quod ei ex usu sit, per ludum & jocum deprehendat. Nullam poesin sine fictione esse, Socrates jam olim apud Platonem vidit. Dii Deæque falsa loquentes, apud Poetas in scenam producuntur. Virgilio & *fandi fictor Ulysses*, & Æneas *spem vultu simulans* probatur. Horatius Hypermnestram *splendide mendacem* vocat, & Ovidius

dius *piam fraudem* criminis suspicione absolvit, l. IX. Metam. Idem alibi l. III. Eleg.

Exit in immensum fecunda licentia vatum,
Obligat historica nec sua verba fide.

Petronius, omnium elegantiarum Arbiter, rem gestam versibus comprehendendam non esse docuit; id enim longe melius Historici faciunt; sed per ambages, ait, Deorumque ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum, spiritum liberum præcipitandum esse, ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosæ orationis sub testibus fides. Plautus in Pseudolo:

Sed quasi poëta fabulas cum cepit sibi.
Quærit, quod nuspiam est gentium, reperit tamen,
Facit illud verosimile, quod mendacium est.

Inprimis autem Poetæ, & Græci & Latini, Theologorum partibus fungebantur, & sub amœnis fabularum involucris omnem de Diis historiam occultabant. Intuentes item hominis ingenium, cognitionis pariter ac novitatis avidum, rudes hoc pacto inescarunt, ac monstris fabularum discendi illecebras proposuerunt; quia solida & amara virtutis dogmata a vitiosis spernebantur.

Aut prodesse volunt, aut delectare Poetæ.

Neque aurium voluptati tantum student, sed ingentes sapientiæ thesauros, præcepta puto morum, & civilis doctrinæ sub commentitiis fabellis tegunt, ut hoc Scriptorum genus plus profuerit generi humano, quam sexcenti Zenones aut Chrysippi. Nec enim, ut Phædrus ait, aliud quicquam per fabellas quæritur, quam ut corrigatur error mortalium, acuatque se diligens industria. Vehementer tamen falsidicos vates jam olim impugnavit Dionysius Halicarnassensis; Arnobius prolixe adversus eorum fabulas disputavit; Ausonius, quod humanis vitiis Deos assimilant, & multa absurda de divinis tradunt, eos reprehendit. Sed Philosophi larvam detrahentes, narrationes omnes veras non esse ostendebant; unde Sallustius *c.* 3. Philosophos fabulis usos esse, ait, &

& Philosophi esse inquirere, cur fabulæ sint? Immo pleræque figuræ potius & simulacra veritatis, quam mendacium erant, a quo eos fuse Plutarchus absolvit, libello *de aud. Poëtis* & ipse Augustinus *l. 2. quæst. Evangel. c. f. Non omne quod fingimus mendacium est, sed quando id fingimus, quod nihil significat, tunc est mendacium. Cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia, quæ a sapientibus & sanctis viris, vel etiam ab ipso Domino figurate dicta sunt, mendacia deputabantur; quia secundum usitatum intellectum non subsistit veritas in talibus dictis.*

§. XXI.

Agmen claudant Oratorum, Historicorum, & quorumvis Doctorum apologi, parabolæ, orationes, & hyperbolæ, quibus non semper violatur commercium sermonis; cum auditores vel lectores ex negotii natura fictionis ignari esse non possint. Cicero judicis esse, ajebat, semper in causis verum sequi, patroni nonnunquam verisimile, etsi minus sit verum, defendere; multa & misericorditer & honeste dici posse, pro salute calamitosi. Sic ipse egit, & fassus est, orationem pro Muræna, *apud imperitos tum dictam, aliquid etiam coronæ datum fuisse*, lib. IV. de Finib. c. 24. Rotunde Castrucius, artis rhetoricæ princeps, apud Gellium lib. I. c. 6. *Aliter*, inquit, *Censor loqui debet, aliter rhetor. Rhetori concessum est sententiis uti falsis, audacibus subdolis, captiosis, si modo verisimiles sunt, & possunt ad movendos homines qualicunque astu irrepere.* Hinc Plato in Gorgia, eumque imitatus Basilius, Rhetoricen *artem mentiendi* vocavit. Nullum tamen in apologis mendacii crimen: idem enim illis, qui fabulis scopus est propositus, ut homines qui directo objurgari nolunt, quasi per alienum latus pungantur. In sacris vetustissimus apologus est, quo Joathan utitur, ad reprehendendos Sichemitas *Jud. IX. 7.* in profanis Hesiodi *Op. & dier.* ỳ. 203. Post Archilochus, Demosthenes & alii usurparunt; sed principem in hoc genere locum

obtinuit Æsopus Phryx, Crœsi Lydorum Regis tempore celeberrimus fabularum fictor, qui frequenter animantibus rationis expertibus, aut arboribus, fandi disserendique facultatem fecit; quo homines earum exemplis cautiores facti, nil admitterent, cujus eos postea pœniteret. Magnificum fabulis his elogium suspendit Philostratus de vita Apollonii *l. V. c.* 14. Gellius *II Noct Att. c. pen.* Phædrus & alii passim. Notus item est Menenii Agrippæ apologus, de membris humanis adversus stomachum conspirantibus, cujus narratione plebem Romanam ex Aventino in Urbem reduxit; ad quem etiam bis sanctus Apostolus in epistolis suis alludere videtur. Ab Apologis differunt Parabolæ, quod hæ ab eo, quod fieri potest & solet, desumuntur; talis est Prophetæ Nathanis 2 *Reg. XII.* & quas protulit Assertor noster in Evangelio, more tum temporis, in familiaribus etiam colloquiis, usitato Palæstinis, auctore Hieronymo *in Matth XVIII.* Ipse Christus *Aperiam*, ait, *in parabolis os meum, & in ænigmate antiqua loquar.* Grotius historiolas illas comparativas & similitudines *fabulas* & *fabellas* nominavit *l* 2. *de J. B. & P. c.* 20. § 48. acriter eo nomine passim reprehensus; sed plura sunt quibus defendi possit, quam Erasmus, qui in catechismo suo historiam redemti generis humani *salutiferam fabulam* appellavit. Senecæ judicium sperni non debet, epist. 59. *Illi qui simpliciter & demonstrandæ rei causa loquebantur, parabolis referti sunt: quas existimo necessarias, non ex eadem causa, qua Poetis, sed ut imbecillitatis nostræ adminicula sint, & ut discentem & audientem in rem præsentem deducant.* Ad finem properat calamus; de Historicis tamen verbo dicam. Prima eorum lex est, nihil falsi dicere, altera, verum non tacere: multi vero fabulas inseruerunt, ad captandum & illiciendum lectorem, ut Herodotus & Theopompus. Alii in orationibus, quas fingunt, & panegyricis multum favori, aut odio suo indulserunt, ut Livius, Dio & Florus. Alii rursus a vero mendacio non refugerunt, ut patriæ prodessent. Sic Fabius Pictor pro

Ro-

Romanis, Philenius, pro Carthaginienſibus ſuis falſa ſcripſerunt. Jovii penna venalis fuit: Varillaſio fluxa fides: Aretinus a Carolo V. Franciſco I. & Solimanno ſimul muneribus cultus eſt. Solus Grotius de hoſte ſuo Mauritio ſine livore ſcripſit. De Calvino, Luthero & Hildebrando lætiſſima ſeges diſcrepantium narrationum; multa de hyperbolis, quæ & Oratoribus & Hiſtoricis frequentes, adjici poſſent: veritati eas opponit Cicero *l. V. ad Att. c.* 21. & *mendacio ſic ad verum veniri* ait Seneca *lib. VII. de benef. c.* 23. Sed ohe! jam ſatis exemplorum eſt, imo forte nimis. Tu nunc, Benevole Lector, judex ſedeto, num Veteres *Dolum* aliquem *bonum* eſſe dixerint vere, & an recte is a me fuerit defenſus & explicatus. Ego mihi ſic blandior, humano more. Si quid vero ſacris literis, aut bonis moribus contrarium dixi, id dictum non eſto. Nullus me promtius monebit errantem, quam ego monentem ſequar. Nam adhuc

Illud in his rebus vereor, ne forte rearis,
Impia te rationis inire elementa, viamque
Ingredi ſceleris.

FINIS.





EVERARDI OTTONIS,

ORATIO INAUGURALIS,

DE

STOICA VETERUM JURIS-CONSULTORUM PHILOSOPHIA,

Dicta Solenniter

a. d. XIV. Kal. Novembr: M D CC XIV.

Quum ordinariam juris Professionem, in Regia Duisburgensi Academia, auspicaretur.

Cicero IV. Tusc. Quæst. c. 24.

Licet insectemur Stoicos, ut Carneades solebat, metuo ne soli Philosophi sint.



Uod bene vertat Deus Optimus Maximus, quodque celeberrimæ huic Academiæ, Vobis, mihi, reique tum publicæ, tum litterariæ salutare sit! lætus juxta ac tremebundus in cathedram hanc, virtutis & honoris sedem, adscendi, Juris docendi provinciam,

ciam, Regiis codicillis clementissime mihi demandatam, suscepturus. Non enim me fugit, quot quantæque sint caussæ, cur gaudio exsultem, mihique gratuler; qui eadem hac die, quin eadem hora, qua Jurisconsulti nomen & insignia sum adeptus, in Amplissimum Professorum Ordinem adsciscor, munusque obtineo lautum ac honorificum, quod nec viri ætate, ingenio & rerum experimentis longe me vincentes sprevissent. Verecundans tamen in conspectum vestrum prodeo; vocem faucibus hærere, membra trepidare, nervos rigere, & auditis & cernitis. Num Templi hujus majestas mentem ita perturbet, an rei novitas, an vero tenuitatis meæ conscientia artus hoc frigore concutiat, id equidem nunc non disquiro; & si vel maxime id definire possem, frustra nunc damnem consilium, quod mutare non libet, nec licet. Inertis subjecti erat Regem vocantem non sequi; vir fortis & strenuus haud existit, qui laborem fugit, & luctatur cum officio, quod semel suscepit; quum animus crescat ipsa rerum difficultate. Illud in præsens mage curæ mihi habendum esse sentio, ut argumentum auribus vestris proponam, quod personæ, quam capesso, sit aptum, quodque sua dignitate meam verborum inopiam compenset. Miles castra aut prœlia loquitur; rus & sementem cogitat agricola: Jurisprudentia fundus est, quem jam decennium, & quod excurrit, colui; ex hoc frugum quidam manipulus recens mihi depromendus est, nisi de spe ac qualicunque opinione vestra, statim sub initium, malo omine periclitari velim. Superiorum autem sæculorum ea jam fuit felicitas, ut, exuta barbarie & melioribus litteris, velut postliminio, restitutis, nubes, quæ Jurisprudentiam obscurabant, pulsæ sint omnes, tritaque satis via in secretiora ejus mysteria eatur. Sordet nunc plerisque fecunda & perbeata Accursii familia; retusum est Baldi acumen, & Decii subtilitas, pariter ac Butrigarii matura oratio ridetur. Ipsa hæc Academia, quæ masculæ semper Jurisprudentiæ fuit sacrarium, sedula illa legum mater & nutrix; hic ipse, quem occupavi, suggestus

nil nisi ingenio perfectum, elaboratum industria, & gravitate insigne admittere videntur. Tot artis nostræ Proceres, eloquentiæ non minus, quam Juris consultos, Weyerstrassios, Fuchsios, Feltmannos, Mastrichtios, Crusios, Langenbergios, Brandtios, Pagenstecheros, Tillios, Reinoldos, ex his sacratis pulpitis verba ad Vos facientes audivistis: a quorum varia eruditione quo longius absum, eo magis mihi annitendum duco, ne mea infantia & incondito sermone pulcher hujus loci Genius profanetur.

Quid igitur? Ne diu Vos suspensos detineam, *De Stoica Veterum Jurisconsultorum Philosophia* sermonis mei argumentum elegi: non injucundum, opinor, nec inutile, nec satis adhuc, ut oportebat, pertractatum. Quis enim Vestrum summa cum voluptate non aveat percipere, cui Philosophorum sectæ Juris nostri Auctores fuerint addicti; qui suis laboribus, vigiliis & curis sibi perennem gloriam, nobis otium, & quietem pepererunt? Juvat nosse, quibus præceptoribus usi fuerint Historici & Poetæ; & quanti nostra interest scire, ad quam potissimum scholam ingenium appulerint Jurisconsulti, quorum pretiosa fragmenta non nostræ modo Germaniæ, sed totius terrarum orbis oracula habentur. Nullus in horum explicatione, jam usque ab Alciato & Budæo, cum laude est versatus, qui non ab Historia & Antiquitatibus, qua Græcis qua Latinis, lucem iverit mutuatum; & in amœno hoc studiorum genere nostra ætate excellit non unus. Ea vero fundi nostri ab antiquo superest calamitas, quod in scholis negligitur Philosophia, saltem illa, qua Veteres Jurisconsulti usi sunt, sine cujus tamen peritia jus civile nec disci, nec recte doceri potest. Jubet Comicus [a] nos in vitas hominum, tanquam in speculum, inspicere, & ex aliis nobis exemplum sumere, si quid recte factum, si quid laudi fuit, hoc imitari. Hinc autem Themidis alumni discent, veteres affectari magistros, quibus nihil unquam in vita carius fuit, quam Philosophia moralis; quique

[a] *Adelph. Act. III. sc. 4.*

que non a legibus Decemviralibus, nec ab Edicto Prætoris, sed ab intima Philosophia inchoandam esse Juris disciplinam putarunt. Habebunt hic etiam Juris Studiosi adultiores, Prolytæ & Papinianistæ, unde veros legum sensus eruant, & tot cruces tollant, ab ignaris priscæ sapientiæ collocatas. Quid? quod ipsi Philosophiæ Doctores, lucifugi & vespertiliones, sic tandem sapere incipient, qui desidiosa nunc facilitate, & fallaci lenocinio, veteres Philosophos e manibus juvenum excussos volunt; ut novas suas merces, metaphysicas puta nugas, & luxuriantis ingenii argutias majori pretio venditare queant. Adeo enim a recta via institutio nunc aberravit, ut, si Lucianus reviviscerct, non uno, sed multis Hermotimis opus foret. Novas quilibet sibi condit artes; antiquas, quo quis est indoctior, eo magis contemnit; ut, si Diis placet, eas supprimere, & licentiæ suæ velamina ex vaga Philosophia prætendere possit. In Platone legendo, quod impenditur, tempus falli frustraque conteri putamus: Stoicorum secta omnium suffragiis, tanquam morosa, aspera & austera, est damnata: quin Zenonem, Chrysippum & Posidonium piscis aut edulii peregrini nomina arbitramur. Uni tantum Stagiritæ, qui Sapientum numero inter nos habentur, adhærescunt, & ex ejus Ethicorum libris Jurisconsultorum sententias explicare satagunt. Quam contortæ autem inde nascantur interpretationes, quot loca tranquilla & perspicua inde turbentur, vetus querela est; & tamen studium istud ita omnium animis inhæsit, & tam altas in Scholis radices egit, ut qui illud mentibus & pulpitis eximere tentarit, is vel Jovi fulmen, vel Herculi clavam extorquere conaretur.

Redivivæ autem Jurisprudentiæ parens, Jacobus Cujacius, jam dudum, in divinis Observationum libris, [a] plus uno testimonio docuit, a Stoicis juris Auctores nostros fere imbutos esse: pluribus id confirmavit Emundus Merillius,

[a] *Lib. XXVI. cap.* 40.

lius, Galliæ itidem suæ decus.[a] & M. Aurelius Galvanus[b] librum singularem, de Stoica Jurisprudentia veterum Romanorum affectum habuit; qui vel ob immaturam ejus mortem absolutus non est, aut certe cum tineis & blattis luctatur. Tantum vero abest, ut præclarum hoc inventum multos sui invenerit æstimatores, uti potius a Viris, etiam hilarioris famæ, fuerit neglectum, multoque cachinno exceptum. Hos inter familiam ducens Paganinus Gaudentius, [c] Pisis quondam Historiam & Politices Professor celeberrimus, eos peccare clamitat, qui Jurisprudentes ad Stoicam doctrinam confluxisse, ejusque decretis præcipue aluisse artem suam contendunt: quandoquidem multa in Zenonis Stoa proferantur, quæ leges evertunt, civilis adhæc & forensis vita longe majorem habeat cum Aristotelica & Platonica Philosophia affinitatem, quam cum Zenonis schola. Huic igitur, quantum ingenio & voce potero, tribus argumentis occurrere animus est; ita quidem, ut primo loco primos quosque, & maxime celebres Romæ Philosophos, e Porticu prodiisse ostendam: dein non aliam magis, quam Stoicam disciplinam, Jurisconsultorum studiis fuisse accommodatam; & postremo plerorumque horum responsa Stoicæ familiæ placitis respondere.

Per tria hæc Orationis capita dum ordine festinabundus eo, ne quæso, Auditores, mellitos verborum globulos, aut verba sesamo & papavere sparsa a me exspectetis. Stoicorum dogmata vobis expositurus sum; hi autem simplici stilo contenti, verborum pompam troporumque venustatem, tanquam damnosam & generi humano noxiam, aspernabantur. Moribus etiam nunc obtinet, ut a Jurisconsul-

tis

[a] *Lib. I. Observat. cap.* 8. *& seq.*

[b] Vide ejus librum *de Usufr. cap.* 1. §. 1.

[c] *De Philosophia apud Romanos cap.* 43. In addendis autem *c.* 13. fatetur, Stoicos, de honestate agentes, multum ad Jurisprudentiam conferre potuisse Nos hac Oratione JCtos Stoicis præcipue addictos fuisse probabimus: altera autem, *de vera non simulata JCtorum Philosophia*, quibus in partibus magistros suos deseruerint, ostendemus.

tis eloquentiæ lumina non admodum flagitemus, modo res bonas proferant ac cognitu dignas. Quare vehementer Vos oro, ut mentes atque aures placidas præbeatis, dum meas vobis rationes exposuero.

Qui ad urbem vel portum contendunt peregrinantes non una via, nec una ratione, iter instituere solent. Alii navibus proficiscuntur, per regiones & agros iter faciunt alii: illi vel oram legunt, vel per altum vehuntur: hi aut publicis utuntur viis, aut calles & viarum compendia quærunt: rursus alii per florida prata & oras amœnas, alii per dura & aspera, multo cum labore & molestia, incedunt. Sic etiam ad Sapientiæ arcem, qui adspirarunt, Græci & Romani, non unum vitæ genus, nec unam disciplinam tenuere. Una quidem est Philosophia, una veritas: sed ambitio, quæstus & naturalis illa hominum ad dissentiendum facilitas in tot factiones, studia & opiniones diversas ejus cultores divisit, ut inter horologia facilius, quam inter Philosophos semper convenerit, & verissimum sit, quod ille ait: Nihil unquam ægrum somniasse, quod non Sophorum aliquis crediderit, aut docuerit alios. Marcus Terentius Varro, [a] subtili investigatione, jam sua ætate animadvertit, ad ducentas octo & octoginta sectas facillime perveniri posse. Hippobotus in libro de sectis novem numeravit, Ammonius septem. Quatuor autem inprimis Academica, Peripatetica, Stoica & Epicurea ab antiquo fuerunt celebratæ, quæ in suis sapientiæ officinis mentes hominum ad propria decreta, sive singularum dogmata scholarum contraxerunt. Ad harum auctores & principes omnis sensim potestas doctrinarum delata est, nec tam rectæ rationi, quam interpretandæ, colorandæ, sæpe etiam convitiis vindicandæ cujusque Doctorum sententiæ fuit incubatum. Cum itaque de Philosophia Jurisconsultorum apud Romanos quærimus, ante omnia sectam, quæ primum in Urbe caput extulit, quæ plurimum ibi valuit,

a Apud Augustinum *lib. IX. de Civ. Dei cap. 1.*

quæque formæ & genio Reipublicæ fuit convenientior, investigemus oportet.

Nemo Vestrum nescit, militarem fuisse Remp. Romanam, cui ab ipsis incunabulis, nil mage in votis, quam fines Urbis propagare, vicinos, remotos, hostes atque amicos bello lacessere, & per totum terrarum orbem victricia arma circumferre. Sero hacpropter, & non nisi per gradus, Philosophiæ cultus ad eam est admissus. Plane sub Regibus hunc qui quæsierit, is frustra erit. Romulus quidem & Remus omni liberali disciplina Gabiis erant instituti: Numa Pompilius sapientiæ laude claruit: Servius Tullius quinquaginta de contractibus & delictis rogavit leges, e Philosophiæ fontibus petitas. At apud populum nullus studiis, nullus otio Philosophico erat locus: rustici, pastores, perditi ac facinorosi ad Asylum confugientes, quemadmodum inter arma & ferrum erant nati, sic ad subita belli externi & intestini excubabant. Tarquinio Superbo regnante, Pythagoræ disciplina per eam Italiæ partem, quæ Græcia Magna dicta est, excelluit & haud vana conjectura in Urbem vicinam penetravit: verum Patricius dum opprimit plebem, dum plebs secedit, & sacrosanctos sibi Magistratus creat, dum fames & pestilentia grassantur, amplissima hæc bene vivendi disciplina actis radicibus hærere non potuit. Mars & horrida virtus omnia obtinebant. Trecentesimo dein post Urbem conditam anno Decemvirales leges, auctore Hermodoro Philosopho, de lare Solonis, Lycurgi & præstantissimorum quorumvis Sapientum petitæ, & in tabulis eboreis pro Rostris propositæ sunt, quæ propter suam æquitatem & auctoritatis pondus, non universam modo sapientiam continere, sed omnium Philosophorum bibliothecas superare videbantur. Neque tamen per has Philosophiæ simul præcepta innotuerunt Romanis: fontes acceperunt & semina omnis publici & privati juris: at usum illius & rationem, qua quisque jus suum persequeretur, ignorabant. Livius & Dionysius tabernas tantum hac ætate memorant,

in

in quibus Grammatistæ legere & scribere, non ultra docuerunt. Viderat Urbs jam ante, fateor, multos cives gloria præstantes, quos e numero Philosophorum expungere nefas: at vita illi non scriptis, factis non dictis, moribus non sermonibus sunt philosophati. Justitiam, fidem, pietatem & omnem denique virtutem coluerunt Horatii, Scævolæ, Cincinnati, Camilli, Curii & Fabricii; jacuit tamen Philosophia, nec ullum habuit lumen litterarum. [a]

Tempori, quod est circa bellum Punicum secundum, felicitas illa tribuenda, qua lux totum mox illustratura orbem Romæ exorta est. Discedebant tum paullatim Quirites ab asperitate vitæ militaris, atque ideo sapientiæ studia, apud Græcos, vel propter bellorum tumultus repudiata & contemta, vel senio ipsa suo confecta, suscipiebant, colebant & faciebant meliora. Livius poeta primus tunc fabulam docere incipiebat: Ennius centurio in utraque lingua erat evectus: Nævius nunc fundebat versus: nunc etiam primi Philosophi videbantur. Occasio erat isthæc: Miserant Athenienses ad Senatum, de suis maximis rebus, tres illius ætatis nobilissimos Philosophos, Carneadem Academicum, Critolaum Peripateticum & Diogenem Stoicum: qui, cum in scholis ab se excitatis de finibus boni & mali disputarent, facile adolescentes gravitate sua, & rerum utilissimarum doctrina, ad se alliciebant. [b] Cato Censorius, vehementi ingenio vir, & Græcæ disciplinæ osor, præter morem legatorum id factum notans, tum quidem statuebat, honestatis specie universos Philosophos Roma dimittendos esse; ut ne ad humanitatem conversa juventus parvi penderet rei militaris disciplinam: sed revera metuebat, ne horum eloquentia liberisque vocibus arcana sua provulgarentur. [c] Neque

 etiam

[a] Cicero *lib. I. Tuscul. Quæst. cap.* 3. & *lib. IV. Tusc. cap.* 2. ubi *Sapientiæ*, inquit, *studium vetus idquidem in nostris: sed tamen ante Lælii ætatem & Scipionis non reperio, quos appellare possim nominatim.*

[b] Cicero *II. de Oratore cap.* 37.

[c] Plutarch. *ejus vita cap.* 45.

etiam horrendi hæc carminis lex ſapientiæ amorem in animis juvenum extinguere valuit, immo potius novitatis avidos ad peregrina iſthæc, & moribus apta, & auditu miranda incendit. Ut adoleſcentum quiſque erat nobilior, ita eruditiorem e Græcia hominem palam ſecum habebat.

Omnium autem conſenſu Panætius, Stoicorum princeps, [a] primus fuit, qui Romæ publice Philoſophiam docuit. Hic, quia omnem verborum triſtitiam & aſperitatem fugiebat, nec diſſerendi ſpinas probabat, multos auditores nactus eſt, C. Lælium, Scipionem Africanum, Rutilium Rufum, Ælium Tuberonem, [b] principes tum juventutis, ſed poſtea magnos Imperatores, magnos Juriſconſultos, domi militiæque nobilitatos. Quanta dein Stoicæ Philoſophiæ ab horum ſententiis auctoritas acceſſerit, illi facile colligent, qui in Procerum voluntate ſcenam reip. cum orcheſtra, cum ordinibus, cum cavea cuneiſque verſari ſciunt. Quotuſquiſque ab hoc tempore eminere volebat, is Stoicum ſibi quærebat præceptorem, comitem & familiarem: quin etiam domi ex hac ſecta magiſtros habuiſſe non contenti, quo magis firmarentur, ad alias terras, ad alias regiones & inſulas ſeſe contulere multi, etiam viri maximi, rempublicam ſuſtinentes; ut hic novum Pythagoram Memphiticos vates, ibi Platonem Ægyptios ſacerdotes, rurſus Apollonium Brachmanas & Gymnoſophiſtas conſuluiſſe putes. Cneus Pompejus, unus ex præcipuis ſui ævi viris, ille, quem Sylla Magnum, Cicero Virum ad omnia ſumma natum appellavit, ut Panætii diſcipulum Poſidonium videret, Rhodum profectus eſt, cumque ad limina acceſſiſſet, percuti de more fores a lictore vetuit;

a Sic eum Cicero vocat lib. IV. Acad. Quæſt. cap. 33. *Panætius princeps prope meo quidem judicio Stoicorum.* & lib. II. de Off. cap. 14. *Quod ſcribere non auderem, niſi idem placeret graviſſimo Stoicorum Panætio.*

b Pompon. l. 2. §. 40. de Orig. jur. *Quintus Tubero ille Stoicus, Panætii auditor.* ita enim legendum eſſe, non *Panſæ*, H. Cagnolius & alii jam monuerunt.

vetuit, & fasces januæ submisit, is cui se Oriens & Occidens submiserat.[a] Pompejo major, Cato Uticensis similiter ad Athenodorum, Stoicæ disciplinæ hominem, in Asiam adiit, effecitque ut se in castra sequeretur; lætus atque gloriabundus, velut ingentem adeptus palmam, & multo clariorem, quam illi, qui tum universi orbis nationes & reges subigebant.[b] Singulos quid referam, sub libera republica, in Zenonis familiam transcriptos? Ipsius Senatus tantus in eam fuit affectus, ut Cleanthi, majorum gentium Stoico, egregiam Assi statuam dedicarit, quam se vidisse testatur Simplicius.[c] Et quid multis opus? Seneca[d] signanter Lucilium suum meminisse jubet, antiquos Romanos, qui cuique hominum Genium dedere, Stoicos fuisse.

Ex quo sub unius dominatum rerum summa pervenit, idem, si non major, Stoicis constitit honos. Julianus[e] & Zosimus[f] testantur mitius Augusti imperium fuisse, quod ab Athenodoro erat institutus, quodque Arium inter amicos assumserat; uterque autem Stoicam disciplinam amplectebatur. Nero Seneca rectore usus est,[g] & optimus fuit, quamdiu hujus consiliis monitisque se dedit: is vero Attalum Stoicum & Sotionem ejusdem sectæ, magistros suos laudat nominatim. Marcus denique Antoninus, ne ceteros requiram, ob Stoicæ Philosophiæ studium, ab aliis Philosophi, a Justiniano[h] Philosophissimi cognomen meruit, &, quam semper in ore habuit, Platonis sententiam: Tum demum beatas fore respublicas, cum aut Philosophi regnarent,

a Tull. *II. Tuscul.* 25. Strabo *lib. XI. pag.* 492.

b Plinius *lib. VII. Hist. Nat. c.* 30.

c *Comment. ult. in Epictetum.*

d Epist. 110. *Ita tamen hoc seponas volo, ut memineris majores nostros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuisse.*

e *In Cæsaribus pag.* 326.

f *Lib. I. cap.* 6.

g Tacit. *lib. XIII. Annal. cap.* 2.

h *L. ult. C. de Repud. l. pen. C. de His quibus ut ind. Nov.* 22. *c.* 19.

rent, aut reges philosopharentur, suo exemplo confirmavit. Quod si ergo nil magis humana pectora flectit, quam exempla regentum, quis dubitet, omnes aut plerosque, qui sub his Principibus Philosophiæ operam dederunt, per Zenonis & Chrysippi vestigia ivisse? Sub Antonino certe Sextus Empiricus[a] asserit, plures fuisse, qui Stoicam sectam sequerentur, quam aliam quamcunque. De ceteris idem habendum. Lautis enim stipendiis inde ab Augusto honorabantur sapientiæ magistri; unde novæ in Urbe exsurgebant porticus; e quibus viri justissimi, optimi cives, judices æquissimi, testes religiosissimi, verbo dicam, tot Catones prodibant. Ex his nobilitas magistratus, plebs patronos, pietas vindices, lex custodes sibi poposcit & rogavit. Hi in foro, in aula, in Senatu ubique primas obtinebant. Per singulas ætates hos indicare possem, nisi fabulam narrarem omnibus notam & pervulgatam: Historici, Poëtæ, marmora & omnis vetustas eos loquuntur. Nec est ut tantum numerum a nobis quis deposcat: plerique Romanorum a Græcis disciplinis abhorrebant, & vel ad studia rei militaris conversi, vel in petendis honoribus & civibus prensandis occupati, philosophandi curam libertis & Græculis esurientibus cum irrisione relinquebant.[b]

At non fato quodam, sed certa ratione Stoicos magis placuisse Romuli nepotibus, ut constet, age, oculo fugitivo illorum perlustremus decreta. Næ! quam sancta illa, quam recta, quam fortia: dixeris nonnunquam hos homines sacras litteras attigisse, aut degustasse.[c] Tam enixe pie-

a *Lib.* 1. *de Philos.*

b Tacitus in vita Agricolæ cap. IV. *Memoria teneo, solitum ipsum narrare, se in prima juventa studium philosophiæ ac juris, ultra quam concessum Romano ac Senatori hausisse: ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset.* Pers. Sat. III.

- - *Quod sapio, satis est mihi: non ego curo,*
Esse, quod Arcesilas, ærumnosique Solones.

c Clemens Alexandrinus lib. II. Stromat. eos ideo *fures Hebraicæ veritatis*

pietatem ubivis, caritatem, humanitatem, bonitatem & omnes virtutes inculcant: nec alia magis secta Deo majestatem suam adseruit, & homines ad æterna illa traxit magis. Venenum occultant, scio, pulcherrima etiam eorum effata: at quid mirum hoc in hominibus veræ religionis ignaris? Sufficit eos eximia & prope divina virtutis præcepta natura duce dedisse, quæ nobis quoque capitalem culpam & neglectum cogniti summi boni exprobrare possunt. Unum unum immensi hujus operis credebant opificem ac molitorem: hunc solum rerum humanarum curam gerere, suaque providentia singulis ad vitæ commoda adesse. Non auro, nec argento hujus imaginem fingi; pia & recta voluntate, non opimis taurorum corporibus contrucidatis, hunc esse colendum, ad omnia invocandum, per omnia cogitandum, in omnibus comprobandum. Huic sanctiore quemvis sacramento, quam militem Imperatori, esse obstrictum. Huic, ceu provido parenti, quocunque ducere visum fuerit, citra tergiversationem esse obsequendum: invadant licet undique calamitates, denuncietur mors, infundatur venenum, corpus excæcetur, debilitetur, obrigescat, & si quid talium malorum gravius edici aut excogitari potest. Id qui fecerit eum securum malique metu immunem vivere, nec fieri posse, ut forte beata excidat unquam.[a]

Cuivis præterea hominum a natura tributum ajebant, ut se, vitam corpusque tueatur, ac omnia, quæ ad vivendum sunt necessaria, conquirat & paret: ita tamen, ne mentis, partis nobilissimæ, a Jove divulsæ[b] obliviscatur. Hanc vitæ

ritatis vocat, & Hieronymus in Esaiam comment. cap. 11. *Stoici*, inquit, *cum nostro dogmate in plerisque concordant.*

a In compendium hæc decreta misit Thomas Gatakerus in præloqu. ad Antoninum.

b Ita Marcus *lib. V.* §. 27. & Epictetus *differt. I. cap.* 14. Seneca animam *divini spiritus partem ac veluti scintillam* quandam vocat *epist.* 92. nam diffusam per omnia corpora essentiam divinam, in hominibus animi munere fungi credebant. Vide Joh. Franc. Buddeum V.C. *de error. Stoic. Exercit.* 1. §. 2.

vitæ gubernatricem summa ope esse excolendam, quo aratri instar, novati ac iterati agri meliores ac grandiores fructus proferre queat. Aureum illud, quod e cœlo descendisse fertur, paucis satis animadversum, suisque ponderibus expensum ΓΝΩΘΙ ΣΕ ΑΥΤΟΝ, [a] tanquam primum Philosophiæ suæ principium, commendabant: quo sane nihil excellentius, nihil salutarius, nihil ad vitæ rationem accommodatius excogitari poterat. Qui enim secum habitat, is suo se modulo metitur, nec plus promittit de facultatibus suis, quam in iis est; idem etiam, dum sentit quanta habeat rerum gerendarum instrumenta, nil nisi magnum quiddam & excellens conatur, nec conquiescit unquam, donec divina & humana cognoscat, ac tenor vitæ per omnia consonans sibi accedat.

Non minus præclare de officiis erga congeneres sentiebant; mundum hunc omnem ut unam spectantes domum, in qua non tantum inter cives, sed & exteros & homines quosvis, cognatio intercedat. Hanc nasci a prima stirpe & satu parentum, serpere dein foras, primum cognationibus, post affinitatibus, tum amicitiis, dein civitatibus, & tandem complexu totius generis humani; Omnes, uno e semine cœlesti ortos, ut fratres & amicos diligendos esse; servi liberique sint, ingenui an libertini, justæ libertatis, an inter amicos datæ, nil quicquam referre. In commune genitum hominem, animal sociale; ut cunctis pro viribus benevolum & facilem se exhibeat, naufrago ut porrigat manus, viam erranti monstret, cum esuriente panem suum dividat, cum sitiente potum. Hæc & alia de officiis erga Deum, erga se ipsum, & erga alios docuere Porticenses: hæc factis etiam consentaneis signarunt Zeno, Cato, Epictetus, Antoninus, aliique. [b]

Sed

a Seneca consolat. ad Marciam cap. XI. *Hoc jubet illa Pythicis oraculis adscripta vox, NOSCE TE.*

b De Catone ita Lucanus Stoicus *lib. II. vers.* 380.

- - *Hi*

Sed missis his sanctioribus decretis, alia potius videamus, quæ Romanos rerum dominos ad hanc sectam pertrahere poterant. Illam reipublicæ formam, quæ ex populari dominatu & optimorum potentia est mista, optimam judicabant Quirites, jurati principatus osores, regiumque nomen odio internecino prosequentes. Neque enim populus ille, dominus regum, victor atque imperator nationum omnium, sub unius hominis dominatum subigi, & effrenem tyranni licentiam ferre volebat; satis memor Servium Tullium leges tulisse, queis etiam reges obtemperarent. Idem vero Stoicorum erat robur, [a] nisi quod nimium, & arroganti ratione suffultum. Omnes esse pares, omnes ad regnandum natos. Superba principum limina adorare, fores circumsistere, genua invadere, Dei cognatos minime decere. Salus populi suprema iis lex erat. Reges contra, non impios tantum & truculentos, Cyclopas, Busirides, Dionysios, Lysandros, Nerones, Caligulas: sed & bonos, patriæ patres, Cyros, Agesilaos, Augustos, Nervas, Trajanos procaci licentia perstringebant. Chrysippus, qui Porticum

Dddd

: : *Hi mores, hæc duri immota Catonis*
Secta fuit, servare modum, finemque tenere,
Naturamque sequi, patriæque impendere vitam;
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.
Huic epulæ, vicisse famem: magnique penates,
Submovisse hiemem tecto: pretiosaque vestis,
Hirtam membra super Romani more Quiritis
Induxisse togam: Venerisque huic maximus usus,
Progenies; Urbi pater est: Urbique maritus:
Justitiæ cultor, rigidi servator honesti:
In commune bonus: nullosque Catonis in actus
Subrepsit, partemque tulit sibi nata voluptas.

a Tigellinus apud Tacitum lib. XVI. Ann. c. 22. *Ista secta Tuberones & Favonios, veteri quoque Reip. ingrata nomina, genuit. Ut imperium evertant, libertatem præferunt: si perverterint, libertatem ipsam aggrediuntur.* Suetonius Neron. c. 52. *A Philosophia* (Stoica, quam Seneca docturus) *eum mater avertit: monens, imperaturo contrariam.*

ticum fulcire dicebatur [a], septingenta & quinque volumina ſcripſit, nulli tamen Regum quidquam dedicavit, quia eorum contemtor erat. Prorſus in eadem ſententia Cato: qui ſolus fecit Reip. partes, cum alii ad Cæſarem, alii ad Pompejum inclinarent. Is rebus jam deſperatis gladio ſanctum illud pectus perfodere, quam morientem libertatem vivus videre maluit. Jam vero Antiſtius Labeo, ex eadem ſchola Philoſophus, quanta audacia obſtitit Auguſto, laudatiſſimo principi? M. Lepidum, hoſtem ejus, & tum exulantem, cum in Senatum legiſſet, interrogatus a Cæſare, an non eſſent alii digniores? *Suum quemque judicium habere* reſpondit. [b] Cumque Senatui videbatur e Rep. eſſe, ut Auguſtum ſinguli Senatores per ordinem cuſtodirent, ille: Excubitorem ſe nunquam fuiſſe, &, quia ſtertens ronchos duceret, excubiis pro Auguſto agendis eſſe ineptum. [c] Inanis quidem tum & intempeſtiva hæc erat libertatis jactatio, tanto Juriſconſulto indigna; ſed moribus iſtis creverat res Romana, ipſeque Auguſtus, quo magis eadem principia imbiberat, eo clementius omnem iram remittebat. Qui poſthinc vixerunt Stoici, calidum illud & impotens libertatis ſtudium prudenti conſilio temperarunt, recte perſuaſi, poſſe etiam ſub malis Principibus magnos eſſe viros; obſequiumque ac modeſtiam, ſi induſtria ac vigor adſint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, ſed in nullum Rei-

[a] Cicero IV. Acad. quæſt. 24. *Stoicæ princeps Philoſophiæ* vocatur a Gellio lib. VI. cap. 2. & *Philoſophus ſummæ Stoicæ ſapientiæ* a Marciano in *l.* 2. *D. de Legibus.*

[b] Suetonius *in Aug.* 54.

[c] Dio Caſſius Hiſt. Rom. lib. LIV. ad ann. 739. De eodem Capito apud Gellium lib. XIII. cap. 12. *Agitabat*, inquit, *hominem libertas quædam nimia atque vecors, uſque eo, ut Divo Auguſto, jam principe & rempublicam obtinente, ratum tamen penſumque nihil haberet, niſi quod juſtum ſanctumque eſſe in Romanis antiquitatibus legiſſet.* Horatius *lib. I. ſat.* 3. *v.* 28. ideo:

Labeone inſanior inter ſanos dicatur.

Reipublicæ usum, ambitiosa morte inclaruerunt.[a]

Præterea optime noverant Romani, non muros & propugnacula perinde firma imperii sui munimenta esse, quam multitudinem liberorum.[b] Militem sibi legendum domesticum, qui loca sedesque patrias revereatur, nec fortitudinem magis, quam fidem colat. Externis auxiliis credi non posse; coire purgamenta urbium, stupidos, imbelles, venalesque manus; quibus ibi fas, ubi maxima merces. Quamobrem conjugiorum subolisque habendam curam; cœlibatum pœnis coercendum, numerum liberorum præmiis esse provocandum. Hinc sollennis illa Censorum quæstio: *Ex animi tui sententia. Tu uxorem habes?* Hinc lex conficta: *Cœlibes esse prohibento.* Hinc Metelli Numidici oratio[c] de prole augenda, quam Augustus Cæsar, quum de maritandis ordinibus ageret, in Senatu recitavit. Nota est lex illa Julia & Papia Poppæa, quæ cœlibes & orbos pœnis, maritos & patres præmiis affecit; lex illa inquam marita, quæ crebritati divortiorum modum, concubinatui nomen imposuit, eosque per Prætorem coercendos statuit, qui nuptias contrahere prohibuerint, aut dotem negaverint; ut his artificiis nuptiarum dies protraheretur. Non alii autem sectæ, tanta matrimoniorum cura, quam quidem nostræ: ab ipsa natura id tributum ajebant, ut conjugia virorum & uxorum conjuncta esse deberent; cum unumquodque animal, ferum etiam, eo desiderio teneatur, quale ipsum est, tale alterum relinquendi.[d]

a Sunt Taciti verba *in Agric. cap.* 42.

b Vide *l.* 1. *D. Solut. matr. l.* 64. *de Condit. & dem. l.* 7. §. 3. *de Bonis damnat.*

c Liv. *epit. lib.* 59. Sueton. *Aug. cap.* 84. Gellius *lib. I. cap.* 6.

d Ad rem Julianus Imp. orat. VI. p. m. 185. *Citiensis Zenonis discipuli cum animadverterent urbes meram illam nimiamque canis, id est Cynicæ sectæ, libertatem aversari, quibusdam illam integumentis involucrisque texerunt; nimirum rei domesticæ cura, opum comparandarum studio, uxoris contubernio, ac prolis educatione. Quod eo animo*

Neque vero ſola procreatione contenti fuerunt heroes noſtri, curam quoque procreatorum parentibus injunxerunt: quin liberis, bene curatis & adultis, bellicæ gloriæ commendabant ſtudium, Macte hac virtute eſto! ſanguinolentis in acie acclamantes. Ulyſſem & Herculem ſectæ ſuæ laudabant patronos ac deos tutelares. Dulce & decorum iis erat pro patria mori: caros eſſe parentes, caros liberos, propinquos, familiares: ſed omnes omnium caritates patriam complecti; pro qua omnibus mortem eſſe oppetendam, ſi ei ſint profuturi.[a] Præclara hæc coram vulgo fundebant verba, at, ſi rem curatius examines, cum pia fraude conjuncta. Totus mundus iis patria erat, omnes ubivis gentium cognatos & amicos ſibi profitebantur: jam autem, qui fieri poteſt, ut patriæ commoda, alterius civitatis aut gentis non ſint incommoda? qui patriæ fines proferre nititur, alios ſpoliet, occidat, juſtitiam & humani generis ſocietatem tollat oportet. Et, dic ſodes, adeone pulchrum eſt pro gleba mori, in qua prima veſtigia poſuiſti, quando alio in ſolo commode ſatis vivere licet? ubivis magnam partem peregrinæ multitudinis invenies, & nullum eſt exilium, in quo non aliquis animi cauſſa moretur. Cives vero ſi patriam vocas, amicis quidem, cognatis & propinquis amor debetur, quod ad ceteros delira interdum patria eſt, mentisque errore ducitur, ut Plato de ſua locutus; interdum crudeliter bacchatur, atque in viſcera ſua ſævit. Sordent illi certe plerumque domeſtici, hinc luſcinia in nido non canit. Sed quorſum hæc? Ut pateſcat Stoicos viros politicos fuiſſe, qui aliter in vi-
ta

mo feciſſe videntur, ut hoc Philoſophiæ genus proxime ad civitatum cuſtodiam pertineret. Adde Ulpianum Stoicum in *l.* 1. §. 3. *D. de J, & J.*

[a] Cic. *III. de offic.* Stobæus *Eclog.* 37. Marcellus *l.* 35. *de Relig. & ſumt.* & Paulus *l. poſtliminium* 19. §. 7. *de Captiv. & poſtl. rev. Diſciplina,* infit, *caſtrorum antiquior fuit parentibus, quam cura liberorum.*

ta civili, quam in scholis philosophantes, militi Romano robur & æs triplex circa pectus, magno caveæ consensu, accommodarunt.[a]

Quod si denique animos ad religionem Stoicæ sectæ attendamus, nil erat institutis Romanorum convenientius. Romulus Urbis parens id sancte posteris servandum præceperat, ut Deos patrios patrio more colerent; idem Ennianus ille versus indicat, qui ob suam brevitatem & veritatem, tanquam ex oraculo pronunciatus videbatur:

Moribus antiquis stat res Romana virisque.

Unum autem Jovem Urbis & imperii sui credebant statorem, qui tecta, mœnia, vitam, fortunasque suas e rupe Tarpeja tueatur. Fabulari illa Poetarum Theologia, qua Mars homicida, fur Mercurius, Bacchus ebriosus fingitur, ipsis nil insulsius magisque nugatorium visum fuit. Civilem autem cultum, tanquam frænum vulgi, observandum sibi diligenter & retinendum existimarunt. Quid nostri? Unam similiter naturam, unum Deum, unum Δία sive Jovem, qui per materiam, velut mel per favos, decurrat, ubique in scholis suis profitentur.[b] Nec tamen religionis ita sunt metuentes, ut cum vulgo Deos Deorumque nomina numero multitudinis appellare vereantur; passim id faciunt, &, si usus erat, nulli majores sacrilegiorum vindices,

[a] Huc refero illud Plutarchi in vita Cleomenis cap. 3. *Magna & vehementia ingenia, si Stoica disciplina imbuantur, prompti ad pericula subeunda & audaces, adeoque temerarii fiunt homines: sin ea sedato & placido ingenio committatur, ejus temperamento quasi diluta, fructus optimos & consentaneos profert.*

[b] Diogenes Laert. in vita Zenonis *lib. VII. cap.* 135. cujus verba ex Ambrosii versione, compendii caussa, semel tantum appono: *Unum quoque Deum esse, & mentem, & fatum, & Jovem, multisque aliis appellari nominibus.* Seneca IV. de benef. c. 7. *Quæcunque voles nomina propria Deo aptabis.* Pomponius l. 2. de J. & J. *Veluti erga Deum religio.* Ulpianus l. 9. § 3. de R. D. *Sanctum est, etsi Deo non sit consecratum.* quæ & alia loca cur a Triboniano interpolata putemus, cum Wissenbachio *Embl. Trib.* nulla caussa subest.

dices, & Deorum aſſertores. Socrates pro uno numine capitis periculum ſubierat; hi vero inter parum & nimium medii, populo falſam potius, quam nullam religionem objiciendam crediderunt. Omnem illam, ajebat Seneca, [a] ignobilem deorum turbam, quam longo ævo ſuperſtitio ingeſſit, ſic adorabimus, ut meminerimus, cultum ejus magis ad morem, quam ad rem pertinere. Ecce talis tamque cata fuit Zenonis diſciplina: Vos nunc judices ſedete, tacitique expendite, num quæ alia magis Romanorum aſſenſum meruiſſe potuerit, quam quidem hæc, & ſententiarum gravitate & decretorum uſu abundans.

At nondum res expedita eſt: niſi enim litterarum monumenta nos fallunt, quatuor ſectis publica lege in imperio Rom. ſalaria ſunt conſtituta, [b] & omnes in Urbe ſuos habuiſſe videntur antiſtites & patronos. Acriter igitur hi nos inclamant, & grunniunt in primis Epicuri de grege porci, plurimos maximo veterum conſenſu amicos, etiam Romæ, ſibi vindicantes. Pythagoram ibidem aliquo loco habitum, ſtatua ejus in cornibus Comitii indicat. Ennius certe ejus dogmata ſecutus eſt, & Appii Claudii carmen, quod Ciceronis tempore extitit, Pythagoricum fuiſſe videtur. Qui cauſſis orandis ſe prolaturi, Academiæ ſpatia amabant; quod mos in utramque partem diſſerendi ad exercitationem forenſium cauſarum proxime accedat. Quos vitæ delectabat libertas Cynicos ſecuti. Ariſtotelis item & Theophraſti libros

[a] In libro, quem contra ſuperſtitiones ſcripſit, auctore Auguſtino *lib. V. de Civ. Dei cap.* 10.

[b] Lucianus Eunucho: *Scis, Pamphile, ſalarium, idque neutiquam exiguum, ab Imperatore fuiſſe conſtitutum ſingulis Philoſophorum generibus, puta Stoicis, Platonicis, Epicureis, præterea Peripateticis, ita ut unicuique ſectæ præmium eſſet æquale.* Huc pertinere videtur quod de Philoſophis ſcribit Modeſtinus in *l. 6. §. 2. D. de Excuſ.* αιρεσεις τινες προσκειμεναι τω νομω: *hæreſes quædam propoſitæ lege.* Sed conditiones, non ſectas intelligendas eſſe, contra Petitum, Grotium, Gronovium & alios evici cap. VI. §. 4. De Ædilibus colon. & municip.

bros Sylla Romam detulit. Denique quis credat, prudentiores uni sectæ, velut sacramento aut superstitione quadam constrictos, se addixisse? cum extra hæc vincula liberius philosophari, & in omnium castra transire liceret. Speciosa hæc sunt, fateor; sed vadimonium non desero, rationibus certis liquidisque stipatus. Unus & alter licet ad alios deflexerit, Stoica tamen secta ceterarum fuit regina, & plurimos omni tempore sui habuit assertores. Patebit hoc clarius, si mecum per singulas ire placebit: unicuique suum tribuemus singulatim. Aureum, sodes, *Pythagoræ* carmen & mystica ejus disciplina, quo in numero esse potuit apud severos Romanos? Sylla statuam ejus bello Samnitico positam removit; [a] libros hujus Philosophiæ in Cn. Terentii agro inventos combussit Petilius Prætor; [b] & in ipsa denique Italia, quam Magnam Græciam vocabant, Pythagoræorum collegia, jam anno circiter ducentesimo, post reges exactos, incensa fuerunt & extincta. [c] *Academia* nova ignorantiæ erat magistra, & majorem impudentiam ad facinora subministrabat. Sensibus illa tam externis, quam internis male fidens, oleum a garo, tudiculam a veru, atrum ab albo discerni posse negabat; [d] Unde & vix ultra Augusti ætatem. [e] *Cynicorum* magnus erat proventus, sed major ob affectatam illuviem vilitas: decoris etenim Romanis qui obscœna illa, quæ paria, immo pejora belluis, fecerunt Crates, Diogenes, & ejus farinæ alii probari potuissent? Pepulissent eos Censores

a Plin. *lib. XXXIV. cap. 6.*

b Idem *lib. XIII. cap.* 13. At Livius *lib. XL. cap.* 29. negat Pythagoricos fuisse.

c Vide Joan. Scheffer. *de nat. & constit. Philosoph. Italicæ cap.* 15.

d Festivo Arrianus ad Epictetum *lib. II. cap.* 20.

e Elegans locus Senecæ lib. VII. Nat. Quæst. cap. 32. *Itaque tot familiæ Philosophorum sine successore deficiunt. Academici & veteres & minores nullum antistitem reliquerunt. Quis est, qui tradat præcepta Pyrrhonis? Pythagorica illa invidiosæ turbæ schola præceptorem non invenit. Sextiorum nova & Romani roboris secta, inter initia sua, cum magno impetu cepisset, extincta est.*

res, pudoris ac verecundiæ magiſtri; quin omnis puer, muliercula & e vulgo quisque barbam iis petulanter vellebat.[a] *Ariſtoteles* in diſciplinis omne genus tradendis ad miraculum usque eminuit, in Phyſicis etiam & Dialecticis Stoicos longe poſt ſe reliquit; accuratius ubique definit, dividit, melioriquе omnia ordine pertractat. Habebant vero ejus libelli ſua fata: Andronicus Rhodius eos in multa exemplaria transfundi & publicari curaverat; ipſis autem Philoſophis Romanis, præter admodum paucos, Ciceronis tempore erant ignoti:[b] nec multos ſecutis temporibus habuerunt lectores, fortaſſis quod obſcuras rerum cauſſas obruunt ſermonis obſcuritate, vel quia blattarum malignitas & hominum ineptorum emendationes æſtimationem eorum iverant imminutum. *Electivum* philoſophandi genus ceteris quidem præſtantius,[c] quia optima quævis ex unaquaque ſecta eligit, nec tam auctores in diſputando, quam rationis momenta quærit: quemadmodum autem folia per ſe virere non poſſunt, ramum deſiderant, cui inhærcant & ex quo trahant ſuccum; ſic plerique ſectæ infigi volebant,

a Perſius *ſat. I. in fine.*

- - - multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.

b Ita ille in Topicis ad Trebatium cap. 1. *Rhetor autem ille magnus hæc, ut opinor, Ariſtotelica ſe ignorare reſpondit. Quod quidem minime ſum admiratus, eum Philoſophum Rhetori non eſſe cognitum, qui ab ipſis Philoſophis, præter admodum paucos, ignoretur.*

c Hoc ſecuti Cicero, Varro, Quintilianus, Tacitus, & Horatius, qui nunc *virum rectum* ex Stoicorum mente depingit, alibi *Silvas Academi* laudat, rurſus ſeſe *Epicuri de grege porcum* appellat. Diſerte lib. 1. Epiſt. 1. verſ. 13. de ſe ipſo:

Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tutor
Nullius addictus jurare in verba magiſtri,
Quo me cunque rapit tempeſtas deferor hoſpes.
Nunc agilis fio, & merſor civilibus undis,
Virtutis veræ cuſtos, rigiduſque ſatelles
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus ſubmittere cogor.

bant, præcepta, si sola sunt, marcere putantes. Multa adhæc industria, multo ingenio & judicio opus erat, ut in tanto Porticus, Academiæ, Lycæi & hortuli dissensu verum ubique a falso discerneretur. Ad *Epicuri* denique nomen multi advolarunt, patrocinium inertiæ suæ quærentes: [a] sed pessimi indicium turba est, nec unquam tam feliciter actum cum genere humano, ut meliora pluribus placerent. Titus Lucretius, C. Cassius, Pomponius Atticus, Vellejus Senator, Virgilius, Petronius, Martialis fuerint ex hac voluptatis officina; ejus profecto decreta reipublicæ videbantur perniciosa, horumque doctores Alcæus & Philiscus, urbe sunt ejecti, tanquam libidinis & inertiæ patroni. [b] Demus etiam magnos & amoris conspiratione consentientes amicorum greges Romæ tenuisse Epicurum, Jurisconsultos certe a se ipse dimittebat; [c] qui Remp. gerere negabat esse sapientis, qui contemnebat Dialecticam, dictione utebatur vitiosa, & fugere omnem disciplinam navigatione quam velocissima jubebat. Nolo mihi sine pignore credatis: attendite diligentius quibus argumentis Tul-

[a] Laert. *lib. X. segm.* 9. Cicero *IV. Acad. Q.* & 1. *de Fin.* Lactant. lib. III. de falsa sap. cap. 17. *Epicuri disciplina multo celebrior semper fuit, quam ceterorum: non quia veri aliquid afferat, sed quia multos populare nomen voluptatis invitat. Nemo enim non in vitia pronus est. Propterea ut ad se multitudinem contrahat; apposita singulis quibusque moribus loquitur. Desidiosum vetat litteras discere; avarum largitione liberat, ignavum prohibet accedere ad rempublicam.*

[b] Athenæus *lib. XII. Deipnos. cap.* 12. Ælianus *lib. IX. cap.* 12.

[c] Unicus Alphenus Epicureos ἁπλῶς Philosophos vocare videtur in celebrata illa *l. Proponebatur* 76 *D. de Judiciis* his verbis: *Propterea quod, ut philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis consisteremus, hæ quotidie ex nostro corpore decederent, aliæque extrinsecus in earum locum accederent.* Epicuri enim dogma de atomis hic laudari, existimat Dionys. Gothofredus *in notis*, & Joh. Schilterus *Manud. Philos. moral. cap.* 1. §. 7. Sed Jacobus Cujacius *lib. XXVI. Obs. c.* 40. de Heraclitiis & Stoicis Alfenum excipiendum docuit, quem eo nomine laudat Menagius in notis *ad Laert. lib. X. segm.* 66. *pag.* 463. Dabimus huic legi dissertationem singularem.

lius Trebatio Jurisconsulto hanc sectam dissuadeat: [a] *Indicavit mihi* (verba sunt Ciceronis) *Pansa meus, Epicureum te esse factum. O castra praeclara! quid tu fecisses, si te Tarentum & non Samarobrinam misissem? Jam tum mihi non placebas, cum idem intuebare, quod Titius familiaris meus. Sed quonam modo jus civile defendes, cum omnia tua caussa facias, non civium? Ubi porro erit formula fiduciae*, Ut inter bonos bene agier oportet? *Quis enim est bonus; qui facit nihil, nisi sua caussa? Quod jus statues* communi dividundo, *cum commune nihil possit esse apud eos, qui omnia voluptate sua metiuntur? Quomodo autem tibi placebit*, Jovem lapidem *jurare, cum scias, Jovem iratum esse nemini posse. Quid porro fiet populo Ulubrano, si tu statueris* πολιτεύεσθαι *non oportere?* Hactenus ille. Ex quibus cum satis jam pateat, sectas alias fuisse extinctas, alias pulsas, ignotas alias, & sine nomine, sine censu ac lare publico projectas; superest dicamus, unam unam Stoicorum Philosophiam Romanos didicisse, nec aliam usui Reip. fuisse accommodatiorem.

Sed video vos, Auditores, tacitis a me cogitationibus jam dudum expetere, uti propius ad Jurisconsultos nostros accedam, Vobisque rationes aperiam singulares, cur hi Stoicorum disciplinam fuerint secuti: sine his enim vix id, quod proposui, momentum sat firmum & liquidum habebitis. Mihi vero id vel maximum videtur, & quo nullum huic rei demonstrandae adhiberi potest majus. Enimvero disciplinarum illa divortia & limites, quos ubivis nunc inculcant liberalium artium doctores, Romae erant ignoti. Qui sapientiae gloria excellere vellent, omnia, quae civitas nosset, complectebantur; una omnium rerum erat doctrina, unus omnium disciplinarum concentus. Qui Jurisconsultus idem Philosophus; qui Philosophus idem Jurisconsultus. Dicam audacius: fuit tempus, cum apud solos Jurisconsultos in Urbe sapientiae amor resedit: horum domus oracula erant totius civitatis, unde cives & hospites sua-

[a] *Lib. VII. ad familiares epist. 12.*

ſuarum rerum incerti, cauti & conſilii compotes dimittebantur. Hinc eadem Jurisprudentiæ, quæ Philoſophiæ eſt definitio; [a] ut Philoſophi appellati *ſapientes*, ſic & Jurisconſulti; [b] & ipſum juris ſtudium ab Ulpiano *civilis ſapientia*, [c] a Juſtiniano ***antiqua ſapientia*** vocatur. [d] Juris itaque ſtudioſi ut Philoſophiam, artis ſuæ tam neceſſarium, tam carum, tam utile inſtrumentum diſcendo caperent, Stoicorum ſcholas frequentarint oportet; quia non alias in Urbe conſtitutas inveniebant & apertas. Sed & aliæ licet fuiſſent, ad has vel ultro eos invitabat mirabilis omnium doctrinarum compoſitio & ordo; reſpondebant extrema primis, media utrisque, omnia omnibus, & quod caput eſt, earum decreta & ſtudia ſuis rationibus quam maxime conveniebant. Non omnia, quæ hanc in rem dici poſſunt, proferre animus eſt: ſic enim patientia veſtra facile abuti viderer, & res ipſa teſtimoniorum inter ſe collationem amat, unde amœni tractatus aliquando materia erit. Dicam tantum illuſtriora, & ſumma rerum faſtigia, qua id poteſt fieri brevitate, complectar.

Stoicorum natio regnum tenebat in philoſophia morali: cum enim reliquæ ſectæ in Phyſicis fere tantum excellerent, & de motu, quiete, inani, de numeris, motibus, aliiſque rerum naturalium principiis, multa acute diſſererent; hi regulas de vita & moribus tradebant, quibus omnes officio-

 rum

a Ulpian. *l.* 10. *de J. & J.* Strabo initio ſui operis: *Divinas humanasque res complectitur, quarum ſcientia dicitur eſſe ea, quæ Philoſophia appellatur.* Cicero II. de Fin. c. 12. *divinarum humanarumque rerum ſcientia, quæ poteſt rite appellari ſapientia.*

b Omnes Philoſophi ſapientes dicebantur, at Stoicos per excellentiam *ſapientiæ doctores* vocat Tacitus *lib. IV. Hiſt. c.* 5. De Juriſconſultis Gellius lib. IV. cap. 1. *Veteris juris magiſtri, qui Sapientes appellati ſunt.* Sic Atilius Sapiens dictus, *quia prudens eſſe in jure civili putabatur*, Cicero *in Lælio cap.* 2. Sempronium *populus Romanus* σοφὸν, *id eſt, ſapientem appellavit.* Pompon. *l.* 2. §. 37. *de Orig. jur.*

c *L.* 1. §. 4. *D. de Extr. cognit.*

d *L. ult. C. Per quas perſ. nob. acq.*

rum fontes, ac tota hominum societas continetur. Divinam hanc & nobilissimam artem Socrates primus e cœlo in terram deduxit; unde non hominum tantum consensu, sed & Apollinis oraculo sapientissimus judicatus est. Deinde eam pulcherrima hereditate ad Zenona delatam, ejus discipuli excoluerunt; indeque Socratici, [a] virtutis rigidæ custodes, medici majores dicti; eorumque secta fortissima, sanctissima, gravissima; rigida & virilis sapientia passim vocatur. Multa & præclara in hoc genere Poëtæ in fabulis, multa Plato & Aristoteles: sed non robore eo & nervis, quibus nostrates. Unum vobis modo proponite Epictetum, hominem servum, mutilum, pauperem; sed cujus scripta nil nisi liberum, rectum & excelsum spirant, & divina pæne de vitandis vitiis, de virtutibus sectandis, de modestia, temperantia, prudentia, & omni morum honestate præcipiunt. Quid sit homo, in quem finem a Deo creatus, quis ordo sit rerum, in qua mundi statione sit collocatus, quid quisque cuique debeat, hæc & id genus alia inculcat. Hoc autem studium Jurisconsultis apprime erat necessarium, ut in hac caligine, densaque velut nebula fallacium imaginum, latentem veritatem eruere possent. Ut scirent quomodo constituendæ sint respublicæ & regendæ; quæ partes Principis, quæ subjecti; quid maritus debeat uxori, quid patri filius, quid domino servus; de justitia denique, de legibus, de præmiis & pœnis quid statuendum sit, sine quibus civitates aut esse, aut bene moratæ esse non possunt.[b] Hanc sane qui ex juris disciplina tollunt, illi Solem mihi de rerum natura tollere videntur; hanc si demas nudum & deforme cadaver, immo monstrum fœdissimum remanebit. O [c] igitur vitæ Philosophia dux! o virtutis indagatrix expul-

[a] Persius *Sat. V. vers.* 36.
Me tibi suppofui: teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu: tunc fallere sollers
Apposita intortos excludit regula mores.

[b] Horatius *de arte poet.*

[c] Cicero *lib. V. Tuscul. Q. cap.* 2.

pultrixque vitiorum! quid non modo nos sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti: tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum & vocum communione junxisti: tu inventrix legum, tu magistra morum & disciplinæ fuisti: ad te confugiunt principes, magistratus & legislatores: Solon, Pittacus, Minos, Lycurgus, Charondas, Zaleucus æquas tua ope tulerunt leges, sed æquissimas Romani, quia per Stoicorum vestigia incesserunt. Horum libros si cum jure civili conferre placet, id quod verissimum est, agnoscemus, hanc nostram scientiam ex ea domo profluxisse. In Senecæ scriptis omnis pagina nobis lucem affundit: nec alia caussa est, cur Ciceronis libri de Officiis [a] tam multa tamque elegantia de contractibus, de judiciis bonæ fidei, de dolo in venditione coercendo complectuntur, quam quia ex Panætii aliorumque Stoicorum libris de officiis sunt excerpti. Non ergo ingratiis Jurisconsulti ad Stoicorum scholas itabant, cum in iis suam ipsi doctrinam agnoscerent.

Hoc amplius Zenonis familia Jurisconsultis utilis erat & grata, quod inter ratas suas sententias habebat, Rempublicam administrare esse sapientis. [b] Neque enim umbratici erant doctores, ludus eorum non erat otii diversorium, non cucurbitas in eo pingere, velut stipites, docebant: sed de regno, de republica, de legibus, de officio judicis in scholis & scriptis suis differentes erudiebant suos, quo essent meliores cives, judices & magistratus. Epicurei discincti ac dissoluti, in balneo, vel etiam in scortilli gremio molliter recubantes, societatis civilis partem nec noverant ullam, nec nosse volebant. Alii in umbraticis scholarum porticibus inclusi syllogismos retexebant, ac de elenchis philosophabantur: cum vero ad remp. vocati, nil præter sapientem barbam & togam afferebant. At nostri cuique homi-

 num

a Vide *lib. III. de Offic. cap.* 4.
b Seneca *Epist. XVI.* & *de Otio Sap. cap.* 30.

num suum locum datum esse statuebant; alii ut aret, alii ut naviget, huic ut militet, illi ut rempublicam gerat: ipsi etiam vere viri belli pacisque tractabant artes, ibant in forum, honores fascesque capessebant, non purpura aureisque virgis addicti, sed ut amicis, propinquis, civibus ingenio & voce magis prodessent. Austera quidem nimis, morosa ac obscæna plerisque Stoica secta videtur, quam ut publicis moribus conveniret. Intonsum caput, frons rugosa, & barba negligentior a multis, velut proprium hujus familiæ habetur. Credat hoc Judæus Apella, non ego! Germanus Stoicus non abhorrebat a vita communi; [a] non splendebat ei toga, nec sordebat quidem: meliorem vitam agebat, quam vulgus, non contrariam; intus omnia dissimilia, frons populo conveniebat. Nullus illi horror in cultu, nulla tristitia; reverearis occursum, non reformides. Vitia insectatur, non homines, nec castigat errantes, sed emendat. Austeri erant, sed illis similes vinis, quæ medicaminis vim habent, ad compotationes vero sunt inepta. Gaudebant cum gaudentibus, flebant cum flentibus, & agendæ rei caussa faciebant sæpe, quæ non probabant. Vultis exempla? Dabo. Et quem meliorem Scipione Africano? qui ex hac doctrina non austerus, sed lenissimus factus. [b] Quis vero C. Lælio comior, quis jucundior eodem ex studio? Catone quis gravior? Pompejo quis sublimior? Augusto quis sapientior? quis denique clementior Antonino? qui & in theatrum descendit, & spectaculis interfuit; princeps sine exemplo bonus, constans, tranquillus, civibus ita carus, ut mortuum omnes, velut una voce, alii parentem probum, alii bonum im-

a Viliores animæ cultum ac munditiem corporis neglexere, unde quidam Stoici *pæne Cynici* vocantur a Cicerone 1. *de Off. c.* 35. & Juvenalis *Sat. XIII.* vs. 121. Stoica dogmata *a Cynicis tunica distare* ait. Id quod si de omnibus accipias, injuria fiet sectæ verecundæ, quæ sordes hujusmodi, tanquam a natura alienas, aversabatur. Vide Laert. *lib. VII. n.* 4. Senec. *epist.* 92. Arrian. *lib. IV. c.* 11.

b Cicero *pro Muræn. cap. XXXI.*

imperatorem, quidam etiam fortissimum ducem appellarent.[a] Vestrum nunc erit pronuntiare, an hanc escam appetituri fuerint veteres Jurisconsulti, homines suapte natura ambitiosi, & vitam actuosam publice profitentes. Nefas illis erat pecorum ritu segni otio torpescere; in publicis conventibus, in foro, in tribunalibus tractabant leges, instituta ac mores majorum, ad primas quasque dignitates evecti. Nec de stillicidiis tantum, cloacis, aut glande legenda; sed de omni jure, publico & privato, divino & humano responsa dabant, assidebant magistratibus, hastas patronis subministrabant. Hæc est vera illa, non simulata Philosophia, quam Ulpianus Jurisconsultos affectare, & vere, gloriatur: justitiam namque colunt, & boni ac æqui notitiam profitentur: æquum ab iniquo separantes: licitum ab illicito discernentes: bonos non solum metu pœnarum, verum præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes.

Satis, nisi fallor, ostendi, utilem & acceptam Jurisconsultis fuisse Stoicorum disciplinam. Quid si addam fuisse necessariam? Immo addo, & totidem quidem rursus argumentis. Primum esto, quod omnis eorum cura in Dialectica consumebatur, adeo ut eam inter virtutes referendam putarent. Peripateticorum opera in hoc genere erat consummatior; sed quæ ab illis erant inventa, nostri elaborarunt, & quibusdam commutatis in usum suum transtulerunt. Zeno arti huic ita fuit deditus, ut cuidam septem species argumenti, quod Metentem appellant, ei indicanti, ducentas drachmas dederit, cum centum mercedis tantum loco postulasset.[b] Unus Chrysippus ultra trecentos libros solius Logicæ reliquit, atque adeo clarus in hac fuit, ut plerique existimarent, si apud Deos usus esset Dialecticæ, eam non futu-

[a] Herodian. *lib.* 1. *Histor. cap.* 4. §. 20. Philostrat. in vita Herodis *lib.* 2. *pag.* 558. Ο Μαρκος φυσει δημοτικωτερος: *Marcus natura magis popularis.*

[b] Laertius *lib. VII. num.* 181.

futuram aliam, quam Chrysippeam.[a] Uterque etiam definitionum & divisionum fuit amantissimus, immo omnes, quotquot habuerunt, discipuli, hanc disciplinam, velut omnium principem, coluerunt; unde κατ' ἐξοχὴν Dialectici dicti, [b] & plerique alii hoc in studio Stoicorum doctrinam sunt sequuti. In primis autem Jurisconsulti artem ratiocinandi e Porticu suæ disciplinæ adhibendam censuerunt; ut genera dispartiri, rem definire, vera a falsis dijudicare, ambigua primum videre, dein distinguere, tum quid cuique consentaneum sit, quid repugnans animadvertere possent. Hac duce & magistra cum destitueretur adhuc jus civile, dissipatum & confusum erat chaos: monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum. Quod in una cognitione erat positum, id in infinitas dividebatur; nec tam ex generum caussis, quam ex responsis prudentum, caussæ innumerabiles poterant decidi. Crassus, Pompejus, Cæsar, Cicero, aliique civitatis proceres ideo de jure civili in artem redigendo studiosissime cogitarunt; sed otii inopia ac Reip. necessitatibus fuerunt impediti. Q. Ælius Tubero, Panætii auditor & Stoicus, jam ante, & primus quidem, Logicam ad Jurisprudentiam attulerat, [c] sed rem tantam solus

[a] Laert. *eod. lib. VII. segm* 181.

[b] Turnebus *lib. XV. Adv. cap* 11. hoc ex Cornificio lib. 2. ad Herennium ostendit. Cui adde Ciceronem lib IV. de Finib. *Quid ea, quæ Dialectici nunc tradunt & docent, nonne ab illis* (Academicis & Peripateticis) *instituta sunt & inventa.* Et lib. 1. Acad. Quæst. *Cum hoc igitur Dialectici pugnent, id est Antiochus & Stoici.* Hinc lux Africano in l. 83. D. ad L. Falcid. *Dixi τῶν ἀπόρων hanc quæstionem esse, qui tractatus apud Dialecticos τοῦ ψευδομένου dicitur.* Hæc iis addenda videbantur, quæ disputat Menagius *lib* 1. *Amœnit. cap.* 1. Non omnes vero Stoicos nugosas illas argumentationes approbasse, sed quosdam tantum, atque ideo eos sæpe a Dialecticis distingui, docet Merillius *lib.* 1. *Obs. c.* 17. Cui adde Freheri *decis. Areop. c.* 2.

[c] Gellius lib. I. cap. 22. *M. autem Cicero in libro, qui inscriptus est de jure civili in artem redigendo, verba hæc posuit:* Nec vero scientia

lus non perfecit. Felicior fuit Scævola, qui, auctore Pomponio, [a] jus civile primus constituit, nec tamen omne tulit punctum. Servius autem Sulpitius artem hanc omnium maximam, quasi lucem, ad ea quæ confuse adhuc respondebantur, a Stoicis est mutuatus, eamque totam in Jurisprudentiam advocavit; quapropter M. Tullius [b] aliis usum juris, huic uni artem concedit; qua laude haud scio, an alia tribui Jurisconsulto major possit. Hujus exemplo, Antistius Labeo dein in Dialecticam penetravit, quique post eum vixerunt Jurisconsulti omnes hac parte Stoicorum vestigia pressere. Unde genus & speciem eodem modo, quo illi describunt; raro definitiones habent accuratas, quod vitium erat Stoicorum; & sicut captionum amantissima erat Porticus, spinas Logica sua vellebat, & varii generis sophismatibus, ut pseudomeno, sorite, superposito, metente, calvo, crocodilo, cornuto, conficiente, obvelato, ignava ratione, & aliis ejusmodi argumentandi monstris lubens utebatur, sic & juris nostri auctores ea in artem suam retulerunt. [c]

Præterea Dialecticæ nomine Stoica gens Grammaticam simul complexa est: unde de proprietate verborum, de conflictu vocalium, de voce canora, de hellenismo, idiotismo, barbarismo & solœcismo disceptabant; ad syllabarum quoque distinctiones & conjunctionum ac præpositionum proprietates descendebant, Grammaticis, velut invidentes. [d] Idem

Ffff vero

tia juris majoribus suis Q. Ælius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit. *In quo loco*, superfuit, *significare videtur* supra fuit & præstitit, *superavitque majores suos doctrina sua superfluenti, tum & nimis abundanti: disciplinas enim Tubero Stoicas & dialecticas percalluerat.*

a *L.* 2. §. 41. *de Orig. Jur.*

b *In Bruto cap.* 41.

c Africanus. *l.* 88. *D. ad L. Falcid.* Ulpianus *l.* 177. *de V. S.* Julianus *l.* 65. *de Reg. Jur.* Scævola apud Ciceronem lib. 1. de Oratore cap. 10. *Stoici vero nostri*, inquit, *disputationum suarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent.*

d Seneca *epist.* 88.

vero labor omnino Jurisconsultis fuit suscipiendus, [a] ut vim vocum haberent perspectam, & in legibus, edictis, Senatusconsultis, in contractibus & testamentis, exacte omnia explicare possent. Quippe ex uno verbulo male obscureve posito, magnæ plerumque lites oriuntur, & apud Prætorem, si quando una syllaba erratum esset in formula, lis tota perdebatur. Ut ne dicam ex alieno sæculo iis explicanda fuisse verba Legum XII. Tabb. a regiis temporibus conservata, quibus interpretandis doctissimi Romanorum erant minores. [b] Endo pro in, im pro eum, escit pro erit, duit pro dederit, sirit pro siverit, adorato pro agito, facile omnibus erant nota: at *Nexo soluto forti sanati siremps jus esto*, & alia hujusmodi, hoc opus hic labor erat. Servius Sulpitius ideo consuluit Varronem, quid in Censoriis libris sint *favissæ Capitolinæ*: In Prætorum edictis quid *flumina retanda* significet, in bibliotheca templi Trajani quærunt eruditi, [c] & in universum propria Jurisconsultorum vocabula, *suus heres*, *erctum citum*, *ruta cæsa*, *ex jure manum consertum*, alia, quorum significatio Grammaticis non satis erat culta & perspecta, sed ab ipsis Jurisconsultis petenda. Unde Gregorio Thaumaturgo [d] verba legum Rom. præclara quidem, sed difficilia perplexaque videbantur. Paulus, velut e grege Grammatistarum aliquis (risum teneatis amici) nomen *penus* omnis generis esse, sibi traditum notat: Ulpianus in voculas *penes* &

[a] Cicero pro Muræna cap. XI. *Quæ dignitas in tam tenui juris scientia esse potest? Res enim sunt parvæ, prope in singulis litteris & verborum interpunctionibus occupatæ?* Quintilianus lib. V. Inst. Orat. cap. 14. *Cum etiam ipsi Jurisconsulti, quorum summus circa verborum proprietatem labor est, littus audeant dicere, qua fluctus eludit.*

[b] Cicero lib. I de Oratore. *Plurima est in omni jure civili, & in Pontificum libris, & in XII. tabulis antiquitatis effigies, quod & verborum prisca vetustas cognoscitur, & actionum genera quædam majorum consuetudinem vitamque declarant.* Adde Gellium *lib. XX. cap.* 1. Symmachum *lib. III. epist.* 44.

[c] Gellius *lib. II. cap.* 10. *lib. XI. cap.* 17. *lib. XX. cap.* 10.

[d] *In Orat. Panegyric. ad Origen.*

& *apud* inquirit: Pomponius, Julianus & Modestinus sub masculino genere sexum utrumque comprehendi scribunt: quinimo Ælius Gallus de verbis ad jus pertinentibus, & Volusius Mæcianus, de Asse ejusque partibus, libros singulares ediderunt. Quemadmodum vero usum rei abusus facile consequitur, sic Stoici anxiam nimis curam in verbis habuere. In Zenone hunc morbum damnat Seneca; in omnibus ejus sectatoribus Plutarchus, Galenus & alii; ac vellem parciores fuissent in veriloquiis, & allusionibus, quibus supra modum sibi placuerunt. [a] Neque tamen adeo erant inepti, uti derivationes suas Dialecticas pro veris etymologiis Grammaticis venditarent: sed quia inanis sæpe opera in vera origine investiganda ponitur, cum omnium fere nominum plures natales assignari possint, & usus, tanquam lex quædam, vocis notationi subroget, obroget, vel deroget; externa etiam illa & antiqua plerumque sint incertiora, ideo ex flexione verbi & verisimili ad naturam rei alludere, quam nimio artificio ingenium discruciare maluerunt. Jurisconsulti Romani ea in re præceptores suos eo lubentius sequebantur, quia multas voces ab Hebræis, Græcis, Etruscis, Volscis, Oscis, Sabinis, aliisque finitimis & remotis populis, in Latinum sermonem incidisse sciebant, quarum origo obscura esset & ignota. Stoicorum etiam morem in docendo utilem esse didicerant. Hinc Labeo Latinarum vocum origines rationesque percalluerat, eaque præcipue scientia ad enodandos plerosque juris laqueos utebatur; [b] secutus sine dubio exemplum Servii Sulpitii, præceptoris sui, qui te-

Ffff 2 stamen-

a Cicero lib. I. de Off. cap. 7. *Tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde verba sint ducta; credamusque, quia fiat quod dictum est, appellatam fidem.* Festus: *Oppidorum originem optime refert Cicero libro primo de Gloria; eamque appellationem usurpatione appellatam esse existimat, quod opem darent; adjiciens, ut imitetur ineptias Stoicorum.* Chrysippum Laertius *lib.* 7. *n.* 200. ait, libros septem de Etymologicis scripsisse.

b Gellius *lib. XIII. cap.* 10.

ſtamentum ex eo appellatum dixerat, quod ſit teſtatio mentis. Nec quicquam cauſſæ video, cur huic notationi ex veteribus Gellius, [a] ex recentioribus Laurentius Valla, tam vehementer ſuccenſeant: nam Servius, non veram originem, (hanc enim quomodo ſummus orator, & vir ætatis ſuæ doctiſſimus, ignorare potuiſſet?) ſed naturam rei tantum indicare voluit: ut hoc ipſo dementes, furioſos, impuberes a teſtamenti factione arceret. Idem de ceteris judicium eſto, quando ex alluſionibus argumenta ducunt: v. gr. ubi lapis non cæditur, ibi non eſt lapidicina; ubi lis non perit, ibi nec litis eſt periculum; ubi mutuum, ibi ex meo fit tuum; ubi poſſeſſio, ibi ſedem ponere licet; ubi res pugno non traditur, ibi nec eſt pignus. His ſua utilitas inerat, & Plato atque Ariſtoteles in his frequentes fuequentes fuerunt; Stoici vero perpetui, & horum imitatione Juriſconſulti: nam primo ſtatim Pandectarum capite, Ulpianus ait: *Juri operam daturum prius noſſe oportet, unde nomen juris deſcendat*, id quod Stoa ſic efferebat, definitio nominis præcedere debet definitionem rei.

Ex vultibus Veſtris me ſatis jam intelligere puto, parum abeſſe, quin vobis perſuaſerim, utilem & neceſſariam Juriſconſultis fuiſſe Stoicorum diſciplinam: ſi quis autem adhuc dubitat, num pari eam ardore fuerint amplexi, is mente & auribus jam adeſto: rem omnem, utriuſque ſtudii, dogmatum & doctrinarum collatione, tam liquidam faciam; ut non ovum ovo, nec lac lacti videatur ſimilius. Melioris autem ordinis cauſſa, Juriſconſultos in quatuor claſſes divido: prout ſcilicet vixerunt, vel poſt latas leges XII. tabularum, uſque ad ætatem Ciceronis; aut ſub hoc & Cæſare, uſque ad Auguſti imperium; vel ab Auguſto ad tempora Antonini Pii; vel denique poſt hunc ad Gordianum uſque: ſub hoc enim, ceſſim & retro collapſa jam Juriſprudentia, Oracula noſtra obmutuerunt. In antiquis illis fruſtra ſectam quærimus, nulla quippe his affulſerat Philoſophiæ lux, nullum

[b] *Lib. VI. cap. 12.*

lum lumen litterarum. Aspera & tenebricosa erant omnia; scriptis quidem, sed sine arte, jus civile committebant; nec institutione, sed natura duce, Sempronius & Atilius evaserunt sapientes. Paullo autem ante Ciceronem natum, Philosophia a Græcis Romam fuit delata, & moralis illa pleno jam alveo, cum is nasceretur, in Jurisprudentiam manabat. Panætium, Stoicorum principem, supra audivimus, primum Romæ Philosophiam docuisse; hujus autem discipuli mediæ Jurisprudentiæ tum erant conditores; quæ non poterat non Philosophiam, & Stoicam tantum, redolere: ipsi quippe Stoici erant, & tales in litterarum monimentis vocantur. P. Rutilium Rufum Cicero [a] signanter *Panætii auditorem, prope perfectum in Stoicis* appellat. Q. Ælium Tuberonem, Gellius auctor est, [b] *Stoicas & dialecticas percalluisse disciplinas:* Sextum Pompejum ingenium contulisse ad summam juris civilis, & ad perfectam Geometriæ, *& rerum Stoicarum scientiam*, refert Tullius. [c] Idem Lucilium Balbum, in libris de natura Deorum, Stoicarum partium defensorem inducit, eumque *tantos in Stoicis progressus habuisse*, ait, ut cum excellentibus in eo genere Græcis, fuerit comparandus. [d] Quid Quintum Mutium Scævolam memorem? quem Athenæus [e] *placita Stoicorum secutum* tradit diserte. Quid Servium Sulpitium? qui Athenis & Rhodi Stoicis operam dedit, Lucilii quoque Balbi auditor fuit, & Dialecticam didicit, allusionum tam fuit studiosus, ut vel eo nomine solo in hanc classem referri mereatur. Jam vero A. Cascellii obfirmatus animus nonne Porticum sapit? neque enim mores cum Rep. mutavit; sed temporibus Cæsaris liberius est locutus, nulliusve gratia vel auctoritate compelli potuit, ut de his rebus, quas Triumviri sta-

a *In Bruto cap.* 30.
b *Lib. I. Noct. Att. cap.* 22.
c *In Bruto cap.* 47.
d *Lib. I. cap.* 6. *de Nat. deor.*
e *Lib. VI. Deipnos. cap.* 21.

ſtatuerant, formulam componeret: unde Valerius Maximus eum *periculoſe contumacem*, id eſt Stoicum, appellare non veretur.[a] Tui autem. Trebati Teſta, fere heic oblitus eram, & delendus ex hoc albo videbaris, quia a viris ad feminas, a virtute ad voluptatem, ut infamis ille transfuga Dionyſius Heracleotes, tranſire voluiſti; ſed tamen agmen hoc claudas licet; fortaſſis enim more ſuo tecum jocatur Tullius, aut e fuga te retraxit. Certe in Stoica ſchola te ante vixiſſe nullus dubito: formaſti Antiſtium Labeonem, perfectum Stoicum, & peccata tibi paria ſunt; nam qui aurem alicujus tangit, is totum tibi hominem tetigiſſe videtur.[b] Conſtat itaque Juriſconſultos, qui ſub libera Republica Ciceronis ætate vixerunt, aut Panætii fuiſſe diſcipulos, aut ſaltem ex Stoicorum fontibus arva ſua rigaſſe.

Verſo in principatum Reip. ſtatu, primis Auguſti temporibus, una Stoicorum diſciplina, qua ipſe Princeps imbutus erat, Juriſprudentiam ornabat; mox autem luxuriantibus Juriſconſultorum ingeniis divortia facta ſunt, inque duas itum eſt ſectas. Clarebant tunc ſimul *duo pacis decora*,[c] & ampliſſimæ dignitatis viri, Antiſtius Labeo & Atejus Capito, doctrina pares, ingenio vero multum diſſimiles.

a *Lib. VI. cap. 2. n.* 12. contumacia eſt ſtudium libertatis, & libido contradicendi Principibus. Vox in Stoicos & Cynicos uſurpata. Vide Tacitum *in vita Agricolæ cap.* 42. Sueton. *Auguſt. cap.* 55. & *Veſpaſ. cap.* 13. Martial. *lib. II. epigr.* 68.

b Gothofredus *ad l.* 2. *de Legibus* & Gaſſendus de vita & mor. Epicuri *Oper. Tom. V. pag.* 158. eum Epicureis accenſent, propter Ciceronis verba lib. VII. ad fam. ep. 12. *Indicavit mihi Panſa meus, Epicureum te eſſe factum.* Sed Tullium ludere, ut in aliis epiſtolis ejuſdem libri, obſervavit Schilterus *Manud. Philoſ. mor. cap.* 1. §. 6. Contra Chriſt. Otto a Bœckelen *de familiis JCorum pag.* 17. Teſtam Stoicum fuiſſe ex *epiſt.* 16. *dicti lib*, conſtare putat. Ego libentius utar argumento *l.* 21. *D. de Furt.* quam *l.* recte &, ut ſolet, erudite ad mentem Stoicorum explicavit, Vir Clariſſimus, mihique amiciſſimus, Nicolaus Hieronymus Gundlingius *in Trebatio injuriis liberato* §. 55.

c Tacit. *lib. III. Annal. ſub fin.*

les.[1] Ille quidem vitæ ſeveræ, & ad Stoicam gravitatem compoſitæ, Græcæ eruditionis fiducia, multum innovare inſtituebat: hic, ut erat ingenii ſubſervientis, iis, quæ ab antiquis tradita erant, mordicus inhærebat, & in vitæ actionibus tempori ſerviens, Principis auræ plus quam vernili adulatione velificabatur. Hinc cum uterque ad docendum ſe dediſſet, duæ familiæ exortæ ſunt. [a] Labeoni ſucceſſit Nerva, Nervæ Proculus, Proculo Pegaſus; unde *Proculejani* & *Pegaſiani*. Capitonis doctrinam complexus eſt Maſſurius Sabinus, & C. Caſſius Longinus; unde *Sabiniani* & & *Caſſiani*. Inter hos tam perpetuæ contentiones & diſſidia crebra, ut veritatem in multis, quam ſectam deſerere maluerint. Proculejani conſtanter a partibus Stoicorum; Sabiniani vero in nonnullis a Zenonis ſchola diſcedebant. [b] Hinc in variis juris articulis utriusque ſcholæ diſſenſio. In ea quæſtione, an dominus materiæ, an vero is, qui novum opus fecerat, ſpeciei dominus ſit, Proculejani pro artifice ſtabant: quia a Stoicis acceperant, formam operi facto ſubſtantiam tribuere, non materiam. [c] Sabinianis contra videbatur, naturali & civili rationi convenire, ut dominus materiæ fieret dominus ſpeciei. Rurſus in legatis, hereditatibus aliisque ſpeciebus, Sabiniani proportionem Geometricam, ſecundum Academicos; Proculejani ſecundum Stoicos Arithmeticam ſequebantur; nam & paria eſſe peccata dicebant, æquales virtutes, nec alium alio magis eſſe ſapientem. [d] Pubertatem Caſſiani ab habitu corporis, Proculejani-

a Pompon. *l.* 2. §. 47. *de Orig. jur.*

b Hinc ut ſecta alteri ſectæ addictos Juriſconſultos deridebat, *l.* 10. §. 1. *de Neg. geſt. l. pen. In quib. cauſ. l.* 109. *de Cond.* & *dem.* ſic & Stoici Sabinianis infenſi, quo poterant modo, eos ſugillabant, auctore Arriano ad Epictet. lib. IV. cap. 3.

c Seneca *epiſt.* 88.

d *L.* 21. *D. de Furtis l,* 23. *C. de Legat.* Horatius *lib. I. epiſt.* 16. Arnobius *lib. VII.* ubi idem Trebatius exiſtimat, ſi quid ſacri faciundi cauſſa de dolio demeretur, totum dolium ſacrum fieri.

culejani autem, perinde atque Stoici, ab anno decimo quarto auſpicabantur: putabant enim animam ſimul cum corpore creſcere, & poſt bis ſeptem demum annorum decurſum perfecte compleri.[a] Ecce in his & aliis [b] Proculejani magis Stoicis ſeſe obſtrinxerunt: quemadmodum autem qui in Sole ambulant, licet inviti, colorem inde ducere ſolent; ſic Caſſiani, mediæ Jurisprudentiæ inhærentes, multa a Panætio profecta retinuerunt, ut adeo ex Stoicorum claſſe penitus non ſint ejiciendi.

Hæ partium contentiones ſub Tiberio, Caligula, Claudio, Nerone, maxime vero ſub Veſpaſianis, inter Juriſprudentes vehementiſſime agitatæ ſunt; poſt Hadrianum autem & Antoninum Pium refriguit iſte diſputandi æſtus, & qui poſthac vixerunt Juriſconſulti, miſcellam profeſſi ſunt doctrinam, nullis unius diſciplinæ legibus adſtricti. Alii quidem Proculejanis erant propiores, ut Pomponius & Ulpianus: Sabinianis alii, ut Papinianus & Paulus: omnes vero ea in re Stoicis ſimiles, [c] quod, velut erciſcundi & honorarii arbitri, ex pluribus contrariis opinionibus, unam conficerent & ſequerentur. Ariſtotelis libri jam tum in aliquo pretio, multa ab eo mutuati ſunt Juriſconſulti poſteriores, ejus etiam auctoritate utuntur: ſed ut Homeri, Xenophontis, Ciceronis, Virgilii, Hippocratis & aliorum; nulli unquam exinde Peripateticos fuiſſe perſuadebis. Plane Antonini Pii præceptor, Flavius Arrianus juratus fuit Stoicus, idem qui ſcripſit diſſertationes ad Epictetum.[d] Sub Marco omnes ad Principis exemplum ſeſe com-

a Ulpian. *tit. XI.* §. 28. Plutarch. *lib. V. de plac. Philoſ. cap.* 24. Tertullianus *de anima cap.* 38.

b Quæ diligenter annotavit Merillius *lib.* 1. *Obſ. cap.* 20. & *ſeq.*

c His enim familiare erat μεσην οδον τεμνειν; unde *erciſcundi* dicuntur Servio ad *III. Æneid. verſ.* 68. & Chryſippus *arbiter honorarius* vocatur apud Cicer. *de fato cap.* 17.

d Unde Φιλοσοφος Επικτητειος appellatur a Suida. V. Cl. Jo. Albertus Fabricius Biblioth. Græcæ *lib. IV. c.* 8. alium facit a Philoſopho Juriſ-

composuisse, vidimus supra: Et ecce Vobis Ælium Marcianum, qui tempore Severi Stoicam sapientiam *summam* appellavit: [a] nonne & hunc sectam, quam extollit, & ex cujus libris definitionem legis depromit, secutum existimatis? Titum porro Gajum qui Stoicum negat, hunc insanum non sanus juret Orestes: naturam enim pro Deo accipit, & partum ancillæ in fructu esse, absurdum putat; quia a Stoicis acceperat, Deum hominum gratia omnes fructus comparasse. In Sexto Pomponio, quis unquam inficiabitur, curam, quam habuit, verborum, commendationem patriæ, consulatus contemtum, & genus illud corporum, quod *uno spiritu* contineri scripsit, mentem Stoicam indicare? [b] Sapientissimus Papinianus, nisi sanguine suo præclaram Stoicorum constantiam obsignasset, vel hoc sectam proderet, quod beneficio affici hominem hominis interesse ait, quodque partum nondum editum, latens viscerum maternorum onus, spem tantum animantis, non hominem esse agnoscit. [c] De Ulpiano, JCtorum coryphæo, præstat tacere, quam pauca loqui, tot tamque illustria hujus disciplinæ vestigia in fragmentis ejus supersunt. Mentiar, nisi plus decem in unico titulo de Justitia & jure reperiuntur. Florentinus ibidem cognationem a natura inter omnes constitutam commendat, quod purum putum Stoicum est. Et singula quid referam? Idem principium, idem finis, eadem omnium doctrinarum radix apud Stoicos, quæ apud Jurisconsultos. Capitalis hæc illorum erat sententia: Solum bonum esse, quod honestum; & primum juris præceptum est, honeste vivere. Illi virtutem constantia metiuntur: nostris Justitia constans definitur & perpetua volun-

consultum, cujus in Pandectis fit mentio: sed vide *l. 2. §. 1. D. de Jure fisci.*

[a] *L. 2. D. de Legib.*

[b] Vide B. H. Reinoldi, Antecessoris Viadrini, civis & amici mei Clarissimi, Orationem eruditissimam de Sexto Pomponio pag 22.

[c] Plura dixi in vita Papiniani *c.* 9.

tas. Illis fides summum est humani pectoris bonum; nostri etiam nil tam congruum fidei humanæ habent, quam ea, quæ inter homines placuerunt servare; nil esse gravius, quam fidem fallere, inculcant. Utrorumque sancta illa, & tantum non Christiana vox ubivis resonat: Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & contra bonos mores sunt, ea nec facere nos posse credendum est. Dies me deficeret, si omnia dicendi genera, regulas & principia, e Porticu deducta, adferre & explicare vellem. Summus in libris nostris libertatis favor, odium servitutis, infantiæ ac pubertatis terminus, dolus bonus, αυτοχειρια, usuræ natura non provenientes, spiritus cuncta permeans, naturalis motus arboris, pœna levis abacti partus, expositio infantum, vir bonus, fatum, vis divina, & sexcenta id genus alia a Stoicis promanarunt; quorum explicationem qui illotis manibus aggrediuntur, næ! illi non aliter agunt, quam si dent operam, ut cum ratione insaniant. Ne primæ quidem, quas dupondius ediscit, definitiones justitiæ, Jurisprudentiæ, juris naturæ, libertatis & servitutis, sine hujus Philosophiæ luce, intelligi aut recte explicari possunt.

I nunc, Paganine Gaudenti, & veteres Jurisconsultos a Stoicis non esse imbutos, porro contende. Ite nunc Aristotelis amici, & ex Ethicis vestris Romanum jus, si Diis placet, illustrate. Ite cauti, & discite, qua via ad secretiora ejus adyta sit eundum. Huc etiam adeste priscæ Philosophiæ hostes, leguleji & formularum cantores, qui legum & paragraphorum cognitione juris studium absolvi putatis: adeste & cernite, qua domo profluxerit sanctissimus juris nostri thesaurus, & quibus subsidiis opus sit, ad veterum fragmenta recte explicanda. Vos denique hic notandi estis vitio creati Jurisprudentiæ Censores, qui omnem Romanorum disciplinam, tanquam Reip. nostræ non modo inutilem, sed & perniciosam, immo ut litium fomitem, e foris nostris eliminandam, ad ravim usque clamatis. At vero

ro illa non est inventum hominum otiosorum, non vana atque inania præcepta ejus auctores secuti; sed sancta, recta, fortia, a Christianorum regulis haud longe aliena. Erravit, fateor, in multis Stoicorum schola; fatuum est eorum fatum; providentia anus fatidica; ambitio & μεγαληγορία, quæ tam sollicitos eos habuit, inanis mentium fuit sagina; hominum animas falso docebant ex ipsa Numinis substantia ortas; naturæ & fortunæ munera bonis annumeranda, sine ratione negabant; in doctrina circa voluntatem peccarunt in excessu & defectu; perperam æqualia dixerunt peccata; pessime deinceps αὐτοχειρίαν, παιδεραστίαν, & quosvis incestus, tanquam res medias, permiserunt. [a] At cogitemus, homines eos fuisse, non Deos, errasse & alias sectas; nec mirum! ethnici de Deo & mentis immortalitate non satis erant certi, unde omnia eorum dogmata, præclara licet & splendida, lubrico fundamento innitebantur. Neque omnibus in Porticu eadem de illis sententia sedit. Aliter Diodoto, aliter Chrysippo, Philoni aliter placebat: Herillus & Aristo multum ab Zenone præceptore suo discesserunt; Posidonius sectam deserere maluit, quam veritatem; & Athenodorus in bibliotheca Pergamena e libris erasit, quæ male a Stoicis dicta essent. Absit igitur, ob Zenonis & Chrysippi impias quasdam & ridiculas doctrinas, totam sectam insectemur; ipso Zenone nemo vixit continentior, aliaque is & ejus discipuli principia vivendi, alia differendi habuerunt. Paradoxa eorum prima specie miranda & incredibilia videntur: at si curatius ea inspexeris, non nisi verborum insolentia oculos mentemque offendunt: Cicero, in oratione pro Muræna, ceu duriora & asperiora ea perstringit, quam quidem natura aut veritas patiatur: sed tempori & instituto tum serviebat callidus orator, ut Catoni Stoico invidiam moveret, qui in petitione Consulatus

Gggg 2 Mu-

a Vide omnino Plutarchi duos libellos, quibus contra Stoicos pugnat; item J. Franc. Buddei V. Cl. *Exercitationes IV. de erroribus Stoicorum*, & infra Orat. III. *de Vera, non simulata, Jctorum Philosophia.*

Murænæ vehementer adversabatur; & bene est, quod ipse alibi [a] fatetur, aliquid coronæ datum esse. Sed hæc, & quæ alia pro Paganino adferri possunt, Deo volente, fusius in dissertationibus nostris disputabimus. Nunc sufficit constare, id quod demonstrandum suscepimus, Stoicam Philosophiam plurimum Romæ valuisse, eam Jurisconsultorum studiis fuisse accomodatam, & plerorumque horum fragmenta Stoæ doctrinas redolere.

Quod igitur superest, ad Vos me converto, omnium facultatum Professores Clarissimi, Collegæ atque Amici honorandi. Stipes sim, nisi læter, & maximo mihi honori ducam, in Amplissimum Ordinem vestrum adscitum esse, cujus singularia in Ecclesiam, in Rempublicam, inque bonas litteras merita Orbi erudito patent, mihique jam dudum sunt perspecta. Valedixit Vobis pridie hujus diei Reinoldus vester, vir ingenii & eruditionis gloria clarissimus, vir omnibus carus, mihi vero propter communem patriam, & communia studiorum sacra ab antiquo conjunctissimus. Quod si eundem, quo ille gavisus est, amorem a Vobis impetrare potero, nil erit quod amplius optem. Eadem certe modestia, facilitate & continentia, si non passibus æquis, quacunque tamen ratione, Vos demereri conabor; nec sciens committam, ut benevolentiæ vestræ Vos unquam pœnitere queat. Tecum præcipue Juris consultissime Summermanne, quem mihi arctiore necessitudinis vinculo jungit ejusdem muneris ac laboris societas, tecum, ita vivam, ita valeam, pacem & concordiam religiose colere, fixum immotumque animo sedet. Mihi prius hæc exscindatur lingua, quam ut rixis aut inani velitatione otia tua, vestra, aut cujuscunque alterius non lacessitus turbem, quæ sanctissimis Musis Themidique sunt dedicata. Juliani Impera-

a Lib. IV. de Finib. cap. 27. *Cum L. Murænam te accusante defenderem, apud imperitos tum illa dicta sunt: aliquid etiam coronæ datum.*

peratoris aureum illud præceptum: [a] *Magistros studiorum Doctoresque excellere oportet, moribus primum, deinde facundia,* semper apud me valebit. Vos idem si observare pergetis, novis auctibus quotidie florescet hæc bonarum artium officina: templum hoc concordiæ, pietatis & sapientiæ sedes erit, in quo virtutis Vestræ monumentum stabit ære perennius, quod nec imber edax, nec Aquilo impotens, nec fuga temporum destruere possit.

Nunc tandem & Vos compello, Nobilissimi atque Ornatissimi Studiosi, o cara mihi pectora! præsertim qui sacris nostris estis initiati. Vestrum caussa Clementissimus Rex hunc publici Doctoris locum me occupare jussit: Vobis etiam ex hoc tempore meæ curæ, mei labores, vigiliæ meæ sunt consecratæ. Audivistis, quam arcto connubio Philosophia moralis & Jurisprudentia sint conjuncta. Cavete igitur ne, quod stolidissimi olim Trimalcionis tumulo inscriptum refert Petronius, idem & titulis vestris inscribi possit: *Nec unquam Philosophum audivit.* Paulo rectius Trioptolemus apud Ennium suadebat: *Philosophandum esse paucis.* Vos autem veterem illam & regiam in studiis vestris insistite viam, quam Tuberones, Rutilii, Scævolæ, Sulpitii, ceterique Heroës, nati melioribus annis, tenuerunt. Hi quippe ad civilem sapientiam non accedebant, nisi largo philosophiæ flumine essent inundati. Hæc illis Amaltheæ cornu erat, ex quo, quicquid libebat, in usum suum depromere licebat. Hæc etiam est germana Jurisprudentiæ soror, lex vitæ, quæ nunc adolescentiam vestram alit, olim senectutem oblectat, secundas res ornat, adversis perfugium ac solatium præbet. Sine hac quid, quæso, omnis hæc vita vestra? Nonne mors & spurcum cadaver? Finis instat fabulæ, quam agitis; & aliquando scenæ hujus vela erunt complicanda. Stoicos igitur Vobis imitandos proponite, viros graves, viros sanctos, boni & æqui custodes; cum his studiorum vestrorum certum finem concipite, miserisque

[a] In *l. 7. C. de Prof. & Med.*

que viatica canis. Horum dogmata, [a] si bene imbiberitis, ad sacra nostra accedite. Leve Vobis erit, quod a plerisque, tanquam ingens saxum, volvitur Juris corpus, & cum Scævola affirmabitis, nullius artis, quam Jurisprudentiæ, scientiam videri faciliorem. Cottam accepimus, eodem die, quo togam virilem sumsit, Carbonem postulasse. Plinius ipse refert, se adolescentulum caussam Julii Pastoris egisse: Celsus quoque adulescens de Jure scripsit, & Nerva filius anno ætatis septimo decimo publice de jure responsitavit. Vos etiam si horum exemplo doctrinam de moribus, Dialecticam, Grammaticam, Historiam & Antiquitates præmittetis, facile & mature cognoscetis ea, quæ alii toto vitæ suæ tempore, vix credendis laboribus, raro aut nunquam assequuntur. Me non morosum patruum, sed ducem habebitis, comitem & familiarem. Limpidos Vobis propinabo juris Romani, juris profecto sancti & æqui, fontes; in ipsa Themidis penetralia Vos deducam; nec leges tantum, sed & earum usum, vim & potestatem Vos tenere docebo. Sic itaque, carissimi Commilitones, me totum, Vestris commodis unice intentum, nunc accipite; & vosmetipsos tam diligentes ostendite, ut a necessariis aliquando dotibus instructi, Reip. Rectores, Regum ac Principum Consiliarii, Judices, Doctores, caussarum Patroni evadere, & gloriosæ vocis confisi munimine, in publicis privatisque rebus, lapsa erigere, fatigata reparare, laborantium spem, vitam & posteros tueri queatis. Virtus, credite mihi, repulsæ nescia sordidæ, intaminatis fulget honoribus!

D I X I.

a Persius ea breviter complexus est *Sat. III.* verbis pulcherrimis:

Discite mortales, & caussas cognoscite rerum,
Quid sumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quam mollis flexus & unde,
Quis modus argento; quid fas optare, quid asper
Utile nummus habet: Patriæ carisque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te Deus esse
Jussit, & humana qua parte locatus es in re.



ORATIO INAUGURALIS,

SECUNDA,

DE

JURE IMPERATORIS ET STATUUM IMPERII CIRCA SACRA,

Habita Trajecti a. d. XVIII. Novembr. MDCCXX.

Tertullianus Apologet. c. XXIV.

Videte, ne & hoc ad irrelegiositatis elogium concurrat, adimere libertatem Religionis, & interdicere optionem divinitatis, ut non liceat mihi colere, quod velim, sed cogar colere, quem nolim. Nemo se ab invito coli velit, ne homo quidem.



QUod nunquam fore putavi, ut officium & operam meam sibi aliquando deposceret Respublica, cui Ecclesia hospitium, litteræ splendorem, universus terrarum orbis Libertatis, Fœderis & Pacis exemplum debet, id ante hos menses septem accidit; quum Amplissimi Urbis hujus Proceres ad celeberrimam hanc suam Academiam me vocarunt, ut immortalitati operarer, & florem Juventutis, in varia Juris disciplina erudirem. Non equidem dissimulo, continuos inter labores forenses, quos Pro-

Professionis prioris imponebat ratio, optabile nonnunquam visum fuisse hujuscemodi munus, quod arctiore vinculo me jungeret cum Musis amœnioribus, omneque otium ac requiem in studiis humanitatis & litterarum collocare pateretur. At qui necdum usu satis firmatus, ingenio autem parum me posse sciebam, sapientissimum illud: quod vix quisquam sua contentus vivat sorte, seu Ratio eam dederit, sive Fortuna objecerit, in memoriam revocabam. Pietas item, quam debeo BORUSSORUM REGI, Magno, Potenti, Patriæ meæ Patri clementissimo; tum suavis omnium fere Collegarum, Affinium & Amicorum necessitudo vincula injiciebat; & res mea omnis Duisburgi jam ita composita erat, ut cœlum & mores mutare difficile videretur. Inde quid consilii mihi fuerit, Patres Conscripti, ut legi codicillos, benevolæ voluntatis vestræ nuntios, facile conjicitis. Certe inter spem & metum suspensus, atque in deliberando animus erat distractus, ita multa succurrebant in partem utramque. Non poterat non gaudio me cumulare judicium tantorum Virorum, de me, at homine ignoto, nec annis gravi, benignum. Arridebat valde invitatio in Urbem, Fœderatarum antiquissimam, amœnissimam & splendidissimam, non Præsulum modo quondam, sed & Imperatorum sedem. Nihil deinde ad gloriam amplius esse videbatur, quam cooptari in collegium tot eruditissimorum virorum, quibus superbit hæc Studiorum Mater, quorumque in partibus sibi creditis quilibet, Deorum hominumque irruentem barbariem avertit, jamque labantes, immo casuras Musas sustinet feliciter.

Atat pudorem fronti mox incutiebat tenuitatis meæ conscientia: nihil enim hactenus, nisi exiguos quosdam de Jurisprudentia bene merendi conatus, in me deprehendi; quos modo eruditionis inopia, modo memoriæ infelicitas, modo alia, irritos semper reddiderunt. Pudorem rubor consequebatur; cum inde per aliquot annorum gradus, ad hæc usque tempora, intuebar Jurisconsultos, qui in hac

Le-

Legum nutrice famam ſunt ingreſſi, Matthæos, Schotanos, Voetios, Moreeſios, Noodtios, Coccejos, Pollios, Vitriarios, Viros magnos, totidem Scævolas & Papinianos, in quorum ſucceſſurus locum Herculis cothurnos infans mihi aptare videbar. Provinciæ deinceps ſuſcipiendæ varietas & difficultas ante oculos obverſabatur: neque enim leves aut exigui uſus res, ſed Imperantium majeſtas, populorum libertas, Principum ſucceſſiones, tituli, controverſiæ, fœdera, pactiones; univerſum denique Belli & Pacis jus; publicum & privatum, divinum & humanum; cum magna vigilandi, laborandi, contendendi omnes induſtriæ nervos neceſſitate, pro parte virili, mihi committebantur.

Scio, ita natura comparatum eſſe, ut de facultatibus ſuis amplius, quam in his eſt, multi ſperent, & majora ſuſtinere ſe poſſe exiſtiment, quam vires patiuntur. Ego vero, mecum habitans, oneris ſuſcipiendi gravitatem ſuis momentis examinavi, atque, perpenſis & ſubductis ſingulis, humeros ei impares deprehendi; unica autem illa admiranda Dei Optimi Maximi providentia me traxit in partem hanc affirmantem. Illi ſoli corde & animo, a primis incunabulis, fiſus ſum; is per omne, quod in priore ſtatione exegi, ſexennium actionibus meis benedixit: is etiam vocationis hujus auctor, animos Veſtros, Ampliſſimi Viri, inflexit; ut me, id neque merentem neque exſpectantem, ultro hoc honore dignum habueritis; & animi fuerit anguſti deſperaſſe, quin idem benignus Pater faventes mihi Patronos, amicos Collegas, & ſedulos Auditores, pro inexhauſta bonitate ſua, largiter ſit conciliaturus.

Vel abſens autem mihi apud animum repræſentavi, in quanta Clariſſimorum atque omne genus eruditiſſimorum Virorum corona, verba mihi facienda forent: altera hinc naſcebatur ſolicitudo, ut tale dicendi reperirem argumentum, quod & doctis auribus veſtris quodammodo ſatisfaceret; & muneri, quod amplector, conveniret. Non aliud vero ſe offerebat, in quo plus aut gravitatis, aut utilitatis, hoc

præsertim tempore, inesse videretur; quam si distinctius inquirerem, cuinam potestas circa sacra in Germania, & quousque competat? Quæ capitalis & ardua quæstio, olim inter ejusdem fidei cultores, inter Regnum, inquam, & Sacerdotium, [a] multa cum cæde & sanguine disceptata est: nunc vero inter Protestantes & Romani pontificatus assertores, in tertium usque sæculum ventilatur. *Capitalem* appellavi hanc controversiam, quia jus circa sacra ita cum publico rerum omnium statu copulatum est, nemo ut de eo dicere possit, quin de omni simul Republica loquatur. *Arduam* vero, cum propter studia partium, gliscentibus in dies odiis inflammata, tum etiam propter varia judiciorum de Legibus Imperii discrimina; quæ non potuerunt non parere, in Scholis, Curiis, ipsisque adeo sacris cœtibus immanem perturbationem.

Argumentum, opinor, neque Vestra attentione indignum, neque a disciplinis, quas profitebor, alienum. Quod si enim ad Vos, Nobilissimi Viri, oculos converto, de jure circa sacra dicturus, facilem & expeditam hic loci provinciam suscipere videbar, quia plerorumque parentes sanctissimi adversus injustos dominatus, alterum Hispanicum, alterum Romanum, magno animo, consilio & viribus, ad libertatem conscientiæ, æternam sibi posterisque muniverunt viam, & pietatis professionem capitis periculo redemerunt. Nec zelus Vester puriora sacra ad curam suam revocare desinit; isthoc enim consilio Urbis sumtibus erecta est, & sustentatur hæc litterariæ sapientiæ Pharus; constituti tot Mystæ probi, fideles, sancte eruditi, qui fomenta gregibus suis vera sufficiunt. Unde & Civitatem hanc, ceu purgatæ religionis columen, Dei manus tot beneficiis pigneratam tenet, ut de summa ejus erga Vos benignitate nulli dubitare possitis. Laudant Germani fortunas Vestras, quod Jovis Capitolini fulmina nullius capitis im-

[a] Ursperg. Chron. A. 1102, fol. 184. *Inter Regnum & Sacerdotium unitas tot annis scissa.*

imminent; nullius famæ, vitæ & libertati sacrificulus insidiatur; nulli, quod Divos Divasque non satis religiose coluit, invidia creatur; nec ingratum Vobis erit audivisse, quo pacto alma Evangelii veritas in Germania sit restaurata, ejusque intemerata professio exerceatur.

Ad me vero quod attinet, non metuo finium regundorum judicium, quasi aliorum possessiones invasurus. Juris Naturæ & Publici professionem in primis aggredior; at recta ratio exercitium juris circa sacra certis cancellis definivit, quos ne Principi quidem, legibus soluto, excedere fas est. Publicum vero jus *in sacris*, *in sacerdotibus*, *in magistratibus consistere*, jam olim dixit Ulpianus.[a] Is pariter ac reliqui Jurisconsulti veteres, nati melioribus annis, jus Pontificium & augurale, eadem necessitate tractarunt, qua jus civile. Scævola, Crassus, Nerva, Trebatius, Capito, Sulpitius, aliique, vel Pontifices Maximi fuerunt, vel de religionibus, de rebus divinis, de jure sacrificiorum, de sacris detestandis commentaria scripserunt. Quin, paganos ut præteream, si Tertulliano causarum Patrono laudi ducitur, quod veritatem religionis Christianæ adversus heterodoxos propugnavit; quanto minus mihi vitio versum iri confido, si diversas illas vicissitudines & periculosos eventus, Vobis inaugurali hoc sermone exposuero, per quos trium religionum dispositio in hunc statum est deducta. Melius, credo, isthæc & uberius tractari posse ab his, qui pro muneris sui ratione curam gerunt divinorum; sed quia cum Jureconsultis negotium vertitur, jam diu Jus Ecclesiasticum nobilissima juris Publici portio esse cœpit: publicas item pacis Passaviensis, Augustanæ & Westphalicæ tabulas, Ordo sibi vindicavit noster, ex quo rara illa temporum felicitas Germaniæ affulsit, ut sentire licuerit quod velis, & dicere quod sentias. Ante reformationis tempora sepulta jacuit juris Publici disciplina, nec ullum habuit lumen litterarum; sive quod incerta ejus tum ratio; sive quod meræ

[a] *L.* 1. §. 2. *D. de Just. & jure.*

adhuc in rerum civilium uſu tenebræ; ſive deinceps quod rem ipſam tenere majores, quam periculoſe de ea diſputare maluerunt. Fatale autem religionis diſſidium multis quæſtionibus anſam dedit, ut Status Evangelici de jure & Imperatoris, & ſuo, & Conſtatuum certiores redderentur.[a]

His itaque intentus, non moleſtus Vobis ero enarratione variarum, quæ ad jus circa ſacra pertinent, ſententiarum; nec Albutii Rhetoris exemplo dicam, quicquid dici poteſt. Marcus Antonius de Dominis, Hugo Grotius, Hermannus Conringius, & maxime Samuel Puſendorfius, ſcriptis in ſæcula ituris, rem ſatis prolixe excuſſerunt.[b] Nec ignota Vobis reor Epiſcopalium, Puritanorum, Browniſtarum, Independentium, Quakerorum, Eraſtianorum aut Presbyterianorum dogmata, quorum ſpecimen hæc ipſa Belgica tempore Leiceſterano, paulo poſt vicina Britannia habuit.[c] Duplex autem hominum genus Germaniæ inprimis funeſtum fuit. Quotquot enim magnum Præſulem Romanum colunt, huic uni omnia tribuunt, tanquam Chriſti Vicario, & judici falli neſcio ſacrarum controverſiarum. Imperantibus vero adeo nihil relinquitur, ut eos jure ſuo optimo maximo utentes, cum Ozia Rege. jus adolendi invadere clamitent, ſola tantum ſævitiæ ſacerdotalis apparitura, & executione eorum, quæ manum requirunt, ipſis addicta.[d] Alii contra in alterum extremum prolabentes Hobbeſiani, eadem Principibus circa ſacra, quæ circa civilia, competere ſtatuunt, ideoque fas ipſis eſſe civium conſcientiis imperare,

[a] V. Hortleder *de C. B. G. t. 2. l. 2. c. 5. ſeqq.*

[b] Rectum, de his aliiſque huc pertinentibus ſcriptoribus, judicium tulit Ill. Thomaſius, in *Hiſtoria contentionis inter Imperium & Sacerdotium.*

[c] Confer Grot. *l. v. Annal. Belg. ad A.* 1586. & Huberi *Hiſt. Civ. p.* 11. *lib.* 2. *Sect.* 1. *cap.* 21. & *Sect.* 2. *c.* 16.

[d] Qua occaſione eadem ſententia reformatæ religionis Presbyteros, in Fœderata Belgica invaſerit, tradit Grotius *lib.* XVII. *Hiſt. Belg. ad A.* 1608. & *in Apolog. c.* 7.

perare, hosque indicta causa, & erroris ne quidem convictos, vi pœnisque, ad ejuranda sua, amplectenda aliena sacra compellere: quo ipso suas ipsi conscientias sauciant, & Principes, Patriæ Patrum loco, infensissimos sese subjectorum hostes ostendunt. Ad leges Imperii si rem exigamus, distinctius nonnulla exprimi potuisse, inficiari nolim: absit autem in mentem, nedum in sermones publicos veniat, Instrumentum Pacis, discordiarum fomitem esse, illudque nasi plumbei, aut regulæ cereæ instar, in cujusque sententiam inflecti posse. Nondum eo perventum est; ut de corrigendis, quæ intra & extra Iliacos muros peccantur, desperari debeat. Jam enim præsentibus argumentis augurari licet, a Carolo VI. Sapientissimo Imperatore, & sæculi nostri Camillo, excitatum iri, quæ jacent tam diuturnis dissensionibus prostrata. Concurrant modo omnes non improbi Germaniæ cives, atque aquam infundant in sacrum hunc ignem; ut ne dissidiorum facibus, a turbida religione accensis, solvatur Imperii compages, per se sat irregularis; sed jugo potius omni excusso, primigenia libertas restituatur.

Procul igitur amore nostrarum partium, solo patriæ Reipublicæ & recti verique studio ductus; sine felle, sine ira, sine malevolentia, sed ea, quæ conditionis nostræ homines decet, moderatione; animo item a sæculi nostri controversiis ac factis singularibus abstracto, de *Jure Imperatoris & Statuum Imperii circa sacra* differam, & ne vagari cogatur oratio, tribus ea capitibus concludetur. Primo enim Ecclesiam non omnino statum esse ab imperio civili separatum ostendam. Deinde universum jus circa sacra initio apud Imperatores, post apud Ordines Imperii fuisse demonstrabo. Postremo autem modum exercendi juris illius, ex legibus Imperii, qua potero brevitate, proponam.

Dabitis veniam, Auditores, si in tam pulchro Orationis argumento non ea methodo, elegantia & perspicuitate, quam quidem illius dignitas, & illustris hujus Panegyris expecta-

 tio

tio postulabat, versatus fuero. Neque enim in Rhetorum scholis educatus sum, neque lepores, calamistri, aut orationis exaggeratæ pompa tempori & fortunæ meæ conveniebant. Morbus iste gravis & diutinus, pertinax votorum meorum morator, igniculos, si qui fuerunt, eloquentiæ exstinxit. Ad vestræ igitur humanitatis aras confugio, ut tenuitatem meam Vestro favore & silentio adjuvetis.

Sacrorum appellatio late patet: nobis cultus divini rationem in se spectatam potissimum notat. Fuit ille varius ab orbe condito. Aliis quippe gentibus Deus Optimus Maximus insculpsit tantum religionem naturalem, quæ ad felicitatem in vita civili obtinendam tendit; aliis vero cœlitus aliquid superadditum est, quod æterna simul bona pollicetur: sæpius autem in hac vita ærumnas magis, quam sortem beatam, exspectare jubet. Religionis naturalis primum principium est, Deum & esse, & ab eo curari res humanas.[a] Quæ notio tam universalis est, nulla ut gens unquam adeo extra mores legesque fuerit projecta, quæ in eam non consenserit; Deumque istum pura mente esse colendum, in eo acquiescendum, in ipsum sperandum; & omnia ejus jussa accurate observanda esse, habuerit persuasissimum. Ad hæc autem luminis naturalis instrumenta, a Gentium Philosophis exculta, statim accesserat revelatio Dei specialis, protoplastis facta: quæ in Ebræorum Ecclesia diu asservata, a Christo autem Salvatore, tam scriptis Prophetarum, quam innumeris miraculis confirmata, tandemque fido Apostolorum testimonio per universum, qua late patet, terrarum orbem est promulgata: quod Evangelium, seu nova salutis formula, Veteris & Novi Instrumenti voluminibus continetur.

Jam

[a] Paulus *ad Rom. c.* 1. *&* 2. *Ebr.* xi. *vs.* 6. Seneca epist. 95. *Primus est Deorum cultus, Deos credere: deinde reddere illis majestatem suam; reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est. Scire illos esse, qui præsident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt.* Add. Grot. *l.* 2. *c.* 20. §. 46.

Jam vero neminem vestrum dubitare arbitror; quin Reges & Principes, velut Dei ministri, utriusque tabulæ custodes ac vindices, in id instituti sint, ut ad vitam tranquillam, in omni honestate & pietate degendam, perducant subjectos; ut bona præcipiant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad societatem, sed & ad divinam religionem. Hoc summi imperii indoles exposcit: civitatum natura suadet: divina Oracula confirmant, & consensus omnium quotquot, extra Hebræam, fuerunt Rerumpublicarum. Enimvero summi istæc est conditio, nihil ut illud effugiat, nihil exæquet, nedum superet; sed omnia, nominatim a Deo, vel hominibus in societatem coeuntibus non excepta, vasto suo ambitu complectatur. Majestas Coronæ imagine depingitur; quia ejus naturæ est, ut parte amissa substantiam suam amittat. Una porro navis quemadmodum ab uno gubernatore regitur, sic quicquid sub imperium cadit, imperanti subjiciamus oportet; nisi monstrum Reipublicæ in Republica fingere velimus: quo nihil dissolvendo regimini paratius dici potest. Civitates, fateor, religionis causa non sunt constitutæ: hæc enim in segregibus familiis obtineri poterat; ex voto tamen optimarum scopus & felicitas consistit in eo, ut cives secundum virtutes operentur, & quantum satis est corporis aut fortunæ bonorum habere queant.[a] Inter virtutes morales præcipua est pietas in Deum, gravissimum & sanctissimum illud nomen, fundamentum & basis omnis honestatis. Hoc vinculo sublato non domus ulla, non civitas, non societas humani generis, non ipsa denique fides & justitia, excellentissimæ illæ virtutes, stare, aut temporis momentum se tueri possunt. Solem profecto e mundo detrahat necesse est, qui Dei timorem e civitatibus expunxerit; neque enim minor confusio erit, quam si in altissimis tenebris vita transigatur. Aufer præmia & pœnas, remove vindicem illum Dei oculum; & homine, animali per se indomito, nihil erit immanius, nihil

[a] Aristot. *l.* VII. Polit. *c.* 2.

hil efferatius, nullo non scelere clam se polluet, & palam omnia sibi licere putabit, modo superior promittat impunitatem. Quemadmodum corpus sine anima putridum cadaver: sic Respublica sine religione colluvies quædam prædonum est; quorum alii per juga vagantur; alii in speluncis, ferarum more, stabulantur; omnes, quo error ducit, sequuntur. Nec minus malum Reipublicæ imminet, si anilis Deorum timor civium imbecillitatem occupat. Insanus quippe error est superstitio, ex Physicæ ignorantia plerumque exortus: amandos timet, quos colit violat, rectam religionem in suspicionem falsitatis perducit; & vulgi animos, nunc inani metu terret, nunc ad ardua stulto consilio audenda invitat. Ne quis igitur malo exemplo felicitatem communem turbare velit, interest civitatis impietatem & superstitionem, quæque similia naturalismi, deismi, indifferentismi, rariora pristinis, quam nostris temporibus, sunt portenta, procul eliminari, & contra sanctissime custodiri religionem sacrorum, propugnaculum illud potestatis, vinculum disciplinæ, omnis societatis coagulum & legislationis fundamentum.

Face & viatico mihi opus foret, si ad Reges [a] & Magistratus gentilium, qui jus circa sacra sibi vindicarunt, excurrere luberet: iter enim est longum, multisque præstantissimis viris tritum, nec tamen cum insigni fructu. Pagani quippe, licet ex operibus naturæ ad notitiam Numinis perducti essent, totam suam de Diis immortalibus opinionem ad rationes Reipublicæ peculiares, atque retinendam in obsequio plebem accomodarunt: ut profecto mirum fuerit, si non risit aruspex Hetruscus, aruspicem cum vidisset.

[a] Aristot. III. Polit. XI. *Rex*, inquit, *dux belli erat*, *Judex controversiarum*, *& Dominus cærimoniarum erga Deos.* Quod de Anio Rege Virgilius III. *Æneid.* 80. cecinit, id ad Romanorum Impp. Servius ibi revocavit: *Sane majorum hæc erat consuetudo, ut Rex esset etiam Sacerdos vel Pontifex*; *unde hodieque Imperatores dicunt Pontifices.* Adde Casaubon. *ad Sueton. Aug. c.* 31. & *ad Spartiani Hadrian. c.* 22. Spanhem. *de Præst. & us. num. diss.* 12.

diſſet. Attamen vix mihi tempero, quin unicos Romanos, orbis quondam dominos gentemque togatam, in exemplum Vobis adducam: non quod cum aliis exiſtimem, ex coloſſo Nebucadnezaris, & Beſtiis quatuor Danielis, durare quartam Monarchiam, atque a vetere Romanorum imperio ad noſtrum argumentum duci poſſe; abſit! ſed quia rem puto eſſe, quod gloriari auſus eſt Tullius, [a] populum hunc, non calliditate aut robore, verum pietate & religione omnes nationes ſuperaſſe. Ipſi Patres evectum a Deo horum imperium exiſtimarunt, quod cordi illis eſſet religio, quamvis falſa; quodque ſummum hominis officium, etſi non reipſa, tamen propoſito, tenerent. Romulus auſpiciis, Numa conſtitutis ſacris fundamenta jecerunt civitatis. Decemviri de rebus ſacris Tabulam decimam fixerunt. Populus Domitiam, Liciniam, aliasque de ſacerdotiis tulit leges. Flamini plus quam trinoctium Urbe abeſſe, aut equo vehi permiſſum non fuit; ne longius evagaretur, ſacris deſertis. Senatus plus ſemel negotium Magiſtratibus dedit, viderent ne quid detrimenti a peregrinis ſacris Reſpublica acciperet. Judicabant enim viri, juris divini & humani prudentiſſimi, nihil æque diſſolvendæ religionis eſſe, quam ſi non patrio, ſed externo ritu ſacrificaretur. Horum auſpiciis Epicurei, divinam providentiam negantes, Urbe ejecti, tanquam injuſtitiæ & nequitiæ Patroni. Pulſi Chaldæi & Sabazii, mores antiquos corrumpere nati: impii itidem Bacchanalium furores repreſſi Senatusconſulto Marciano, & Liber Pater cum myſteriis ſuis non Roma tantum, ſed ex univerſa Italia abire juſſus. [b] Occupata Republica ad arbitrium Principis jus illud maximum delatum eſt, ut Deorum munere, ſummus Pontificum etiam ſummus hominum haberetur. Quod ſi autem novi Dei adſciſcendi, vel repu-

 diandi,

[a] *De Haruſp. Reſp.*
[b] Hujus Sčti Hiſtoriam prolixe deſcribit Livius *l.* 39. *c.* 8. *ſeqq.* ipſum vero S.tum nuper erudite reſtituit, & notis illuſtravit Ampliſſ. Binckersh. *Opuſc. pag.* 261.

diandi, initio Senatus jus mansit: donec illi, firmato magis imperio, omnem sacrorum potestatem sibi vindicarunt.[a]

Nec aliter in spissis & Cimmeriis illis paganicæ religionis tenebris, res se habere potuit. Quæ enim ad beatitudinem civitatis vere & proprie facit religio, ut omnis naturalis, imperio & legibus subjacet; non ut mutationem ab his recipiat, sed ut Majestas ad eam pariter, ac ad alias virtutes, qua præmiis qua pœnis, cives adstringat.[b] Mentium Rex solus Deus est, nec cogitationis pœnas humanas patitur, qui male de Deo sentit, sed sibi. Mortalium autem perditissimis, qui nec jus, nec fas, nec divina, nec humana curant, Dei vero numen suis cupiditatibus prætendunt, ac propagandis monstris illustres fieri volunt, his, inquam, mundi fæcibus non modo, ne veniant, civitate interdici; sed etiam, dum ibi sunt, exilium injungi potest. Scabiosæ oves sicut a caulis repelluntur, atque Arianos ut Constantinus, Nestorium Theodosius, alii alios, tentatis priùs omnibus, aliorsum deportari præceperunt: ita huc pertinent ex ipso Acheronte prognatæ atque inferis dignæ doctrinæ: numen non esse, sed solis terroribus fingi; fictos Deos & dæmones esse colendos; religionibus sicut vestibus utendum, quæque id genus alia, luxato & in dubium vocato rectæ rationis dictamine, docendo vel scribendo, contra leges,

a Memorabile decretum vetus Tertullianus refert *in Apolog. c.* 5. quo Tiberius Christum inter Deos accipere prohibitus est. Sed Dionis Cassii & Zosimi temporibus non erat sic. Vide illum *lib.* 53. hunc *lib.* IV. *c.* 36. & omnino Tanaq. Fabrum *t.* 2. *ep.* 12.

b Seneca III. *de Benef. c.* 6. *Violatarum religionum alibi atque alibi diversa pœna est, sed ubique aliqua.* Hanc ob causam Athenienses Paulum, de Christo verba facientem, tanquam novo aliquo Deo, prehensum deduxerunt in Areopagum, auctore Luca in *Actis c.* XVII. & Plato deum unum, a majoribus non traditum, nominare tutum non existimavit, metu Areopagi, apud Justinum Martyrem in *Exhortat. ad gent.* Adde Grot. *d. J. B. & l.* 2. *c.* 20. §. 46. Pufend. *de Habitu relig. Christ.* §. 7.

ges, contra magistratus, ab atheis disseminantur. Quod si impudentia impietati accedat, adeoque blasphemi sint, seditiosi, & turbis gravissimis boni quoque civis officia violent, minor clementiæ sit locus; [a] scindantur putridæ carnes, ut membrorum potius aliquod, quam totum corpus intereat. Nec fanaticos hic prætextus juvabit, ab errore aut conscientiæ libertate desumtus: nimis enim supinam ignorantiam aut malitiam error iste arguit, nec alma Themis sinat, ut libertas in licentiam vergat: cum idcirco omnes legum servi simus, ut liberi esse queamus.

Longe diversa autem religionis Christianæ est indoles: hæc quatenus religioni naturali multum ad vitæ æternæ felicitatem adjecit, sub imperio civilis potestatis non continetur. Homo, nisi arrhabone & sigillo Spiritus Sancti sit obsignatus, ad immortalium illam cognitionem nimis mortalis est. Dei solius esse, novimus homulli, media eo tendentia largiri: ille solus, cui vult, miseretur, & quem vult indurat idem. Nihil vinculis hic proficiet Princeps, aut pœnarum metu; quia intellectus cogi non potest. Ut edat sine mente sonum, ut sensa animi dissimulet, forte cogetur infirmus; ut credat verum esse, quod pro falso habet, cogi nequit. Et quanta quæso! absurditas, ad Regis arbitrium venerari Deum? cum ipso idololatra idolis immolare; mox cum eodem atheo Deum negare; rursus Christo maledicere, si Princeps ad Judaicas fabulas animum convertat? Quemadmodum generosi & nobiles equi facili freno regi volunt; sic homines docendo magis, quam jubendo, monendo quam minando, in gremium Ecclesiæ sunt perducendi. Hujus caput Christus, non Principis, sed Doctoris personam gessit; ipse regnum suum non esse de hoc mundo testatus est, sed regnum veritatis, quod suadendi magis auctoritatem, quam jubendi potestatem habet. Judæos obtorto collo non rapuit ad doctrinam suam; sed qui aures habet ad audiendum, audiat, ipsis inclamavit.

Iiii 2 Apo-

a Levit. XXIV. vs. 14. *Nov.* 77. *C. C. art.* 106. *R. I. de a.* 1495.

Apostolos misit binos, sine crumena, sine armis, sine imperio, patientes injuriarum, hique eos tantum, qui *libenter* verbum Christi accipiebant, baptizarunt.[a]

Procul hinc procul absit igitur Pauli IV. Pontificis Romani effatum, Inquisitionem Hispanicam, Spiritu Sancto inspirante, esse institutam. Quod si enim arma hujus militiæ cum armis majoris Pauli conferre lubet, nimis carnalia apparebunt, & ejus regni, cui præest angelus abyssi, Abaddon.[b] Deinde fructus crudelis ejusmodi lanienæ, nonne atheismus, hypocrisis, superstitio, barbaries, solitudo, odia, gladii, & venena, quæ ejus auctores a tergo sequuntur? Horret animus cogitatione rei nefandæ, quam majores Vestri magnam partem viderunt aut senserunt: una in Belgica, annis ultimis præfecturæ Margaritæ Parmensis, ad mortem rapta esse hominum non minus centum millia: Albanum autem ejus successorem, sæculi istud opprobrium, Deique flagellum, intra quinquennii spatium, octodecim hominum millia & sexcentos carnificis ministerio sustulisse, idque per speciem pietatis. O crudelitatem inauditam! o ferinam rabiem! Occidere, sævire, sanguine & vulneribus gaudere, quid est, nisi abjecto homine in plus quam silvestre animal transire? Non lupis hic mos, nec fuit leonibus unquam, nisi in dispar genus. Parta autem hisce doloribus, cædibus & rapinis fuit libertas, res omnibus metallis potior; & concussa velut tellure, nutavit Hispaniæ colossus ingens; ex quo Batavorum virtus, constrato maximis classibus Oceano, novas terras aperuit, ultraque Solis terminos imperium late porrexit. Quod si Vobis hæc nimis nota & pertrita videntur, ite per omnes annales, replicate monumentorum memoriam, & satis apparebit, ad veram religionem ac pietatem promovendam, vim nunquam profuisse. Carolus Magnus,

a *Joh.* XVIII. 36. 37. *Matth.* V. 10. *Marci* VI. 7. *Act.* II. 4. Adde Beyeri *Delineat. juris div. c.* 30.

b Conf. Limborch *Historiam inquisitionis*, & *Relation de l'inquisition de Goa*, Cl. Clericum *Bibl. sel. t.* X. 332.

gnus, Saxonum Apostolus, uti vocatur, armatus, sed magis imperii propagandi cupidus, quid, sodes, bello tricennali effecit, nisi quod plures ex nobilitate Francorum & functos summis honoribus viros consumsit? [a] Saxones namque ad Crodonis, Irmensulæ, Freæ, Ostaris, arborumque cultus ægre dimissos, canum instar ejecta devorantium, revertebantur, nec pro sacris majorum mortem oppetere recusabant. Armis nihil effectum, omnia pietati tot Episcoporum debentur. Quid porro post immanes Albigensium clades? post bella Hussitica? post Cruciatas in terram sanctam susceptas Ecclesiæ commodi accessit? In America quid profuit mactasse tot chiliadas miserorum? Dii meliora! Vastitas & solitudo ubivis inducta, ipsique barbari, nil minus quam Christiani facti, vel hoc argumento didicerunt, homines tam inhumanos cœlestibus æquipararari non posse. Ex quibus liquere Vobis arbitror, Auditores, nocuisse & nociturum semper rigorem, nec vetus illud *Ure seca*, esse e sacris nostris. [b]

Quod si autem *officium*, homini cuivis Christiano incumbens, cum summo imperio conjungamus, non minus ex natura Majestatis liquebit, Regibus & Principibus Christianis,

 stianis,

a Eginhart *c. 8. de vita Caroli.*

b Tertullianus ad Scapul. c. 11. *Humani juris & naturalis potestatis est, unicuique quod putaverit colere: nec alii obest, aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est, cogere religionem; quæ sponte suscipi debet, non vi; cum & hostiæ ab animo libente expostulentur.* Attamen hæreticos ferro & igne delere, antiquum esse, Leo Allatius *de concord. utr. Eccl. c. 13. n. 2.* & Alemannus *ad Procopii anecdota pag. 55. 56.* probare voluerunt. Rectius Agathias *lib. 1. Hist.* & Balsamo *ad Photii Nomocan. tit. IX. c. 23.* id damnarunt. Procopius etiam Justiniani consilium a sapientibus culpatum refert, quo Samaritas vi ac minis ad Christianam religionem compulit. Epistolam Theodahadi ad Just. vide apud Cassiodor. x. 26. Professa opera hanc materiam pertractarunt Lockius, Werenfelsius, Baylius, Saurinus; omnes brevitate & pondere rationum superavit Clarissimus Noodtius in Orat. *de religione ab imperio libera.*

ſtianis, non modo *jus* aliquod eſſe circa ſacra, ſed eoſdem jure naturali *obligari*, ut Eccleſiam, quatenus viſibilis eſt, & externum collegium conſtituit, alant, propagent &, quantum in ipſis eſt, adverſus turbas, lupos, falſoſque doctores defendant. [a] Fit autem hoc, ſi impenſæ ad cultum divinum neceſſariæ exhibeantur; ſcholæ religionis ſeminaria inſtituantur, Paſtores idonei Eccleſiis præficiantur; ac proba educatio modis omnibus promoveatur. Huc pertinent leges plurimæ ab Imperatoribus ad cultum Dei, & Eccleſiæ πολιτειαν; atque quietem conſtitutæ; quos inter eminent Theodoſius, Gratianus & Valentinianus, [b] quando hoc ſibi curæ eſſe profitentur, cuncti ut populi, quos clementiæ ſuæ regebat imperium, ſecundum Apoſtolicam doctrinam, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unam deitatem, ſub pia Trinitate credant. Et Juſtinianus, [c] ſi pro cauſſis, inquit, corporalibus cogitamus, quanto magis pro animarum ſalute, providentia eſt noſtræ ſolicitudinis adhibenda. Neceſſitas item & ratio decori, tantopere ab Apoſtolo commendata, ut circa ritus ſacros, perſonas & res Eccleſiaſticas, aliaque quæ aliter atque aliter ſe habere poſſunt,

a Eſa. XLIX. 23. *Reges erunt nutritii tui, & feminæ, principes eorum, nutrices tuæ.* In Hebræorum regno pii Reges, David, Salomo, Aſa, Joſaphatus, & Ezechias eam curam ſuſceperunt, etiam Deo collaudante, ut Grotius *de Imp. ſumm. pot. circa ſacra c.* 10. §. 17. oſtendit.

b *L.* 1. *C. de Summ. Trin.* Non omnia equidem & ſæva hujus tituli capita probanda ſunt, a ſacro, ut multis videtur, dominatu Imperatoribus ſuggeſta; at Theodoſium Sozomenus Hiſt. Eccl. VII. c. 12. Valentinianum Ammianus Marcellinus lib. XXX. c. 9. aliique plures, a Valeſio in notis ibi laudati, ſatis defendunt. In univerſum de Impp. Romanis teſtatur Socrates *lib.* V. *Hiſt. Eccl. proœm.* res Eccleſiæ & Clerum ab ipſis pependiſſe, ex quo Chriſtianiſmum profiteri cœperunt. Optatus lib. III. contra Parmenionem: *Donatus, furore ſuccenſus, in hæc verba erupit: Quid eſt Imperatori cum Eccleſia? Jam tunc meditabatur, contra præcepta Apoſtoli Pauli, poteſtatibus & Regibus injuriam facere.* Vide ſupra *diſſert.* 1. *pag.* 39.

c *Nov. Conſt.* 115. *c.* 2.

ſunt, aliquid ordinetur; quatenus neque Chriſtus, neque Apoſtoli, nec primitivæ Eccleſiæ praxis ea jam circumſcripſerunt. Nihil equidem ad placandum Deum facit, quo modo, quo tempore, quo loco ſacra fiant; ipſe toties teſtatus eſt, ab omni ævo ſibi diſplicuiſſe cultum ab hominibus inventum; accidit fere tamen, ut quælibet Eccleſia peculiaribus inſtitutis ſuo commodo utatur: in quibus carere nequit auctoritate civitatis; quæ ſemper nutabit, ni aculorum & hominum inepte curioſorum novationes removeantur. Nulla in re profecto periculoſius luditur; quia mens humana, vaga & inconſtans, ad novitates iſtas facile excitatur, ut omne humanum genus eſt avidum nimis auricularum. [a] Docentes in Academiis, Eccleſiis, & ſcholis, quemadmodum vitæ ſanctimonia eminere, atque munus illud ſanctiſſimum, ea, qua dignum eſt, religione, & vigilantia fungi debent; ſic & fas piumque dignationem ipſis haberi, non verbis tantum, ſed re ipſa, ut quibus opus eſt hac lucerna (opus autem eſt omnibus) oleum infundant. Miniſtrorum eſt docere Reges; non regni negotia acri cenſura perſtringere: plebs enim ventis ejuſmodi Tribunitiis agitata, vatibus melius, quam ducibus ſuis, parere ſolet. [b] Princeps doceri debet, ut membrum Eccleſiæ, non miniſtros docere; ſed ſtatuta condere & leges circa ſacra: ut tamen ſalus Eccleſiæ ſuprema lex Eccleſiaſtica ſit, & Deo magis, quam hominibus obſequamur. Dies me deficeret, ſi de rebus divini juris, de legibus Eccleſiaſticis, de conſtitutionibus ſuperiorum conſiſtoriorum, de viſitatione Eccleſiarum, de ſuſpenſionibus & remotionibus ab officio, de banno ſpirituali, de feriis, aliiſque juris hujus partibus, ab aliis

[a] Lucretii verba ſunt *lib.* IV. vſ. 598.

[b] Curtii dictum *l.* IV. c. 10. cujus veritatem in ſtatibus popularibus multa exempla oſtendunt. De Athenienſibus Livius *l.* XXXI. 44. de Romanis Quintilianus *Decl.* 268. de Belgis Grotius *l.* IV. *Hiſtor. Belg. ad A.* 1595. & Huber. *de Jure civ. lib.* I. *S.* 5. *c.* 5. §. 25.

aliis [a] recte exposita, cum pulvisculo huc converrere vellem: sufficit constare, summam potestatem habentibus, sive Rex, sive Optimates, sive Populus eam habeat, jus aliquod circa sacra competere, nec Ecclesiam statum esse ab imperio civili omnino separatum, id quod primo loco distincte erat demonstrandum.

Nunc, age, proprium sermonis nostri fundum ingredientes, totum, ex Jure publico, ordinemus ad partem, & hoc jure an Reges & Principes Germanorum usi fuerint, videamus. Quum falsa adhuc numina placarent majores nostri, in varias gentes divisi, pars magna imperii penes populum, nec Regibus infinita potestas; ast Sacerdotum provincia, ultra proprium objectum, usque eo fuit extensa, ut in negotiis civilibus per eos silentium imperatum, ipsisque executio quoque pœnarum civilium committeretur. Neque enim animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, nisi sacerdotibus, permissum; non quasi in pœnam, nec Ducis jussu; sed velut Deo imperante, cujus sese ministros jactabant. [b] Postquam vero Germani paullatim, inde a sæculo quarto, institutionem Christianam acceperunt, & in unum corpus civile coacti sunt a Francis, facies Reipublicæ mutata est. Magna apud hos, & merito suo, omnis ordinis Ecclesiastici fuit auctoritas; nec minuit, sed auxit principale culmen, quod sanctorum Ecclesiæ Antistitum & fidelium Christi servorum suffragia audiebantur. Summum item honorem Pontifici habuerunt Romano, nullam tamen ut huic in se permitterent potestatem. Plane a nutu Regum Merovingicæ stirpis

[a] Adi in primis ad Grotium *de Imp. S. P. circa sacra.* Pufendorf. *de Habitu Rel. Chr.* §. 44 *seq.* Thomasium *Vindic. jur. Maj. circa sacra.* Ejusdem tract. *de Jure Principis Evang. in controv. Theol.* Item diss. *de Jur. Princ. circa adiaphora.* Item ejus diss. *de Officio Princ. Euangelici circa augenda salaria ministrorum Eccles.* denique notas ejus ad Huber. *de Jure civ. l.* 1. *S.* 5. *c.* 2.

[b] Cæsar *de B. G. lib.* VI. Tacit. *de M. G. c.* VII.

pis pependisse Episcopatus, pleni sunt libri Gregorii Turonensis. [a] Carolo Magno posthinc Adrianus Pontifex, in præmium assertæ libertatis, jus detulit ordinandi Catholicam sedem. Quin nemo est, qui vel concilia, vel canones, aut capitularia, aut hujus Episcopatus Historicos per transennam inspexerit, qui negare ausit, penes Carolinam familiam jus circa sacra perstetisse. Willibrordum, primum Episcopum Trajectinum, misit Pippinus: Fridericum, ordine octavum, fecit Ludovicus Pius: [b] similique ratione ceterarum diœcesium Episcopos soli constituerunt Reges; soli indignos removerunt; soli convocarunt Synodos, earumque decreta confirmarunt: nec locus occurrit ullus, unde constet, auctoritatem Concilii majorem, quam consilii fuisse.

Extincta sub initium sæculi decimi, cum Ludovico IV. Carolidarum regnatrice domo, nationes Germanicæ sui rursus juris factæ, in pristinam se libertatem recipere, suisque Ducibus uti potuissent; sed Ecclesiarum Præsules, Comites & Nobiles, extrema omnia ab his metuentes, Regis potius boni, ac publicæ Fortunæ vindicis imperium retinere maluerunt. Quin ipsos Duces, sive avitæ libertati, sive ambitioni & licentiæ studentes, Normannorum incendia, Hunnorum furores, Venedorum & Slavorum impetus, Germaniam misere tum lacerantes, ad Imperii corpus vel invitos mox reverti coegerunt; ne dum singuli pugnarent, omnes vincerentur. Produnt annales, quam acriter Conrado I. a suis ad regni culmen evecto, frontem opposuerint potentissimi quatuor provinciarum Duces: summum tamen jus circa sacra, in concilio Altheimensi convocando, in constituendis Episcopis, etiam in caussis connubiorum

 rum

a *L.* 1. *Hist. c.* 31. IV. 15. 26. & ex eo, aliisque Bignonius *in notis ad Marculf. p* 884. Baluz. *ad tom.* 1. *capit. p.* 1012. 1141. & *ad Concilia Galliæ Narbon. pag.* 34.

b Beka Chron. *pag.* 9. & 23.

rum penes Regem fuit. [a] Magis lacertos movit Henricus, id nomen primus, Othones & reliqui ad Henricum IV. omnes, quorum regia potestas, sicut in rebus mundanis ubilibet viguit & negotiosa fuit, sic investire Episcopos, aliasque sacrorum partes exercere, solius erat Imperatoriæ potestatis. [b] Hæc aurea illa sunt tempora, de quibus Petrus de Ferrariis, Papiensis, miro candore & simplicitate scribit: [c] *Nam scire debes, tu ignare,* (Laice) *quod Imperium aliquando habuit utrumque gladium, temporalem, & spiritualem; adeo quod tunc Imperatores conferebant omnia beneficia Ecclesiastica, per universum orbem, & amplius eligebant Papam.* Neque enim Episcopi tantum & Abbates, Archimandritæ & Cœnobiarchæ, horumque Adjutores & Advocati, sed & ipsi Pontifices Maximi Regum munere constituti, hisque auctoribus, si immorigeri essent, pontificatu moti sunt. Otho I. ut Augustale diadema Romæ accepit, cum Leone pactus est, ne Romani summum Præsulem crearent ullum, quem Imperator non probaret; eoque jure Otho II. Johannem XIV. Otho III Gregorium V. Pontificem renunciavit. Henricus autem III. tres Pontifices scismaticos, totidem monstra impietatis convicta, Magistratu Ecclesiastico se abdicare præcepit, populumque Romanum, ne injussu suo ad electionem accederet, sacramento adegit. [d] De Episcopis minor dubitatio. Quemadmodum enim filia parentem sequitur, sic Reges ut Præsules darent Ecclesiis, quas e bonis Imperii,

ex

[a] Stadensis ad a. 915. Ditmar. *p.* 325. *Tom.* 1. *Leibnitii.*

[b] Luitprandus *lib* VI. *c.* 10. 11. Henschen. *ad* 4. *Febr. vita S. Remberti*, juncta Cl. Hahnii *Hist. Germ. t.* 1. *p.* 239. Lehman. *Chron. Spir. l.* 2. *c.* 41. Meibom. *tom.* 2. *diss. de jur. invest.* Conring *de constitut. Episcoporum Germaniæ.* Mabillon *t.* IV. *Annal. Ord. S. Bened. p.* 141.

[c] *In praxi sua, tit.* 50. *de form. libell. ex. substit. gl.* 9.

[d] Pactorum formulas servavit Theodoricus a Niem *de investit. Regum Teuton. pag.* 249. Goldast. *t.* 1. *Const Imp. an.* 964. & *Tomo uno p.* 231. An illæ authenticæ sint, de industria inquisivimus supra, dissert. 1. *de Jure Imp. cap.* 2.

ex suo, paterno, vel avito patrimonio fundarant, aut dotarant, jus & æquum erat. Vel unicus Conradus Salicus nobis sufficiat, cujus viscera in templo Cathedrali hic recondita servantur: is vero Bernulphum Episcopum Trajectinum pedo pastorali & annulo investivit.[a]

Interim jam, inde ex sæculo secundo, apud sedem Romanam potentior fuerat principatus; cum propter martyria primorum Episcoporum, tum propter eruditionis & sapientiæ famam. Constantinus, Magni nomen adeptus, sed regnandi artibus parum instructus Princeps, nimia sua indulgentia, Papatum mox stabilire cœpit.[b] Justinianus, Urbis regiæ amplitudine, majestate & antiquitate motus, eidem πρoεδρίαν & alia quædam privilegia concessit.[c] Pippinus deinde & Carolus M. amplo eos territorio, Ravennate Exarchatu, salvo dominii jure, donarunt.[d] Tandem cum pleraque Europæ regna horum auspiciis ad Christi disciplinam ducta essent, summi & imi ipsos, ut Papas, ut patres suos spirituales, & Episcopos œcumenicos venerati sunt. Nec minus Prælatorum res & auctoritas, per precarias, per feudorum oblationes, aliosque aureos hamos crevit: siquidem Imperatores, ultra liberalitatis metam sese abjicientes, *ob remissionem peccatorum, pro remedio animæ suæ & suorum, ob spem & pretium vitæ æternæ*, si Diis placet! Imperii bona profuderunt in Sanctorum cohortes, & prodito semel ab Othone M. Brunonis Archipræsulis Coloniensis exemplo, ducatum Episcopatui jungi posse, res ante toto cœlo separatas,

[a] A 1039. Beka *p.* 39. Heda *p.* 118.

[b] Conf. Euseb. *l.* II. *d. vita Const.* 35. *l.* IV. 24. *junct. Obs. sel. Halens. T.* I. *O.* 24. Cl. Struvii diss. *de Christianismo polit. Constantini M. sect.* 4.

[c] *L.* 16. *C. de Sacros. Eccl. Nov.* 131. At *l.* 8. *C. de Summ. Trin.* qua Ecclesia Romana supra modum extollitur, suppositiam esse, adversus Alciatum IV. *Parerg.* 23. & Cujac. XII. *Obs.* 26. contendit Hotman. *in bruto fulm. Sixti V.*

[d] Sigonius lib. IV. de Regno Ital. *Carolum has terras, jure principatus, & ditione sibi retenta, Pontifici permisisse.*

ratas, ſacerdotium & principatum, jugiter ea fini miſcuerunt Imperatores, ut Epiſcopos ſibi addictos Ducum molitionibus opponerent; conſilio quidem non malo, ſed peſſimo eventu. Regum domos ſoli fere Epiſcopi tenebant & Abbates: ſors lecta Dei, montes cœleſtium ſoli participes. Hi primis curiæ negotiis erant præficiendi, propter idioma Imperii Latinum, id quod ſoli in clauſtris tractabant. Unde hos Archicapellanos, Archicancellarios, Cancellarios, Notarios, & quot alios, in tanta opportunitate, quum Principes profani inter Martios ſpiritus fortunam alebant, ampliſſima honorum & opum ſeges manſit. Summo autem cum orbis ſtupore, hi ſubditi & clientes tanta beneficia converterunt in exitium auctorum, ut proverbio locus fieret: [a] *Proprium Eccleſiæ eſſe, Cæſares timere & odiſſe.* Avidos ſcilicet facit nimia felicitas, nec tam temperatæ ſunt cupiditates unquam, ut in eo, quod contigit, deſinant. Gradus a magnis ad majora fit: & ſpes improbiſſimas complectuntur inſperata aſſecuti. [b]

Laudibus paſſim evehitur Otho I. quod Imperatoriam, id eſt, ſummam humani faſtigii dignitatem, a Caroli poſteris neglectam, Germanis perpetuum recuperavit. Utinam vero Germaniæ regnum cum Italia & imperio in Romam nunquam coaluiſſet! prætextu enim coronationis Romanæ poteſtatem in Cæſares, & omne jus circa ſacra ſenſim Pontifices uſurparunt, vulgique invaluit opinio, Auguſtos ad horum regiam, velut Imperii matrem, rationes ſuas potiſſimum referre debere. [c] Nemo repente fuit turpiſſimus: multorum, quia imbecilles fuerunt, latent vitia; qui non minus in perniciem Germanici Imperii, cervicibus ſuis gravis, auſuri, ſi vires ſuffeciſſent. At omnes inter Epiſcopos, quos Roma innumeros tulit, repertus fuit nemo, qui majora

a Memorante Guicciardino *in comm. polit.*

b Seneca 1. *de clem. c.* 1.

c Vide Guntherum *lib.* VI. *Ligur. vſ.* 270. & 534. ad quem plura dic.m. Hert. *de orig. & progr. ſpec. R. G. I Rerump.* §. 10. 16. 19.

majora vel paria sibi arrogarit, quam Hildebrandus, sæculo XI. exeunte Pontifex Romanus. Monstrum istud hominis horrendum & ingens, sumto Gregorii VII. nomine, armis Normannorum fretus, opibus Comitissæ Mathildis confisus, & discordia Principum Germanorum inflammatus, [a] non modo Ecclesiam civili potestati eximere; in Hispaniam, Galliam, Angliam, Daniam, Poloniam, ceteraque Europæ regna sacrum quendam dominatum moliri; sed ipsum Henricum IV. Imperatorem, Simoniæ reum facere; mox inauditum diris devovere; & tandem Canusii indignissima passum, quasi legitimus judex, regno privare ausus est, exemplo inaudito. Hujus dein vestigiis gnaviter insistens Curia Romana, Hierachiam illam tam altis radicibus firmavit, ut præter investituram, quam vocant, per annulum & baculum, partem imperii nobilissimam, plurima quoque juris sacrorum capita invaserit; postquam Callistus II. Henrico V. fesso & impari, hic loci defuncto; tandemque Nicolaus V. Friderico III. per famosa Concordata, confessionem erepti juris extorserunt. [b]

Heu pudet effari, evenisse tum cultiori Germaniæ, quod de Meroensibus, Æthiopum populo, tanquam singulare, & inauditum, memoriæ prodidit Strabo: [c] summam penes sacerdotes fuisse potestatem, tantamque auctoritatem, ut nonnunquam, misso nuncio, mortem Regi imperarent, & alium ei sufficerent. Sed Pontificis Vaticani amplior ex hoc tempore cœpit majestas, immo tanta, ut omnes, quotquot fuerunt Sacerdotes, longo post se reliquerit intervallo. Nunc enim, secundum *Dictatus* Hildebrandinos, non

 modo

a Vide Onuphrium Panvinium *in ejus vita*, Bayle *Diction. in Gregoire VII.* Cl. Ditmari *vitam Gregorii*, & *Historiam belli inter Imp. & sacerd.*

b Ille in comitiis Wormatiens. A. 1122. hic in Concordatis A. 1448. Utrumque diploma habet Leibnit *Cod. J. G. dipl. p.* 1. *n.* 2. *&* 158. Machinationes detexit P. Maimbourg *Histoire de la decadence de l'Empire.* & Schilt. de *L. E. G. l.* IV. *c.* 5.

modo Magiſtratus Eccleſiaſtici, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatiæ & Canonicatus arbitrii ſunt facti Papalis: ſed in cunctos homines, ſive paganos, ſive Chriſtianam fidem profitentes; adeoque Reges etiam, Principes, & ſummas quaſvis poteſtates; earumque vitam, bona, terras, regna, imperia, Vicarii hujus cœleſtis poteſtas uſque eo extenſa eſt: ut is, velut Dei perſonam inter homines ſuſtinens, quos Reges privatos fieri, quos diademate ornari oporteat; quæ ruant urbes, quæ oriantur, ſuæ juriſdictioni vindicarit. Mox quoque Cœleſtinus corona Imperatoria pedibus ludendo, Alexander vero Friderici collum calcando, ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulaſſe, leonem & draconem conculcaſſe fingebantur. [b] Inde tot Imperatores de culmine præcipitati, alii in turbas factionesque diſtracti, inſidiis & perfidiæ ſuorum patuerunt. In reluctantes vibratum fulmen Capitolinum, capita diris devota, execrabiles & ſacerrimi proclamabantur. Nunc quidem orbi univerſo fragores iſti tam ſunt ludi, quam Vulcanus ſuam terens incudem: at in illa ſuperſtitionis nocte brutum fulmen Principes ac populos non minus ſollicitabat, quam ſonus fundæ inanis aviculas in terrorem dare poteſt. Cum nullo excommunicatis commercium, omnes eis decedebant, aditum eorum ſermonemque defugiebant; omnes vitabant, ut impios & ſceleratos, in cineres ipſos rabies iſta ſæviebat. Henrici IV. cadaver ex monumento regio Leodienſi extractum, integrum quinquennium Spiræ in ædicula, extra Eccleſiam, ſtetit inhumatum. Ludovicum vero Bavarum proſcriptum quot-

a *Lib.* XVII.

b Fabulam de collo Friderici I. ſupplicis calcato, in contumeliam Germanorum eſſe confictam, docuit Rittershuſius *ad Jovii Fridericum*, *p.* 215. in appendice notarum ad Guntheri Ligurinum. Reineſ. *ad Rup. epiſt.* 57. & Rupertus *ad Beſold. c.* 18. Ipſe Baronius *ad A. Chr.* 1177. opinioni huic grandem dicam impingit, quia nemo Friderico æqualis tantum facinus prodidit, ab Alexandri Papæ moribus, ſi diis placet! alienum.

quotquot hospitio exceperant, cibo vel potu juverant, ruri omnes extra cœmiteria sepulti memorantur.[a]

Dum ita servus servorum fastu & dominandi libidine apud Germanos insaniebat, exteri reges in speculis fuerunt; & Gallica inprimis natio *Libertatibus* suis magnam istius Hildebrandinæ monarchiæ partem ivit destructum; jusque nominandi Episcopos, pragmatica sanctione a Leone X. recuperavit.[b] Bonifacii VIII. bulla, qua Philippus regnum suum liberum Papæ feudum esse agnoscere jussus, Ordinum decreto publice fuit combusta:[c] & nemo, nisi in superiorum temporum historiis sit hospes, memorabilem Ludovici XII. ignorat nummum, cum elogio: *Perdam Babylonis nomen.*[d] Carolus V. Roma occupata, Clementem VII. sex menses in custodia detinuit, atque abolita per omnem Hispaniam Sedis auctoritate, successoribus facultatem conferendi beneficia Ecclesiastica asseruit.[e] Nolo plura; cum ipsi Germaniæ non defuerint heroes; qui lingua, calamo, armis,

[a] Graphicam excommunicatorum civium Ultrajectinorum descriptionem dedit Matthæ. *de nobil. l.* 11. *c.* 21. & *de Jure gladii c.* 31. nec dissimili pœnarum genere Druides Gallorum olim usos, docet Cæsar *de B. G. l.* VI. *c.* 13. De Ottone IV. & Henrico IV. exauctoratis, quædam notavit Reines. *lib. II. Var. lect. c.* 16.

[b] Extant de hoc argumento libri varii: sed Petrum de Marca vide instar omnium. Concordata cum Leone X. habet Leibnit. *Mant. C. p.* 1. *n.* 4.

[c] Vid. *c. unam sanctam Extravag. Comm de majoritat.* juncto *c. meruit. de privileg.* Hinc liber sextus Decretalium in Gallia nunquam receptus. Duaren. *de sacr. Eccl. min. præfat.*

[d] Ex *Esa.* XIV. 22. *Babillonis* vult Harduinus *Op. p.* 925. sine ratione valida, ut eruditus Germanus ostendit.

[e] Auctor sat locuples Vasquius, Philippi Regis Senator. *l* 11. *contr. ill. c.* 51. Memorabile etiam est diploma Urbani Papæ II. de Monarchia Ecclesiastica Siciliæ, A. 1096. Rogerio datum, apud Leibnit. *Prodr. Codicis dipl. n.* 1 cui refutando Baronius Cardinalis, tomum, apud Hispanos prohibitum, destinavit. Idem jus Angliæ regibus fuisse, testatur Ingulfus Abbas *Rer. Angl. libro.* Verum quid A. 1103. mutationis acciderit narrant Walterus Hemmigford. l. 1. *Chron. c.* 28. & Joh. Bromton. *Chron. p. m.* 1003. De aliis regnis *supra pag.* 41.

armis, agerent imperii causam; ut Curia Romana, de quieta possessione, multo minus de præscriptione gloriari non possit. Nil dicam de Gibellinis; prætereo Goldasti & Schardii collectiones: ipse Lotharius Imperator, duo Friderici, Otho IV. Henricus VII. & Ludovicus IV. jus circa sacra vindicare conati sunt. [a] Similiter Conrado Suevo quid animi fuerit, ex eo diplomate insigni, cui Eugenius etiam Pontifex subscripsit, apparet. [b] Tepuit autem deinde plerorumque Imperatorum studium: dum alii jus circa sacra insuper habuerunt: alii piis Episcopi pedibus advoluti, eosque osculati sunt: alii rursus, stratorum instar, strepam tenuerunt. Multos expeditio sacra retinuit: [c] plures improba Episcoporum studia retraxerunt: plerosque opinio inveterata, de Sedis Romanæ universali potestate, ex dictis S. Scripturæ, perperam intellectis, impedivit: donec justa tandem Principum indignatione effectum est, ut ne Pontifici in infinitum jure Imperio abstracto & usurpato, aut, si quod habuit, ob ruptam tot transactionum fidem amisso, nullo & imaginario abuti liceret.

Vix dici potest, quam repente Hierarchiam exceperit luxus, ambitio, inertia, artium & linguarum ignorantia, summa deinceps morum ac doctrinæ corruptela. [d] Tot enim opibus undique affluentibus non gradu, sed præcipiti cursu, ad vitia transcursum, vetus disciplina deserta, a labore ad voluptates inversa sunt omnia. [e] Cleri Deus venter erat; sacras

a Schilterum adi *de L. E. G. lib. IV. c. 6. l.* v 2. 8. vi. 1. 2. & Muratorium *des Droits de l'Empire sur l'Etat Ecclesiastique.*

b Apud Wilh. Hedam *Hist. Episc. Ultrajectens. p. m.* 164.

c Prorsus ut apud Tacitum lib. XIV. Ann. c. 31. *Templum divo Claudio* (Divæ Mariæ) *constitutum, quasi arx æternæ dominationis aspiciebatur; delectique Reges & sacerdotes, specie religionis omnes fortunas effundebant.* Adde Cl. Buddeum *de Expedit. cruc.* Maimbourg *des Croisades.* De strepa vide supra *Diss.* 1. *pag.* 13.

d Trithemius *ad a.* 1359. *pag.* 236. Seckendorf Hist. Luth. *l.* 1. §. 88. 123. 133. *l.* III. 3. 96.

e S. Bernardus olim exclamarat: *Religio peperit divitias, sed filia devoravit matrem.*

ſacras mercari dignitates ſæculum vocabatur: Tonſus Monachorum grex, vario cucullo & vivendi ratione, in varia ſectarum genera, barbatorum, funigerorum, nudipedum, pullatorum diſtinctus, ſacrificio ſuo miſſatico, ſuis Sanctorum reliquiis, cereis agni imagunculis, iræ divinæ minis, roſariis, aliiſque venalibus indulgentiarum fumis, ſimplex vulgus emungebant; cum experiundo didiciſſent, quod multitudinem nulla res efficacius, quam ſuperſtitio regat. [a] Laicus etenim Chriſtianus, ſtupidi jumenti inſtar, bajulabat religionem, ut aſinus ſacra Iſidis; & unuſquiſque aut metu pœnarum, aut opum, honorum, vel melioris fortunæ exſpectatione, periculum inquirendæ veritatis fugiebat. Quid? quod illa cœleſtium ſcriptorum lampade remota, ne oculatioribus quidem patuerunt præſtigiæ tenebrarum, & Caci domus atra, abjurατæque rapinæ.

Nolo quicquam ceteris nationibus detractum; ſed placuit divinæ providentiæ, Maximiliano imperante & connivente, in Germania primum uti miniſterio magni illius Alcidæ, [b] Martini Lutheri, ad corruptum longa conſuetudine Eccleſiæ ſtatum emendandum: quem Oecolampadius deinde, Zuinglius, Calvinus, Beza, aliique Semones luci & nitori ſuo reſtituerunt. Maturius Waldenſes in Gallia, Wicleſitæ in Anglia, Huſſitæ in Bohemia faciem ſacrorum miſerrimam fuerant deteſtati: ſed hi, ſtatim in crepuſculo eluceſcentis veritatis, velut rebelles & læſæ Majeſtatis rei, aut anguſtiis incluſi, aut rogo dicati, opus deſperatum perficere nequiverunt. Magnæ quondam molis fuit Romanam condere gentem; ſed majore Rerumpublicarum motu invadenda erat auctoritas Sedis Romanæ. Herculi facilius clavam, quam illi dominationem in conſcientias extorſiſſes. Omnis Clerus minor ad reformationem pronus; major, cetera diſcors, pro commodis & opibus

 ſuis

[a] Curtii vox *l.* IV. *c.* 10.
[b] Compara Virgilium VIII. *Æneid.* vſ. 256 *ſeqq.* cum elogiis Viri apud Seckendorf. *Hiſt. Luther l.* III. 5. 36. §. 135.

suis pugnabat; virtus post nummos. Reges & Principes, licet cum Adriano VI. hujate, Pontifice candidissimo,[a] cum Carolo V. ejusque conscientiæ rectore Glapione, cum interioris admissionis ministris, cum omnibus denique rerum divinarum peritis, necessitatem reformationis facile agnoscerent, classico tamen hæreseos, ad expediendas secures incitabantur. Eadem vel paria Reformatoribus, quæ primis Christianis, impacta crimina: [b] *Bonus Vir. C. Sejus, sed malus tantum, quod Christianus:* quod Augustanæ confessioni addictus. Bella, tumultus, aliaque infelicis sæculi mala ipsis assignata, impiis velut naturæ hostibus, publicæ Dei atque hominum ultioni, e medio tollendis. Ad bestias, ad leones clamabatur. At profecto, sive rem ipsam, sive auctorum vilitatem & impotentiam, sive progressus velocitatem per omnem Europam intueamur, Dei digitum agnoscamus oportet. Retecta Evangelii lux omnium fere regnorum, Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Sueciæ, Daniæ, Poloniæ, Hungariæ, Belgicæ quoque hujus & Helvetiæ urbes, castella, tribus, palatia statim implevit; & quominus totum pervaderet Christianum orbem, non nisi extrema violentia effectum est. Hispanos sævum inquisitionis tribunal; Italos commoda Hierarchiæ; alios utilitas ex monasteriis, intuitu liberorum, repressit. Verum in parte vastæ Germaniæ prope dimidia; frustra fulminantibus Romanis, per damna, per cædes, ab ipso ferro, puriora sacra vires acceperunt & incrementum.

Dulce videlicet nomen libertatis est, Auditores; sed dulcissima libertas ipsa: quam non ab hominibus tantum expeti, sed ab ipsis brutis animantibus rebus omnibus anteponi videmus. Suetus regibus fuerit Oriens, & amica Asiaticis dominatio; eo quod Chamum Noachus, maledictione sua, ad infimum servitutis gradum detrusit. Europæis autem mens semper erectior, quam ut ad libidinem dominorum

a Seckend. *lib.* 1. S. 56: §. 142. 143. & *in epilogo p.* 698.
b Tertullian. *Apolog. c.* 3. & *lib.* 1. *ad nat. c.* 4.

norum se componerent, eorumque jussa pro legibus haberent. Perpauca inde regna, plures Respublicæ apud Græcos, Britannos & Gallos, ante dominationem Romanorum, sunt numeratæ, apud Germanos adhuc serius: quia horum Reipublicæ scopus fuit *Libertas*, ob indolem, quam sortiti sunt, generosiorem, ex majorum illustri hereditate. Ad *libertatem* hanc *avitam* provocabat Arminius Dux: [a] Lucanus eam *Germanum Scythicumque bonum* appellat. Magis exaggerat summus Morum Germanicorum scriptor, quum Parthos, Aquilis tremendos, superari facilius, quam Germanos potuisse, his verbis fatetur: *Arsacis regno acriorem fuisse Germanorum libertatem. Triumphatos magis, quam victos.* [b] Ut vere Germanis sic conveniat, quod de Quiritibus suis dixit M. Tullius: *Aliæ nationes servitutem pati possunt, Populi Romani propria est libertas.* [c] At fortuna istæc magno olim stetit Romanis: stetit & majoribus nostris; cladibus aliquando affecti sunt; nunquam perdomiti: pro aurea libertate sua, donec ipsa cederet Roma, pugnarunt. [d]

Longius civium amor a proposito me abducere videtur: at sane rem ipsam premo. Quod si enim corporis libertatem sanguine suo redemerunt Alamanni gentiles, a gentilibus Romanis: quid non eosdem, cum Jesum Christum caput suum unicum agnoverunt, ausos fuisse putabimus, pro libertate conscientiæ; summo illo humani generis bono? pro jugo isto Clavigeri decutiendo, quod neque majores

 co-

[a] Apud Tacit. II. *Ann.* 10.

[b] Lucan. *lib.* VII. Tacit. *de M. G. c.* XXXVII. Utrique quidem *libertas* alibi Democratiam notat, cujus præcipuus finis libertas: eoque pertinent Cheruscorum querelæ, *adimi veterem Germaniæ libertatem*, apud Tacit. XI. *Ann. c.* 16. verum Josephus *l.* II. *de bello Jud. c.* 16. Germanos pro libertate pugnaces; Seneca *l.* II. *de ira c.* 15. *liberam gentem* appellavit.

[c] *Phil.* VI.

[d] Claudian. *lib.* II. *de Laud. Stilic.* idcirco quærit:

Qui mihi Germanos solus Francosque subegit,
Cur nondum legitur Fastis?

corum, neque ipsi ferre potuerunt? Itali, jam sæculo duodecimo, in suam perniciem, detulerant studia litterarum ad Germanos. Hi longi temporis barbariem [a] cito compensabant; erectis tot Academiis, bonæ mentis officinis, & arte typographica reperta; cujus beneficio, præter divina Oracula, optimi libri, blattarum hactenus ac tinearum epulæ, in vulgus spargebantur. Ipsi qui ad clavum, non leviter bonis litteris tincti. Hos inter Fridericus II. doctus & eruditionis Patronus. Maximilianus, quas puer odio habuerat, litteras impense fovebat. Erasmus, Budæus, Reuchlinus, Ferus, Huttenius, aliique Viri Celeberrimi superbiam & avaritiam Romanam perstringebant. Jurisconsulti tot Imperatorum constitutiones de divinis legentes, velut e somno excitabantur. Aliqua item Historiæ veteris Ecclesiasticæ notitia, non dogmata modo complura in falsi & novitatis suspicionem adducebat, sed & a Pontificibus nihil humani alienum fuisse testabatur. Prodibant Benedicti, Gregorii, Julii, Leones: homines monstrosi, vita turpissimi, moribus putidissimi; a quibus æternam suspendere salutem, insani esse apparebat. Ipsum pseudo Petri solium, non petræ, sed arenæ magis imaginem præ se ferens, toties per diuturna interregna fuerat destitutum, tot scismaticis lubricum, ut quis fuerit legitimus Papa, ipsi successores dubitarint. [b] Atque sic tandem, ex Christi promisso, obstitit Deus, ne portæ sepulchri contra Ecclesiam prævalerent: sic etiam cœlesti beneficio operta quæ fuerant, aperta sunt; lux tenebras vicit, mendacium veritati cessit; conclamatum erat de auctoritate Sedis Papalis.

Sæpe de doctrina, sæpe de vita Sacerdotum emendanda actum; Concilia convocata; edita avisamenta Constantiensia,

[a] Aventinus *lib.* VII. *Ann. Boicor.* c:18. proverbium Romanæ Curiæ memorat: *sibi maxime utile esse, Germanos quam stolidissimos habere.*

[b] Luitprandus *Hist. lib.* VI. *c.* 7. Conradus Ursperg. *ad. A.* 1076. Baron. *ad A.* 897. 900. 912. 933. *&* *alibi.* Causam indicavi supra *diss. sert.* I. *pag.* 62.

ſia, Moguntina, Baſileenſia; multa tractata, pauca concluſa; quod indictum dictum, quod pactum, non pactum erat, cum illis lubebat. In re itaque deſperata, quum Lutheri dogmata plus ſemel hæreſeos damnata, & centum Gravamina adverſus pontificatum vana ſpe eludebantur: Status Proteſtantes, ut ſuæ ſuorumque ſubditorum conſcientiæ conſulerent, vigore avitæ *libertatis*, & poteſtatis jam adultæ, ſumma cum moderatione, ſubditis non coactis, ſed inſtantiſſime petentibus, in regionibus ſuis reformare inſtituerunt, [a] & magnam fortunam magnus animus decebat. Jam ſub Francorum regno Optimates, quos infringendæ libertatis urgebat metus, Ducum, Comitum, aliiſque Dignitatum gradibus placandi fuerant; ut res ſuapte natura diſſociabiles, *Principatus & Libertas*, coirent in unum. Mutare id Carolo viſum, ſed cum is abiiſſet ad plures, quanta Ordinum potentia, per diſcordiæs fratrum, dein facta fuerit, Caroli Craſſi exauguratio, & Arnulphi electio oſtendit. [b] Extincta hac ſtirpe, Duces, Marchiones, Landgravii, Comites, Barones, Civitates & Nobiles ad libertatem ſummam, non ſimul nec ſemel, ſed paulatim, arboris inſtar occulto ævo creſcentis, per varia temporum ſpiramenta, alii ſerius, alii ocius, adſpirarunt. [c] Hujus libertatis publicæ certiſſimum argumentum eſt ſublimis ille ſublimium capitum pileus, priſco Scytharum more pellitus, Regum variorum geſtamen: [d] quem item, ceu libertatis ſymbo-

lum,

a De Saxonia Seckendorf. *H. L. lib.* 1. *Sect.* 57. §. 153. *in add. n.* de Palatinatu D. Coccejus *J: P. c.* 28. *S.* 1. §. 26.

b Luitprandus *lib* 11. *hiſt. c.* 3. Annales Fuldenſes *ad a.* 832.

c Vid. Cl. Gundlingii *Henr. Auc.* §. 10. & 36.

d de quo Paſchal. *de coron. lib.* IX. *c.* 23. Scythis ferinas pelles & murinas tribuunt Seneca & Juſtinus. Germanis pelles pretioſæ, ut aliis purpura, dignitatis ſymbolum fuerunt. In pellium *maculis* ornatum eos quæſiviſſe, auctor eſt Tacitus *de M. G. c.* 17. *Pellita Getarum Curia* eſt apud Claudianum. De pellitis Francorum Ducibus Alteſerra *de Duc. & Com. lib.* 2. *c.* 12: De *marturinis* Procerum Germanicorum Helmoldus, aliique.

lum, Henricus II. Galliæ rex, publico præfixit scripto, in quo fœderis, cum Mauritio Saxone, aliisque Protestantibus initi, rationem reddebat. [a] Hinc Imperatores *Statibus Libertatem*, *omnibus justitiam jurarunt*, [b] unde Capitulationum origo. Jam ante has, secundum Auream Bullam Caroli IV. [c] Cæsar Principibus *Privilegia*, *Literas*, *Jura*, *Libertates confirmare tenebatur*. Nec Baldus [d] tantum Principes Germaniæ pro regibus habuit; sed & Maximilianus I. pariter ac Carolus V. Imperatores Monarchiæ tenacissimi, *in Germania Regibus Regem imperare*, dixisse feruntur; cum veris in regnis obtineat: Qui Rex est Regem Maxime, non habeat.[e]

Verum ut plenius Statuum Imperii jus circa sacra & ab ovo cognoscamus, sciendum est, quod apex & culmen istius Libertatis, in tantum fastigium evectæ, fuerit sacrorum potestas; quam Ordines seculares pridem sub Merovingis in censu suo posuerant; [f] labente autem & extincta Caroli gente, primum Duces, mox Principes, tandemque laici Proceres omnes, longo usu, vel ex privilegio, per quandam velut Cæsareæ Majestatis emanationem, postliminio sibi vindicarunt. [g] Bavariæ Dux Arnulphus, jam tum illis temporibus, quum sacrorum regimen integrum adhuc stabat penes Cæsares, ab Henrico Aucupe jus ordinandi Episco-

a Spondan. *Ann. Gall. ad A.* 1552. *n.* 6.

b Lehman. *Chron. Spir. l.* IV. *c.* 10. Hotman. *Franco Gall. c.* 6. 7. 12. Spec. Sax. *l.* 3. *art.* 34.

c C. 2. §. 8.

d *Ad l. fin. C. de Test. mil.*

e Martialis *l.* 12. *Epigr.* 18.

f Vide Thassilonis decretum, legi veteri Bojoariorum subjectum. Velserum. *l.* V. *Rer. Boic. p.* 161. Alteserr. *de Duc. & Com. c.* 7. 8. 9. Petrum de Marca *l.* VIII. *de Concord. Regni. c.* 25.

g Regino Prumiens. *l.* 2. *Chron. ad a.* 889. apud Pistor. *t.* 1. *His diebus*, inquit, *Luidpertus Maguntiæ urbis præsul, e rebus humanis sublatus, in cujus loco subrogatus est Sunzo --- Poppone Thuringorum Duce, & Arnolpho Rege annuente.*

copos obtinuit. [a] Quum is humanis valedixerat, non filios tantum ducatu exuit Otho magnus, sed & jus sacrorum sibi rursus arrogavit, Præsulibus in hac provincia constitutis. [b] At pejor Arnulpho *malo*, [c] immo acerrimus scelerum vindex, & vitæ melioris assertor, Henricus Bojorum Dux, Patriarcham Aquilejensem mox castrari, & Archiepiscopum Salisburgensem excæcari præcepit, haud levi juris a fratre circa sacra recuperati argumento. [d] Jam vero quis nescit, hujus parentem Henricum, priusquam Rex fieret, *liberæ potestatis* in Saxonia & Thuringia Ducem appellatum? cui ipse Conradus Imp. *neminem in regno æquiparem se scire* affirmavit. [e] Nec minorem in sacris auctoritatem sibi arrogarunt ceterarum provinciarum fortissimi Duces, Giselbertus in Lotharingia, Everhardus in Francia, in Suevia Burchardus, Princeps clero perinvisus, & Monachis inprimis; qui cum Phocas magis & Ludovicos Pios, quam Fridericos & Ludovicos Bavaros optabant, tyrannice eum rexisse cul-

a Verba Statuum Bavariæ auctore Liutprando *l.* 2. *c.* 7. fuerunt ista: *Æquum justumque nobis videtur, ut quod prædecessores tui non habuere, tibi concedatur; scilicet quatenus totius Bojoariæ Pontifices tuæ subjaceant ditioni; tuæque sit potestatis, uno defuncto, alterum ordinare.* Idem *Rex* appellatur in Chron. Cosm. Prag. *a.* 937. etiam Witichindus Corbej. 1. *Ann.* apud Meibom. *t.* 1. *p.* 537. regnum ei tribuit; cum propter alia, tum quia par Regibus jus habebat in suo ducatu: sive ut Justinus *l.* 1. *c.* 7. ait: *etsi non regiam vitam, proximam tamen majestati regiæ degebat.*

b Quia privilegium illud soli Arnulpho datum, Ditmar. *p.* 329. & 336. *in Leibnit. tom.* 1. juncto Cl. Gundlingii *Henr. Auc. p.* 91.

c Stilo monachorum. Hepidanus *in Annalibus ad A.* 913. *optimum ducem Bajoariorum* vocat; & causam ejus egit Brunnerus *p.* 11. l. 2. n. 10.

d Ditmarus restitutus *pag.* 339. Tempore Ottonis III. alius Henricus, Bavariæ dux, *Godehardum, tunc Presbyterum, Abbatem Cœnobio Althaensi præponere voluit; cui ille per biennium justa satis excusatione restitit - - Sed tandem idem regimen, juxta Ducis decretum, suscepit*, verba sunt Wolffherri *in vita S. Godehardi c.* 1. *p.* 485.

e apud Ekkehard. *de cas. Monast. S. Galli c.* 5.

culparunt; *Regale* Sacerdotium esse Novi Testamenti, non *Ducale*, causati. [a] Arnoldo equidem privilegium concessum esse videtur; at ceteri Duces, quemadmodum totum illud jus ordinandi sacra *Imperio* tribuebant, ita *singuli*, pro rata territoriorum, ejus participes esse voluerunt. Vasa odorem, quo primum sunt imbuta, diu retinent; & illi similiter, quam semel, deficientibus Carolinis, animo conceperant, potentiam constantissime urserunt, & a quibusdam etiam Episcopis regales honores mature impetrarunt. Exemplo sit Hermannus Billingus, Saxoniæ Dux, cui Albertus, Archiepiscopus Magdeburgensis, regium in modum obviam processit, ab Othone M. id propter multatus. [b] Alii qua Ecclesiarum Advocati jus legendi Episcopos sibi sumserunt: quemadmodum Theodoricus, Mosellanorum Dux, mortuo fratre Alberone, filium suum adhuc impuberem, dato Adjutore, Ecclesiæ Metensi Episcopum obtrusit. [c] Alii aliis causis: ut ex his sæculi decimi & undecimi exemplis, satis constare putem, Dominos regionum, si non omnes, saltem potentiores, jam ante Hildebrandum natum, justissimo titulo, ex Cæsarum munificentia, vel conniventia, potestatem sacrorum obtinuisse.

Sequutis temporibus non minus opportuna magnis hisce successibus fuit Henrici IV. pueritia, regni & sacerdotii discordia; interregnum longissimum, & quivis alii transitus rerum. Væ illi regno, cujus Rex puer est! Didicit hoc damno suo Gallia: in Germania vero quantum Henrico imberbi

[a] De Giselberto, Episcopos & Abbates constituente, Hugo Flaviniacensis *Chron. Vird. p. 1. pag.* 124. De Burchardo Heribertum Augiæ præpositum pellente, & Luithardum instituente, Hermann. Contractus *ad A.* 922. *p.* 382. Ditmarus *pag.* 330. ita scribit: *Audivi tamen nonnullos* (pastores) *sub Ducum, &, quod plus doleo, sub Comitum potestate, magnam sustinere calumniam* &c. Add. Ill. Ludewig. *in Conrad. I. c.* 5. Cl. Hahnii *Henr. Auc. c.* 4. & *Hist. Germ. p.* 1. *pag.* 31. 32.

[b] Ditmar. *lib. II. Hist. pag.* 337.

[c] Sigebertus *ad A.* 1009. junct. Chiflet. *in Alsat. vindic. c.* 2.

berbi & male educato; de Imperatoria auctoritate decessit, tantum ornamenti Curiæ Romanæ & Principibus accrevit. [a] Pontifex, quod totum retinere non poterat, mira calliditate, cum Statibus communicabat, Senatus potentiam augendo, suæ consulturus. [b] Quin utrique, & Imperatores & Pontifices, in acerrimis istis de investitura contentionibus, ut fieri solet, multa donarunt, multa confirmarunt, quo sibi conciliarent amicos. Henricus Leo, Saxonum & Bavarorum Dux, sicut inter omnes Imperii Proceres sæculo XII. potentia eminebat, sic & investituram cum annexis proprio sibi jure vindicavit. Renitentem habuit omnem clerum; sed ipse Fridericus Barbarossa, strenuus ille juris Majestatici Sospitator, privilegio indulsit, ut in terra Slavorum tres Episcopos, Aldenburgensem, Magnopolitanum ac Racesburgensem constituere, eosque per virgam investire posset. [c] Idem Leo Aldenburgensem Episcopatum transtulit Lubecam, sua auctoritate: Geroldum Episcopum nominavit; homagium sibi præstari voluit; aliaque insignia juris circa sacra edidit documenta. Contra Pontifex Summus, Eugenius IV. Adolphum, Ducem Cliviensem, non modo cum omnibus Ecclesiis, Capitulis, monasteriis, Archiepiscopi Coloniensis, & Monasteriensis Episcopi jurisdictione spirituali liberavit; sed & hanc in ipsum ejusque filium Johannem transtulit. [d] Quid multa? Quia Principes jure hereditario, & majestatis æmula illa Superioritate territoriali nitebantur, jam sæculo XIII. vel XIV. tritum vulgi sermone invaluit proverbium: *Duces & Comites*

Mmmm

a *Singuli, quod sibi animus suggessisset, facere impune poterant.* scribit Lambert. Schafnab. *ad A.* 1063.

b Tiberii exemplo, Sueton. *c.* 29.

c Diploma Friderici produxit Maderus *de vetustate Ducum Brunf. dipl.* XII *p.* 121. Diploma Leonis. V. Cl Boehmerus *de Jur. Eccles. Prot. lib.* I *tit.* 31. §. 35. Disputationes inter Leonem & Episcopos narrat Helmoldus I. *Chron. Slav. c.* 62. & II. *c.* 9.

d A. 1404. in litteris apud Leibnit. *Mantissa Cod. n* 34. 35.

mites esse Papas in suis terris, [a] & aliud non dissimile: *Cujus est regio, ejus est religio.* [b] Paucissimi eorum Concordata Nicolai V. contumeliosa, & vi extorta, calculo suo probarant. [c] Territoriorum Ecclesiæ pleræque à Dominis fundatæ erant, dotatæ, aut beneficiis, Advocatiis, & tutelis ornatæ. [d] Nec inepte plurimi in suo idem sibi, immo plus licere existimarunt, quam Imperatori in Imperio languente. [e] Ducum & Comitum nubes mihi in promtu esset, qui diu ante Reformationem, collapsam Ecclesiæ, & monachorum disciplinam reformarunt; Prælatos & Abbates nominarunt; [f] jus precum primariarum sibi vindicarunt, [g] seseque, ut paucis omnia complectar, *Fidei defensores & Protectores* exhibere conati sunt: [h] sed provexit orationem meam benignitas Vestra jam longius; ideoque tempus est, ad juris hujus firmamenta & modum veniamus.

Sarta tecta manserat hactenus, ad sæculum usque XVI. Pontificis & Episcoporum circa doctrinam potestas: de moribus

a De Ducibus Saxoniæ id testatur Stryck. *de jur. Papal. Princ. Evang. c.* 1. §. 10. de Ducibus Cliviensibus Feltman. *de jure in re c.* 5. §. 11. de Comitibus Hollandiæ, ex Philippo Leidio, simile quid attulit Grot. *de Ant. Reip. Bat. c.* 5.

b De cujus ortu Sarpius *Hist. Concil. Trid. l.* 3. Londorp. *t.* IV. *act. publ. p.* 240. Pufend. *de Reb. Suec. l.* XVII. §. 108. Præter rem id *cen nefandum* damnat Mev. *ad Jus Lub. qu. pral.* 3. *n.* 22. nisi propter abusum.

c Vox *plurimorum*, quæ extat in tractatibus apud Leibnitium *Cod. dipl. p.* I. *n.* 158. ipsis Concordatis deest, apud Schilterum post *Inst. Jur. Can. p.* 462.

d De Bavariæ Ducibus id ostendit Meibomius, ad Tassilonis diploma *t.* III. *p.* 196. de aliis Magerus *c.* 9. *d. Adv. arm. n.* 413.

e Eyben disp. singularem de hoc axiomate scripsit.

f Conf. Meibom. *Chron. Berg. t.* III. *p.* 307. Busch. *de reformat. Monast. apud Leibnit. t.* II. *p.* 930. & de Saxoniæ Principibus nuper professa opera Dn. Reinhardus, in *meditat. de jure Princ. Sax.*

Vid. Cl. Gribneri *Opusc. t.* I. *p.* 181. *seqq.*

h Ita enim vocantur in *R. I. a.* 1524. §. 28. & 29. & tales esse jubentur in R. I. *a.* 1525. §. 1. 1526. §. 4. id quod vel unice sufficit ad justitiam reformationis. V. Schilt. *de Pace Relig. c.* 2. §. 2.

ribus tantum corruptis, & abusu jurisdictionis Ecclesiasticæ, querelæ erant motæ; ipsis sacris sese immiscere religio videbatur. Nunc autem Hieromonarchia ad eum impudentiæ excreverat gradum, ut indies magis magisque servilem humanarum constitutionum sarcinam persentiscerent Potestates civiles, ideoque larvam cærimoniarum, immo Medusæ Gorgonis caput, magno Theologorum & populi assensu, execrarentur. Leo X. sponte sua ad sacram tirannidem pronus, Puccii Cardinalis impulsu, nundinationes indulgentiarum, per omnem Germaniam, tum in Magdalenæ sororis, tum in Moguntini AEp. usus instituebat. Pastor ille vitio creatus suis Annatis, suis Palliis, immenso isto vilis lanæ pretio, Christi ovile deglubebat; ipsosque Principes hoc pacto suis tributis & proventibus spoliabat. [a] Quam obdurata horum fuerit patientia, vel ex unius Friderici Sapientis cunctatione patet; qui utut Luthero impense favebat, nunquam tamen accessu & alloquio eum dignatus est. [b] Sicut liberi parentum morosorum obligatione se non statim exsolvunt; & civium gloriosissimum officium est, bonos Imperatores voto expetere, qualescunque tolerare: sic & abusuum emendationem a Papa & Cæsare, tanquam Ecclesiæ Rectoribus & Advocatis, sine scismate exposcebant. Sciebant Protestantes, quam exitiosæ sint mutationes in divinis: moveri haud posse sacram illam ancoram, ut non simul fluctuet Reip. tota navis. Solliciti hacpropter erant, servare unitatem spiritus, in vinculo pacis; unam omnibus optabant fidem, unum baptisma, unam ad normam verbi divini compositam vocem: sed quia flammis totam urbem late haurientibus, ab ipso incendii auctore hamos atque dolabras frustra expectari videbant, ad Concilium liberum, in

 fi-

a Sleidan. *lib.* XIII. Thuan. *l.* I. Strauch. *diss. exot.* v. Quanto rectius Tiberius rescripsit: *Boni pastoris esse, tondere pecus, non deglubere*, auctore Suetonio *c.* 32.

b Seckend. *lib. I.* §. 12. *add.* 2. *d*: §. 153. *add.* 2. *g*.

finibus Germaniæ habendum, uno ore provocabatur.[a] Hac ſpe rurſus decollante, Principes pauci, quippe boni, Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis; Johannes Conſtans, Saxoniæ Elector; Joachimus II. Brandenburgicus; Erneſtus, Dux Luneburgenſis; Philippus, Haſſiæ Landgravius; Johannes, Dux Clivienſis, aliique Principes & Civitates liberæ apertius Reformationem inſtituerunt.[b] Tandem fœdus Smalcaldicum, Mauritio Saxone interveniente, poſt tot inducias, erupit in bellum; principio triſte, exitu glorioſum; ſecuta enim Paſſavii *Pax Religioſa*, quæ in Comitiis Auguſtanis deinde eſt confirmata, juriſdictionem Pontificis Eccleſiaſticam in Ordinum, Auguſtanæ confeſſioni addictorum, territoriis ſuſpendit, ipſisque jurium, honorum, larium & templorum poſſeſſionem perpetua lege firmavit.[c]

Sic verum comperit eſſe ſedes Latina, quod Bernardus Eugenio quondam prædixerat: *utrumque gladium habere ſi voles, utrumque perdes.*[d] Sed gladii Germanorum, ex vaticinio Prophetæ,[e] nondum contuſi ſunt in ligones; necdum lanceæ in falces converſæ. Lupus aliquandiu pacem colebat cum agno, leopardus cum hœdo recubabat. Quemadmodum autem ferarum impetus, diu retentus & infrenatus, vehementior eſſe conſuevit; ſic turbidi Dillingenſes & Societas Jeſu, quam nec Oriens nec Occidens ſatiaverit, fractis legum repagulis, per nobiliſſimum regnum calumniari, furere, ac bacchari cœperunt; ipſique Proteſtantes, Vatinianis Theologorum odiis inter ſe diviſi, majoris operæ eſſe, parta tueri, quam acquirere experiebantur.[f] Notæ ſunt

[a] Rec. Imp. 1524. §. 28. 1530. §. 5.

[b] Petrus Suavis, ſive Paulus Sarpius, *Hiſt. conc. Trid. p.* 108. Seckendorf *Hiſt. Luth. l.* 1. §. 41. 168. *lib.* II. §. 12. 16. *lib.* III. §. 16. 25. 75. & 106.

[c] A. 1555. V. Lehman. & Schilt. *de Pace religioſa.*

[d] *Lib.* 2. *de conſ. ad Eugen.*

[e] *Eſ.* II. 4. XI. 6.

[f] Lampreus ad Philippum Sydnæum ep. 60. a. 1577. ſcribebat: *Germania*

ſunt Cochlæi, Ræmondi, Pallavicini, Varillaſii, Maimburgii, aliorumque adverſariorum criminationes: Principes cœli prætextu captaſſe terras: privatos ſpecioſo libertatis nomine abuſos eſſe, ut diſciplina antiqua, votiſque monaſticis ſoluti, genio liberius indulgere poſſent.

Sed male habebat iſtos, ea illuxiſſe tempora, quibus ſegnitia odio, ſuperſtitio execrationi fuit. Non deſtructa ſunt in terris Proteſtantium collegia ſacra; ſed repurgata: non abolita fuerunt templa, ſed avitis ſacris reſtituta: in diviniores uſus reditus eccleſiaſtici converſi ſunt; non dilapidati, nec ad Cameram relati; quæ pura puta calumnia eſt; turpis animi impotentis, ſibique metuentis fœtus. [a] Monachorum & monialium pars clauſtra deſeruerunt, quod ex Servatoris effato, ſpadones coacti *hoc verbum non capiebant.* [b] Videbant illi in hac veritatis luce, Cœnobia ſua ſuperſtitionum ſcholas, & Murciæ Deæ ſacella eſſe; in quibus nil recti, nihil ſinceri; omnia aut pravo de divinis ſenſu, aut luxu & ignavia fœdabantur.

Illud vero luctuoſum valde noſtratibus accidit, quod cœlitus evocati, & jamjam è dura ſervitute manumiſſi, æſtu Theologorum, in duas iverunt ſectas, quæ per formulam Concordiæ mox [c] prorſus ſeparatæ ſunt, aliis *Evangelicorum*, aliis *Reformatorum* adoptantibus nomen Sic enim cauſa communis, mutuis jurgiis & conviciis, [d] & maxi-

mania pacata eſſet, niſi eam ſua ambitione & arrogantia turbarent Theologi, inprimis Romani.

a Sleidan. *lib.* VIII. Seckend. *H. L. praloq.* & *l.* III. §. 4 *n.* 5. 6. Schurtzfl. *diſp.* 43. §. 22. Ipſe Clemens VII. temporalitatem, ut vocant, Epiſcopatus Trajectini, in Carolum V. ejuſque heredes tranſlatam, confirmavit, ratione minus valida, quam videſis in ejus bulla apud Leibnit. *p.* II. *Codicis diplom. n.* 42. *pag.* 226.

b *Matth.* XIX. 11.

c A. 1580. Muller *Hiſt. form. conc.*

d Grot. l. III. Annal. *Qui tum concordiæ ſectatores erant, eos concurrentia e diverſo odia premebant, ſigniferis* &c. Idem lib. VII. Hiſt. *Auguſtanos Romanis quanto ſententiæ diverſos, tanto ſtudiis proniores,* ait fuiſſe.

mam quidem partem propter ea, quæ vel ad pietatem faciunt nihil, vel fundamentum salutis haud attingunt, scissa ruptaque, insidiis patuit Romanorum. Ex hoc dissidio rursus iis cornua creverunt, ad sacra restaurata penitus opprimenda, aut saltem ad sufflaminandum Reformationis progressum. Quod si de religione tantum lis fuisset, fortasse par voluntas, aut certe pugna non tanta: nunc de regione, de mortalium jure, de prædiis & opibus agebatur. Ipsa pietas impiæ ambitionis fiebat instrumentum; avaritia ceteræque cupiditates honesto sacrorum mantello velabantur. Jam olim de Germanis gentilibus, dixit Petilius Cerealis: [a] *Libertas & speciosa nomina prætexuntur. Nec quisquam alienum servitium & dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet.* Idem profecto dicturus, si in tempora illa incidisset Christiana. Eucharistia, quæ pacis & caritatis symbolum esse debebat, in pomum Eridos, vah pudor! & dissensionis tesseram commutabatur. Qui Luthero strictius adhærebant, Zuinglii & Calvini asseclas a communione Augustanæ Confessionis volebant exclusos; spolii eos passim reos agentes, & fructum Pacis Religiosæ fratribus & sociis bellorum negantes injuste. [b] Utrique & Reservatum Ecclesiasticum, & canones Concilii Tridentini, & omnem jurisdictionem Papalem, maxima sacræ libertatis repagula, junctim, ore & scriptis impugnabant: unde omnium contra omnes nata est diffidentia, mater simultatum & odiorum; quæ aliquantisper cineri doloso supposita; tandem post *Unionis* & *Ligæ* factiones, post motus Bohemicos & Friderici V. proscriptionem, post Ferdinandi II. Edictum restitutorium, in bellum tricennale, tristem illam omnium malorum Lernam, excrevere.

Nunquam Germaniæ sua defuerunt damna, sed nunquam majora sensit, quam hisce annis triginta. Idem enim patriæ, pacis pertæsæ, & pietatem in ritibus quærenti, quod olim

a Apud Tacit. IV. *Hist.* 73. juncto Pfannero *H. P. W. lib.* 1. §. 10.
b V. Schilt. *d. L. E. G. lib.* VII. *c.* 4. & *de Pac. relig. c.* 6.

olim Reip. Judaicæ accidit; quum alibi Roboam & Jeroboam; Juda & Iſrael; Hieroſolyma & Samaria eſſet. Totum quippe corpus ægrotabat, & cor totum languebat: a planta pedis, uſque ad verticem, nulla in eo integritas, ſed vulnus & vibex, & plaga ſanioſa, quæ nec colligata erat, neque emollita unguento. Non gens tantum vicina contra gentem, ſed pater contra filium, Chriſtianus contra Chriſtianum, gladiatorio more, in Campo Germanico, in curia, intra domeſticos parietes, velut in arena, armati ſteterunt. Jam olim Romani lætos bello Germanos, quique intra annos quatuordecim tectum non ſubiiſſent, mirati ſunt; [a] hoc autem bellum duplo longius fuit protractum, quia ſacrum, quia civile. Quod ſi omnium gentium evolvantur annales, tam acre & diuturnum pro religione non occurrit. Sed quemadmodum, apud fratres & cognatos infenſos, eadem ſunt incitamenta irarum, quæ apud concordes vincula caritatis: ſic multis compertum eſt experimentis, acria civium eſſe odia; acriora diverſarum religionum; [b] acerrima inter Chriſtianos. [c] Horum profeſſio, cum molliendis & fœderandis

[a] Cæſar l. 1. *d. B. G. c.* 36. Seneca VI. Nat. quæſt. c. 7. *avidam belli gentem*; Tacitus *ad arma natos* dixit IV. *Hiſt.* 16. & 64.

[b] Omni tempore gentes pro religione & cærimoniis bella geſſerunt. Cambyſis inſaniam, qua ritus Ægyptiorum ludibrio habuit, perſtrinxit Herodotus *lib.* III. *c.* 33. De Gallis Cicero pro Fontejo c. 9. *Cæteræ gentes pro religionibus ſuis bella ſuſcipiunt, iſtæ contra omnium religiones.* In Ægypto inter Cynopolitas & Oxyrynchitas ſuo ævo, ex cultus diſparitate, bellum conflatum eſſe, memorat Plutarchus *de Iſide & Oſiride c.* 58. Diſſidium inter Tentyritas & Ombitas, ridet Juvenalis *Sat.* XV. De odio Perſarum & Turcarum, propter religionem, Camerar. *l.* 3. *Hor. ſubſ. c* 12. In cauſas odiorum inquiſivit Paſtorius *Hiſt. Polon. lib.* VI. *in fin.* & Pufendorf *in diſſ. de Rebus geſt. Philippi* §. 31. Recte Hobbeſius c. 1. de Cive §. 5. *Non modo*, inquit, *contra contendere, ſed & hoc ipſum, non conſentire odioſum eſt. Nam non conſentire alicui in re aliqua, eſt eum erroris tacite accuſare, ſicut in valde multis diſſentire, idem atque eum pro ſtulto habere.*

[c] De his Tacitus XV. Ann. 44. *odio humani generis convicti ſunt.*

Ob-

dis animis valere deberet; sive humanæ imbecillitatis vitio, sive Judæorum imitatione, dissentientis impatiens, & acerbissima odiorum materia facta est. [a] *Sæpius olim*, gentilis *Religio peperit scelerosa atque impia facta:* [b] nunc autem parum erat vastari agros, oppida diripi, Regni opes exhauriri; nihil sanctum & inviolatum mansit; templa partim diruta, partim inflammata, sacrilegia in triumphis ferebantur. Religioni prostratæ victrix insultabat impietas, quia propter religionem religionis erant obliti. Summa adhæc inopia, fames & pestis; domi parricidæ, foras latrones; obvii quivis, sine ullo sexus, ordinis aut ætatis discrimine, trucidabantur. Cæsaris & Pompeji bellum civile millia trecenta consumsit; sed lusus illud & jocus, præ hoc Germanico, sive occisorum numerum ineas, sive calamitatum atrocitatem spectes.

Huc igitur adeste, quotquot nunc iterum, pacatis rebus, Bellonæ sanguineum quatitis flagellum; qui privatim degeneres, in publicum perniciosi, nil nisi per discordias habetis: adeste & ineffabiles miserias, quæ bellum civile comitantur, penitius mecum contemplamini: & confestim agnoscetis, pacem unam mille triumphis esse potiorem, immo è finibus naturæ procul ejiciendum, quem illa civium multorum strages delectat. Omne bellum per se calamitosum est, nullum vero infelicius civili: misera in eo sunt omnia, sed ipsa victoria nihil est miserius, utpote non externo, sed domestico cruore parta. [c] Non dicam, tricennale

Obstinationem meram iis affingit Plin. x. *ep.* 97. & Marcus Antonin. *l.* xi. §. 3. Arrianus Galilæos describit, tanquam homines, qui præ insania & consuetudine mortem non reformident *l.* iv *ad Epict. c.* 7. Ammianus Marcellinus lib. xxii. c. 5. *nullas infestas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum.* Ampl. Bynkershoek à Judæis hoc odium hostile derivat, quem adiisse non pœnitebit *diss.* 2. *de cultu relig. peregr.*

a Grot. *Ann.* I.

b Lucret. *lib.* I.

c Val. Max. *l.* II. *c.* 8. *n.* 7.

nale illud in Imperio gestum esse a peregrinis; Gallis & Gothis, a Lappionibus & Fennis: infusos in Germaniam Cosacchos Crabatasque, Hunnica barbarie truculentiores. Non enumerabo prælia atrocia ad Lipsiam, ad Lutzenam, ad Nordlingam, ad Witstokkium, Taboram & alibi pugnata. Prætereo crudelitates ipsi Busiridi horrendas; infectam tabo humum, putres ubique virorum equorumque formas; stupra feminarum, virginumque raptus. Vel unicum Magdeburgum vobis proponite, urbem ea tempestate opulentam, situ amœnissimam, Primatis Germaniæ florentissimam sedem. Misera virago, palatiis suis ante & munimentis superba, simulac a Tillio expugnata, intra quatuor & viginti horas flammis absumta est. Crabatæ per plateas effusi, barbaro ululatu, in quemcunque inciderant, occidebant. Lactentes ab uberibus maternis abrepti, occisi, ad parietes allisi: in cæde & sanguine dominorum cadentia natabant tecta: ferro & igne triginta incolarum millia, inter lamentabiles quiritatus, consumebantur. [a] Plures ejusmodi tragicos belli istius periculosissimi fructus referre possem, Auditores, sed instituti nostri ratio id non patitur; & piget tædetque per vulnera Imperii procedere ulterius. Hoc unicum sufficiat, ad horrorem contentiosis istis incutiendum, quibus optime hostis occisus, sed melius civis olet: amplius mille myriadas ferro, peste, fame tum periisse; plerisque civitatibus insuper ac pagis vastitatem fuisse inductam. En campus, ubi Troja fuit! En quo discordia cives perducit miseros! En etiam *quantum religio potuit suadere malorum*!

Opis humanæ non erat, tantas componere lites. Arborem turbine eradicatam, vix in solum defigas; sed Germaniam pacis & otii tempestatibus divulsam, antiquæ reddi formæ, majus miraculum videbatur. Continuis Ferdinandi II. victoriis jam tantus Protestantibus injectus erat metus, ut de libertate sua actum existimarent; nec

Nnnn mi-

a Pufend. *de reb. Suec. l.* III. *n.* 18. Theatr. Europ. *t.* 2. *p.* 354.

minus Romanenses, sub belli onere, & Wallensteinii sævitia gemebant. Sed divinæ providentiæ ductu, sopitus ubique armorum furor: resque inextricabilis exitum habuit felicissimum. [a] Ex ultima Thule accitus Gustavus Adolphus, exiguis viribus, incredibilia peregit; ut constaret inter omnes; non in munitionibus, sed in causæ bonitate victoriam sitam esse. Ut palmæ adversus onera surgunt, sic *Pace Osnabrugensi* pristina libertas non modo restaurata, sed certior etiam Reformatis, & tutior facta est, citra omnium spem & opinionem. Salvete cœlitus clausæ Jani portæ! Salve lex æterna; Pacis Christianæ pignus; Regni Præsidium, & ancile! Sine te quid non modo Germania, sed universa Europa fuisset? Tu sacris honorem; legibus robur, hominibus securitatem; certam cunctis rerum suarum possessionem restituisti. Tua ope sacrilegia a templis, ab oppidis direptiones, ab agris vastitas depulsa est. Te merito suscipimus, colimus & veneramur. Justitia enim tua omnibus aut recte faciendi voluntatem imposuit, aut necessitatem: lacerata Imperii membra glutino tuo firmiter cohæsere, & porro conjungentur.

Sic itaque, jugo peregrino excusso, Imperator, tanquam supremum Imperii caput, & Ecclesiæ Advocatus, [a] salva ubivis Protestantium libertate, multis in partibus ereptam sibi, aut in dubium vocatam majestaticam sacrorum potestatem plene recepit. Si scismata Ecclesiam dilacerant, jure suo, Friderici pariter ac Sigismundi exemplo, Concilium indicit, dirigit, & contumaces banni fulmine percellit. [b] Pontifices pia, atque honesta molientes juvat, protegit & tuetur; ut tamen & illorum usurpationes coërceat. Archie-
pi-

[a] Similiter Grotius observavit II. *Ann.* ad A. 1571. *Supremæ providentiæ fere placuisse, Belgicis in rebus, ita humanam fiduciam & consilia illudere, ut nunquam simul essent spes magna, & bonus eventus.*

[b] Carolus M. primus Advocatum S. Petri se inscripsit; deinde & alii Imperatores. Dixi plenius supra *Dissert.* 1 *pag.* 41. 49. 77.

[c] *R. I.* 1524. §. 28. 1526. §. 1. & 4. 1544. §. 80. *seqq.*

piſcopos & Epiſcopos bonis ac regalibus firmat. Statibus Proteſtantibus plena ſacrorum jura ſub complexu Superioritatis confert; eademque ſarta tecta, remotis abuſibus, conſervat. Nuncios item coërcet, Provocationes ad Pontificem moderatur. In Epiſcopatibus ſede vacante, jus habet regaliarum; in Eccleſiis Cathedralibus jus primariarum precum exercet, priſtinæ inveſtituræ ſcintillas. Ejus auſpiciis conduntur Academiæ, & Theologis quoque Doctoribus facultas docendi confertur. Ipſe tantum Theologos Romanos; Comites Palatini, in qualibet religione recepta, Doctores creant. In cauſis autem religionis Imperator, concurrentibus Statibus, per amicam transactionem, non per vota majora, ad normam Pacis Religioſæ & Inſtrumenti Pacis decernit.[a]

Jam ſatis attonita ſtabat ſacra tyrannis, ob αυτοκρατοριαν Imperio aſſertam: ſed ultimo metu defixa expalluit, quum ſinguli Status, in veterem, immo firmiorem libertatis poſſeſſionem reſtituebantur. Vehementer contradicebat Fabius Chiſius, Nuncius Papalis: ipſe Innocentius X. fulmen horrendum ex rupe Tarpeja vibrabat, ultimum furoris complementum.[b] At Dei viæ longe aliæ, quam Vicarii erant: conſtitit illi ſuum propoſitum, ut turbarum finis eſſet, utque omne imperium ſacrum, jurisdictione Pontificum ſuſpenſa, *cum jure territorii & ſuperioritatis, ex communi per totum Imperium hactenus uſitata praxi*, Regionum dominis confirmaretur.[c] Enimvero in id libertatis & potentiæ dudum excreverant Principes, ut Regum jura in terris ſuis ſequerentur, & poteſtatem Majeſtatis æmulam ſibi vindicarent: quæ, modeſto Transalpinorum vocabulo,

a Vid. *Inſtr. pac. art.* v. §. 9 & 52. Lyncker *Reſp.* 58.

b Bullam cum Proteſtatione vide apud Conring. *de Pace perpetua.* p. 361. qui poſt Davidem Blondellum, & Joh. Hoornbeckium, S. Litterarum in hac Academia Doctorem, prudentiſſime eam impugnavit.

c Verba ſunt *Inſtr. Pac. art.* v. §. 30. ubi nota, originem juris ſacro-

Superioritas territorialis vocatur.[a] Hujus pars principalior, ipso naturæ jure, semper fuerat regimen Ecclesiasticum: sed quoniam Papa & Episcopi id sibi injuria arrogarant, nunc remoto jurisdictionis Papalis impedimento, jus circa sacra Statibus non datum, sed redditum; non collatum, sed redintegratum est; ipsique non ut Episcopi, [b] sed ut Principes, parte hac imperii nobilissima gaudent, utuntur & fruuntur. Pariter ac olim multis populis & urbibus αυτονομια relicta, ut suis legibus utentes, immunes essent a jurisdictione Præsidis Romani: [c] vel potius, sicut in hac Fœderata Belgica penes quamlibet Remp. seorsim jus est de religione statuendi: nec Helvetiæ Pagis religio fraudi esse debet: ita & Principes Germaniæ Protestantes suum in sacris πολιτευμα separatum ex pacto & lege habent; cum facultate reformandi, decidendi controversias ecclesiasticas, excommunicandi & absolvendi. Condunt ordinationes ecclesiasticas; Synodos cogunt, exigunt annatas; Menses Papales exercent, dispensant in connubiis subditorum, lege civili prohibitis, & circa statuta capitulorum. Constituunt ministros, vel electos confirmant; removent indignos, ferias indicunt, quæque id genus sunt alia, nam universa recensere longum esset. Si de matrimonio Evangelici Principis contrahendo vel

crorum ex observantia Imperii deduci, id est, prisca illa libertate, de qua supra. Plus enim apud majores nostros valebant boni mores, quam Romæ bonæ leges, Tacit. *d. M. G. c.* 19. Francorum Carolus Calvus ad *olitanas consuetudines* se refert, *capit. tit.* 30. *c.* 1. Fridericus Imp. *usum bonum prædecessorum & Patrum* laudat, apud Radevic. *l.* 1. *c.* 16. Romæ similiter jus sacrorum & publicum moribus adscriptum. Virgil. III. *Æneid.* 408. Macrob. III. *Sat. c.* 8. Plinius partem juris publici maximam *morem Senatorium* dixit *l.* VIII. *ep.* 14.

[a] V. Hert. *d. sup. territ.* § 68.

[b] Capitalem hunc, sed inde a Constantino M. inveteratum, Carpzovii, Mevii, Struvii, aliorumque errorem, solide refutavit Cl. Bœhmer. *Jur. Eccl. Protest. lib.* 1. *tit.* 31.

[c] Ita Strabo Massiliensium αυτονομιαν explicat, *ut neque ipsi, neque iis*

vel dissolvendo quæstio incidit; is sui ipsius judex est: [a] non Austregæ, nec Camera, nec Consistorium. Ex regulis tamen prudentiæ judicium extraordinarium constituere; vel arbitros, viros bonos, eligere; vel Theologos & Jurisconsultos consulere solet. [b]

Ne vero Principes, sive a pravis Consiliariis instigati, sive ambitione elati, quod odissent, ipsi imitarentur; eadem lege, norma & modus ipsis præscriptus est: quo subditis publicum & privatum religionis exercitium, sicut qualibet anni M. DCXXIV. parte eo gavisi, perpetuo assertum; ita ut eo nomine, nec abitus ipsis imperari, nec molestia bonis inferri possit. [c] Sine hac clausula, Pax quieti perpetuæ destinata, manca & inutilis; immo religio, civium men-

iis subjecti, missis in provinciam Romanis Præsidibus obtemperare cogerentur lib. IV. Quanquam & in hoc & in sequente simili dissimilia plura, ob formam imperii irregularem, quæ nomen suum adhuc quærit, & *non inveniendo anonymæ nomen invenit*, ut de herba Plin. *l.* 27. *H. N. c.* 7. Principes Protestantes pro justitia causæ suæ adferebant: *Germanicum imperium esse saltem fœderationem, & quandam certis in rebus conjunctionem*, apud Hortlederum *de C. B. G. c.* 8. §. 13. V. Hert. *prud. civ. p.* 1. *S.* 12. §. 2.

a Has & alias ob causas nimis fractam esse hierarchiam existimat Ill. Leibnitius *de suprematu Princip. c.* 31. & in Præfat. *Cod. jur. gent. Qui nimia*, inquit, *affectabant, etiam justa amisere, quæ retinere ipsos e re Christiana fuisset.* Sed apage simulatam Paparum, in gradibus prohibitis, philosophiam, quæ omni tempore nummis expugnari potuit. Præterea potestas in matrimonialibus, olim non apud Papam, sed apud Impp. fuit, ut constat ex forma divortii apud eundem *p.* 1. *n.* 82. *p.* 154. Goldast. *t.* 1. *Const. Imp. ad a.* 1343. Freher. *t.* 1. *script. rer. Germ. p.* 621. & Guil. Ockam *de Jurisd. Imp. in caus. matrim.* Adde quod Helmoldus 1. Slav. 33. scribit: *A tempore isto*, (Henrici IV.) *omnibus modis nituntur humiliare Ecclesiam, ne resumant vires consurgendi adversus Reges, nec inferre, quæ intulerunt patribus eorum.*

b Tacit. 1. Ann. 10. *Abducta Neroni uxor: & consulti per ludibrium Pontifices*, (ab Augusto) *an concepto, necdum edito partu, rite nuberet.*

c Instr. pac. *art.* 5. §. 31. 32. 33. ibi *hoc non obstante.*

te turbata, nulla aut incerta foret. Et quid, fodes, abfonum magis, quam provinciis invitis, a quolibet Principe fuccedente, vario, vel fuperftitiofo, formulam obtrudi novam & ignotam? Graves ea de re Wolfgangi Gemmingii, Equeftris Ordinis Legati, querelæ audiebantur: necdum, a Pace Auguftana, elapfo fæculo uno, Oppenheimium, urbem Palatinis oppignoratam, decies facra mutaffe. [a] Hoc amplius liquere arbitror, ne *Simultaneum* quidem Pontificiæ religionis exercitium *publicum*. legitimis puriorum facrorum poffefforibus, fuperinduci poffe; fi Princeps Pontificius Evangelico in principatum fuccedat: vel Reformatus ad Romanas cærimonias transgrediatur. Quibus enim ante panem facratum, dum circumfertur, procumbere, aut divum fimulacra pileo honorare, religio eft: fi fufte aperitur caput, fi templa & reditus, pace religiofa quæfiti, vel eripiuntur, vel communicantur, hos fpoliis & verberibus magis turbari paret, quam ritibus Latinis fimpliciter introductis. Nutus, geftus & geniculatio, fi ab animo difcrepat, mendacium eft, Deo invifum, & legibus naturæ adverfum. [b] Judæi noftratibus præiverunt, tempore Antiochi & Manaffis; fed illuftriora funt exempla Martyrum Chriftianorum; qui nullo pacto adduci potuerunt, ut vel levi fimulatione, thuris puta in aram jactu, a tyrannorum fe redimerent carnificina. In hac ultima temporum fæce, & fæculi exulcerati gangræna, quid factum fit, quid prætextu articuli IV. Pacis Ryfwicenfis fiat, [c] referre nil attinet. Publicæ tum alibi, tum hic loci haud dudum motæ extant querelæ, [d] quas fi comprehendere vellem,

Icariæ numerum dicere coner aquæ.

Enim-

a Pfanner. *Hift. P. W. l.* v. §. 42.

b *Matth.* x. 32. 2 *Tim.* II. 12, *Apoc.* III. 5.

c Actes & memoires de la Paix de Ryfwick *t.* IV. *p.* 116. Fabri *Staats Cantzeley. t.* IV. *p.* 91. *t.* V. *p.* 78. Electa *J. P. paffim* Lyncker. *vol.* I. *Refp.* 58.

d Vid. Diarium pacis Traject. *p.* 83. & 282. Actes & memoires de la Paix d'Utrecht *t.* I. *p*: 213.

Enimvero multorum dierum, non unius horæ negotium est, omnes exponere controversias, post parietem illum intergerinum enatas. Multis Principibus, quia a teneris nos ignorare assuefiunt & odisse, infixum sedet, utilius esse Rempublicam tribulis & vepribus abundare, quam civibus hæresi aliqua imbutis; unum civitatis corpus una religione, velut spiritu contineri; sacris, ut humanis legibus, tum optime constare rationem, si multitudini non reddatur. Hi ergo Deum se demereri putant, si sacra post annum criticum in regionibus suis inducta moveant, miserosque subditos, salvis tantum fortunis, salvis laribus paternis, retentis vel distractis, dulcissimum natale solum vertere cogant. Jure id an injuria, non disquiro. [a] Quod si vero Christi & Apostolorum doctrinam intueamur, illę duabus parabolis, altera de zizaniis, altera de rete, quid amor Christianus, quid clementia, omnibus hominibus secundum naturam, sed maxime Principi decora, jubeat, satis significavit. Paulus vero Corinthios monebat, oportere esse sectas, ut probati manifesti fiant. [b] Ipsi Persæ, Macedones, Romani, immo barbari, Judæis aliisque nationibus sibi subjectis; modo læsæ Reip. abesset ratio, sacrorum libertatem, non singulis modo, sed & totis Collegiis indulserunt. [c] Nos autem his moribus vivimus, ut aliis vitiis affectos cum feramus, quibusdam etiam oblectemur: Deorum tamen injuriis nostræ curæ vindicatis, præfracte servare cupiamus cives, quibus aëra sæpe & aquam invidemus. Unde multi perdunt, plures perierunt & pereunt, per speciem pietatis Ju-

a Alii ajunt, alii negant, alii ad Comitia rejiciunt. v. Cranium de *pac. rel. p.* 2. *probl.* I. Rhet. *de sarcina c* 4. §. 25. Bœhmer. *Jur. Eccl. Prot. lib.* I. *tit.* I. §. 89. 90. & inprimis Schilt. *d. L. E. G. lib.* VII. *c.* 12. § 20.

b Matth. XIII. 24. 47. I Cor XIII. 12.

c *L.* I. *D. de Colleg. & corp.* Tacit. II. *Ann.* 85. Ampl. Bynkersh. *de Relig. peregr. diss.* 2. Turcarum Sultani Soleimani notabile dictum narrat Camerar. I. *oper. subc. c.* 58.

Juvenalis pro monstro habuit, duo oppida in Ægypto, crudeles simultates pro Diis suis exercuisse: quis nunc tam ferreus, ut se teneat, ubi integra regna? [a]

Tu vero o Germania, Germania, si cognosceres hac die tua, quæ ad pacem tibi atque salutem! Et Tu quoque CAROLE VI. Augustissime Cæsar, excipe animo gratioso, quod Majestatem Tuam compellare audet umbraticus homo, humillimus civium piorum. In summo Tibi rerum mortalium gradu, creditus est Imperii Sacri contextus; ne quid hiet, ne quid protuberet, nihil ut declinet amussis. Lætiorem jam induisse faciem videtur Germania, ex quo pacem ei civilem sapientia Tua reddidisti: nunc religiosam quoque restaurare pergis, ad illam æternæ & perpetuæ legis normam. Excitat nos in spem successus felicis, Tuus ille masculus justitiæ zelus, quo in Principum controversiis, nulla religionis, aut affinitatis habita ratione, indies pro tribunali pronuncias, & pronunciata cito executioni mandas. Erigit provincias gementes imperium Tuum lene, quo Deum imitaris: solatur clementia, gentile illud Gentis Tuæ bonum. Senserunt invictissimi majores Tui, & sentis ipse, molitiones cleri Romani; hoc assidue agentis, ut sacram Vestram proculcet potentiam, utque Imperatorem, cum Ordinibus rupta pace commissum, gaudente licet Turca, habeat debiliorem. [b]

Ula-

[a] Juvenalis tempore Domitiani exul, in Ægyptum missus, arripuit materiam, de immani Ægyptiorum superstitione Satyram xv. scribendi. Ombitæ crocodilum numinis instar colebant, Tentyritæ animo infensissimo eum prosequebantur. Politico Regum consilio diversa sacra constituta esse, tradit Diodorus Siculus *l.* 1. *c.* 89 ne unquam Ægyptii concordiam inirent. Verba Juvenalis vs. 35.

Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus
Ardet adhuc, Ombos & Tentyra. Summus utrinque
Inde furor vulgo, quod Numina vicinorum
Odit uterque locus, cum solos credat habendos
Esse Deos, quos ipse colit.

[b] Idem Romanæ Curiæ, quod olim gentilium Romanorum votum

a pu

Uladislai Hungariæ regis, ab Amurathe II. Turcarum Imperatore, cum multis Christianorum millibus, ad Varnam cæsi, epitaphium notum est. [a] Carolus V. Sapientissimus Princeps, sæpe questus fertur, bellis internis lauream Imperio rapi, quam de veris & juratis Christianorum hostibus referre possent. Is quoque arcana immitis Vicarii, & rabiosos persecutorum latratus expertus, confessores nostros lubenter audivit, iisque bonorum possessionem interdicto firmavit. Hujus frater Ferdinandus, pietate non inferior, crebris ante obitum sermonibus, inter summa Dei beneficia, maximum numeravit; *quod ad sedandas discordias animum adjecisset, & tolerantiæ in religione formulam, benignissimus Deus sibi in mentem dedisset.* [b] Nullus finis, si singulos Cæsares, majores Tuos religiosissimos, specula boni Principis, enarrare vellem: unius Maximiliani, docti & magnanimi Imperatoris, vox obsignet: [c] *Qui conscientiis imperare volunt, arcem cœli invadunt, & plerumque terræ possessionem perdunt.* Idem animo Tuo infige, Carole invictissime: Tuosque Catones & Scipiones idem cogitare jube, ut mendosa emendent. Mirabitur posteritas prudentiam Tuam; vivi Te suum Tutanum, Carolo M. majorem laudabunt; cunctique Protestantes, manibus ad cœlum tensis, vitam Tibi prolixam, imperium securum, domum posteris fecundam, exercitus for-

Oooo tes,

apud Tacitum *d. M. G. c.* 33. *Maneat, quæso, duretque Germanis, si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus imperii fatis, nihil jam præstare fortuna majus potest, quam hostium discordiam.* Adde *in Agric. c.* 12.

a Historia, prudentiæ magistra, multa suppeditat exempla Principum, qui a Clero ad incitas sunt redacti. Vid. Vassor *t.* 11. *lib.* 6. *p.* 54. Uladislai epitaphium, A. 1444. positum, refert Æneas Sylvius *epist.* 81. Bonfinius *dec.* 3. *lib.* VI.

Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus,
Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.

b Verba sunt Joh. Cratonis in epistola ad Rudolphum Imp. Jani Dubravii Historiæ Bohemicæ præfixa.

c Vide ejus epistolam *ad Lazarum Swendium.*

tes, Aquilas victrices, orbem quietum, quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt, grato pectore nobiscum apprecabuntur.

Vos etiam Celsissimi PRINCIPES, solidæ Imperii Columnæ & Bases, ignoscite mihi, si salvo, quem omnibus debeo, cultu & reverentia dicam; nimio quorundam zelo, a turbulentis, etiam justissimorum, consiliariis accenso, effectum esse, ut vastum hoc regnum, in propria viscera sævierit, & nunc in perniciem suam digladietur. Nemo equidem prudens satagentibus aliis, cum Diogene, dolium volverit: nec ignarus sum, ad sanos propinquos ablegandum esse, qui de summa Republica suum audeat consilium explicare, non rogatus. Sed veteris & nostri ævi exempla, tum maxime dolor ille pii civis, ad similem operam me invitat. Facessat tandem Alecto, sæva Furia, ex inferis reducta, quæ nuper rursus, atris faucibus, ad horridum bellum, sacrum & civile, inclamare videbatur. Quid enim? an nondum satis effusum est Christiani sanguinis? an nondum pœnitet cicatricum? Pax certa melior tutiorque, quam sperata victoria est; illa in vestra, hæc in Dei manu sita. Cessent ea fini Hæreticorum, Calvinistarum, Ubiquitistarum, & Calixtinorum tituli, totque mendaciorum fabulæ, in contumeliam utriusque partis confictæ. Desinat tandem propagandæ religionis per vim aut astum libido. Quamvis enim hæretici videantur alii, & errent; sed bono animo errant; non odio, sed affectu Dei. Apud Vos tales sunt; ipsi adeo se Catholicos esse judicant, ut Vos ipsos titulo hæreticæ pravitatis infament [a] Sua cuique religio videtur optima, ut quæ plerumque non ratione, sed affectu dijudicari solet: immo plerique adstringuntur, antequam quid optimum sit, discernere queant. [b] Nec ratio tantum, sed utilitas

a Ita de Arrianis olim Presbyter Salvianus *lib. v. de Gubern. Dei.*

b Herodotus lib. III. c. 33. Cambysem notans, *Si quis*, ait, *omnibus hominibus faciat potestatem, optimos ex omnibus ritus eligendi, pro-*

litas quoque, & civilis prudentiæ regula expulsiones vetat, tolerantiam commendat. Interest rerumpublicarum urbes & pagos hominibus abundare; libertas vero sentiendi multitudinem parit, commercia juvat. Optime hoc Belgica ostendit, tutissimum omnibus sectis, quas novit terrarum orbis, refugium & asylum, si modo Reip. non adversentur. Gallia vero nondum eluxit sua damna, pulsas cum exulibus litteras, artes, operas, gemmas, aurum, & argentum, non sine insigni vicinorum incremento. Mitto Hispaniam, ab inquisitione foris diu exosam, domi inopem & desertam.[b] Sufficit quippe constare, non conducere regno nobilissimo, multo minus specialibus Germaniæ Re-

profecto quilibet, cum singulos explorasset, suos eligeret. Exemplum jucundum addit, quod legisse non pœnitebit. *Sua cuique civitati religio est, nostra nobis*, inquit Cicero pro Flacco c. XXVIII. ubi Celeb. Grævii nota videatur.

b Mariana *l.* XXX. *c.* 1. Adde elegantissimas *Præfationes*, alteram Thuani ad Henricum IV. alteram Conringii in Politica Aristotelis, ad Guilielmum Brunsvicensium Ducem; dignas, quæ ab omnibus Principibus legantur. Obsignabo has notas pulcherrimo Themistii, hominis gentilis, loco, ex orat. ad Valentem Imp. p. m. 503. *Non defuere patrum memoria importuni Principes, qui hanc vim afferre hominum animis conati sunt, ut quam ipsi religionem accepissent, eam ceteris ingratiis tentarent obtrudere: sed hoc unum effecerunt, ut præsentis pœnæ metu, multos cogerent tegere, quod sentirent: neminem ad suam sententiam traducerent. Ita non Deum, quem illi volebant, sed purpuram verebantur Imperatoriam: neque tum unus, ut quondam Athenis, sed omnes Theramenes existebant. - - - Sapienter igitur à te decretum est, ut quam quisque religionem probabilem duceret, ad eam se adjungeret. in eoque animi sui tranquillitati serviret. Neque hæc à te primum lex excogitata est. sed æqualis est vitæ hominum; & jam inde ex omnium sæculorum æternitate à Deo sancita. Informavit enim Deus omnium mentes, quamvis agrestium & barbarorum notione sui, studiumque pietatis ita omnibus insculpsit, ut neque persuadendo, neque cogendo ex animis exui possit: rationem vero & viam, qua coli velit, non præscripsit, sed cujusque judicio & voluntati permisit: Quocirca qui vim adhibet, pugnat cum Dei & naturæ lege.*

buspublicis, ut expulsiones, summo quamvis jure permissæ, promiscue exerceantur.

Plura gestiebat animus: sed nolo longiore sermone tempora Vestra morari, VIRI AMPLISSIMI, qui inclytam hanc Rempublicam & Academiam curis Vestris sustinetis. Novus hic sese aperit campus, in laudes prudentiæ Vestræ excurrendi, qui civibus, incolis, advenis non modo permittitis conscientiæ libertatem, sed &, in tanta animorum discrepantia, omnes in pace, rempublicam in flore conservatis. Qui vero extrema oratione præconia Vestra exordiri ausim? quicquid dixero, minus erit: & animorum Vestrorum magnitudo, laudes, quæ coram fiunt, adspernatur. Illud non æque silebo, Vestram illam gloriam esse singularem, quod litteræ & disciplinæ aliunde pulsæ, atque oberrantes, stabile hic domicilium & asylum invenerunt. Vester in litterarum studia affectus, amplissimis præmiis, undique hos Viros excellentes evocavit, ut præclara ingenia ad melioris vitæ & fortunæ cultum informarent. Vestra humanitate, morum elegantia, & hospitii benignitate exteras invitastis gentes, ut subolem suam numerosam ad hanc omnium disciplinarum mitterent officinam; illis artibus imbuendam, quibus Ecclesia & Respublica continetur. Vestrum item beneficium est, quod me in hujus gloriæ partem accire voluistis, & ingratus sim, nisi in omni vita mea id agnoscam. Utinam vero is essem, quem Vobis me esse persuasistis, aut saltem optastis, hoc est tam ardua provincia dignum! Quanta sit Vestra de me exspectatio, novi invitus: quantam præclare agendi necessitatem Vestra mihi imposuerit benignitas, abunde sentio. Sed spes me certa tenet, vires divinas imbecillitati meæ præsidio futuras, si modo diligentiam mihi subsidio comparavero, id quod modis omnibus me effecturum, sancte promitto. Vos porro præclaram illam in me voluntatem conservate, Viri Nobilissimi, & quæ apud hunc Ottonem collocastis beneficia, rogo, apud eum hominem collocata existimetis,

a quo omne ſtudii, obſequii & obſervantiæ genus expectare perpetuo poſſitis. Deus dexter ſemper adſit conſiliis Veſtris! Is diu Vos ſervet incolumes, ut ex animi voto, ad Neſtoris annos, valeatis, floreatis, perennetis!

Vos autem, omnium diſciplinarum Profeſſores, Viri Clariſſimi, qui noctium doctarum vigilias Academiæ, vires Eccleſiæ, & litteris conſecraſtis; Vos, inquam, omnibus precibus rogo atque obteſtor, ut qua benevolentia Nobiliſſimi Senatores Duumviri, Reipublicæ univerſæ interpretes, jam nunc in florentiſſimum Collegium Veſtrum me introduxerunt; pari Vos quoque animo & affectu, me laboris ſocium, accipere dignemini. Honeſta æmulatione ut Vos præeuntes, quanquam non paſſibus æquis, ſequar, muneris decus, & parta Vobis gloria impellet, divinioris naturæ argumentum. Fluxa & caduca videmus omnia; ipſa metalla ævum ſentiunt; at litteris æternitas inventa eſt; quam non imber edax, nec Aquilo impotens diruere poteſt. Admiror ſingulare illud veſtrum concordiæ vinculum; utque diutiſſime conſtet, votis conceptis opto. Quod ſi me partem Veſtri cenſere volueritis, ego viciſſim univerſis venerationem, ſingulis Germanum candorem præſtabo; illoſque dies inter fauſtos referam, quibus amicitiam Veſtram demerendi occaſio naſcetur. Vos inprimis, Conſultiſſimi Anteceſſores, arctiore neceſſitudinis vinculo mihi adjunctos, dum cominus intueor, duos Ælios aut Scævolas, antiqua virtute & doctrina Viros, conſpicere videor. Gemina hæc laus Veſtra, quod & eruditione clari eſtis, & ad Rempublicam vim ingenii confertis. Domus Veſtra conſilium: vox Oraculum melioris juventutis eſt. Veſtro auxilio, ut mihi in rebus arduis opus erit nonnunquam, ita faciles Vos mihi opto. Quæcunque a collega juniore expectari aut proficiſci poſſunt officia mutua, ore & corde Vobis offero, promitto, & ſpondeo. En dextra fideſque!

Nunc tandem uberiore alloquio, ultimo quidem loco, ſed prolixiſſimo affectu, mihi demerenda eſſe Studioſa co-

hors, ſpes ſæculi & votum: maxime Commilitones ſuaviſſimi, qui noſtris ſacris eſtis initiati. Sed ecce! jam dudum aqua effluxit. Sive autem me ducem vultis, ſive militem & æmulum, accipio ſocietatem: omnes conatus mei, ex hac hora, ad Veſtram utilitatem referuntur. Nolite expectare, ut quas profitebor diſciplinas prolixo elogio ornatum eam: non egent illæ commendatione, ſe ipſas oſtendunt. Agite modo, Generoſa Pectora, & animos mecum ad illam divini & humani juris ſcientiam appellite: quæ non unius gentis & nationis eſt, ſed totius humanæ ſocietatis jura comprehendit. Juvat noſſe & vidiſſe capita fluminum nobiliorum; ſed incredibili Vos gaudio cumulabit, apud nominis ſui Virum, Hugonem Grotium, limpidos guſtaſſe fontes, ex quibus ampliſſimi illi Juris Romani fluvii emanarunt. Cum privato Jus publicum conjungite; viam illam regiam ingredientes, quam Tuberones, Capitones & Ariſtones tenuerunt: hi vero utriuſque juris laudantur periti. [a] Accedent, Deo volente, & alia, ad notitiam Regnorum & Rerumpublicarum Europæ ſingularium pertinentia; quæ haud minorem forte ſpondent fructum & jucunditatem. Pariter enim ac atomi, non niſi adhibito microſcopio, videntur; ita myſteria & ſubtiliſſimos Civitatum contextus vix aliquis peregrinantium obſervat, niſi cum Ulyxe prudentia illa civili fuerit inſtructus, qui multorum providus urbes & mores hominum inſpexit. Sed multa fidem promiſſa levant. Vos modo, Præſtantiſſimi Juvenes, in illa potiſſimum incumbite, quæ viris aliquando uſui futura. Sive enim virtus tum ad Reip. gubernacula Vos admoveat, ſive inter ambigua cauſarum diſcrimina Vobis verſandum ſit, Deo accepti, Patriæ utiles, familiis glorioſi eritis, & ſolidæ eruditionis munimine, in publicis privatiſque rebus, lapſa erigentur, fatigata reparabuntur.

D I X I.

[a] Pom. *l.* 2. §. 46. *d. O. J.* Gell. x. *c.* 20. Plin. VIII. *ep.* 14.



ORATIO TERTIA,

DE

VERA, NON SIMULATA, JURISCONSULTORUM PHILOSOPHIA.

Habita Trajecti a. d. XVI. Septembr. M D CC XXII.

Plinius lib. IV. epist. 17.

Naturale est cuique, ut ea, quæ quis adeptus est, ipsa quam amplissima existimari velit.



Lluxit nobis iterum, Auditores, omnis ordinis, loci & dignitatis honoratissimi, illuxit nobis, inquam, anni litterarii dies auspicatissimus, quo Musarum delubra reserantur, & docentes, pariter ac discentes, ad munia revertimur feliciter. Vulgus gentilium superstitiosorum omina principiis inesse rebatur; ideoque ab avibus signa, a deorum simulacris auxilia petebat. Rectius Sapientes ignavum bubonem, & sinistros corvorum volatus riserunt, modo rerum agendarum primordia a Diis immortalibus caperentur. Veteres Romani nihil magnum, in bello vel pace, publice aut privatim inchoabant, nisi solenne illud carmen, Quod bonum, fe-

lix,

lix, fortunatumque sit, essent præfati. Quotquot magistratum inibant, aut novum opus suscipiebant Quirites, leviter aliquid primo die delibabant; ne totus annus, totumve opus ab auspicio iners censeretur. Consules quum annum suum aperiebant, solennia ludebat omina libertas, lætumque tribunal auspice clamore resonabat. Prætor Kalendis Januariis, sumta prætexta, & sacrificio in Capitolio facto, conscendebat rostra, ac more majorum, quid mereri vellet, quæve in jure dicundo observaturus esset, proponebat. Ipse Cajus noster,[a] legum vetustarum interpretationem facturus, non modo cujusque rei partem potissimam principium vocat; sed illotis manibus protinus materiam interpretationis tractari vetat; quia præfationes istæ & lubentius nos ad attentionem materiæ proponendæ producunt, & cum ibi venerimus, evidentiorem præstant intellectum. Hujus prudentissimi viri præceptum secuti sunt varii in Germania, Gallia & Italia Professores, qui, in vestibulo prælectionum suarum, rationem instituti, cum ejus, quam traditfuri erant, disciplinæ laude conjunxerunt. Sed dum quisque merces venales extollebat, omnium auctoritas elevata est, tepuitque tandem mos non spernendus, postquam minus morati, circulatorum instar, ex vicinis theatris, tam doctrinas, quam earum doctores, mutuis convitiis proscidèrunt. Absit vero abusus tollat usum consuetudinis laudatissimæ, quæ & ad augendam artium dignitatem, & ad animos juvenum inflammandos suscepta est. Magnus ille Antonius Matthæus, inde usque ab ipsis illustris hujus Academiæ incunabulis, solenne hoc plus semel servavit, ejusque clarissimi successores haud unius exempli imitationem nobis prodiderunt.

Non equidem a duplici munere tantum mihi otii superest, ut ingenium in Rhetorum scholis exerceam: neque adeo me vexat philautiæ tentigo, quin sentiam, tenuitatem meam

[a] *In l. 1. de Orig. juris.*

meam vix quicquam doctis auribus dignum, proferre posse. Interstrepit tamen anser olores aliquando; & quidni quælibet arriperetur occasio, celebrandi munificentiam Amplissimorum Academiæ hujus Curatorum, iisque ex vetere formula, apprecandi, ut annare & perennare possint, in publicum bonum? Vobis autem, Viri Celeberrimi, Collegæ conjunctissimi, non possum non, erumpente lætitia, gratulari raram temporis felicitatem; qua pars vegeta senecta, pars virili ætate, omnes festi atque valentes, sacras has ædes revisimus, dumque alibi conscientiæ libertas prostrata jacet, alibi litteræ mœrentes in exilium pelluntur, nos in pace & amore litterarios conventus celebramus: id quod ut vobis & mihi sæpius contingat, votis conceptis opto.

Quam vellem autem, ceteri omnis ordinis Auditores, tale in præsens elegissem legalis orationis, ut Zasius vocabat, argumentum, quod huic tempori, loco & personis esset accomodatum, quodque, præter animi delectationem, utilitate sese commendaret! Bonum, opinor, factum erit, si hoc ipso die, quo juris Naturæ & Publici explicationem aggressurus sum, *de Vera, non simulata, Jurisconsultorum Philosophia* dicam, & telam, quam alibi exorsus sum, pertexam. Enimvero veteres Jurisconsultos a Stoicis præcipue imbutos esse, olim publico sermone, adversus Paganinum Gaudentium, ostendi; superest, ut quibus in partibus rigidam magistrorum disciplinam viri summi, & juris auctores, deferendam existimarint, edisseram: id quod haud commodius fiet, quam si vera sapientia a simulata discernatur.[a] Nil præterea Institutionum explicationi aptius præmittetur, quam invidendum illud & magnificum ordinis nostri elogium, quod Ulpianus, statim sub initium libri primi Institutionum, sibi suisque sociis suspendit. Quid denique recitationibus publicis, de differentiis Juris Civilis & Canonici, nec non de Originibus præcipuarum juris Ecclesiastici materiarum, magis erit accomodatum, quam Sa-

[a] Vide supra *pag. 566. in fin.*

cerdotium juris? quod Justinianus Imperator, seu Pandectarum architecti, valvis & portis sanctissimi Jurisprudentiæ templi inscripserunt. Verba Ulpiani sunt, quæ sequuntur: [a] *Juris merito quis nos Sacerdotes appellet. Justitiam namque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur: æquum ab iniquo separantes: licitum ab illicito discernentes: bonos non solum metu pœnarum, verum etiam præmiorum exhortatione efficere cupientes; veram, nisi fallor, Philosophiam, non simulatam affectantes.*

En fundum sermonis pulchrum omnino, & varia observatione fecundum, in quo excolendo decora ingenia, cum in commentariis ad Pandectas, tum in libris singularibus elaborarunt. [b] Magna plerorumque horum apud me auctoritas est, & ingenui pudoris erit laudasse, per quos profecerim. Nisi tamen me omnia fallunt, non pauca adhuc in publico relicta sunt, quæ quum nemo occuparit, jure communi mea faciam, Vestroque judicio submittam. In eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia ranam: mihi princeps cura erit, atrox censuræ telum submovere ab Ulpiano, viro sapientissimo &, larva Stoicis detracta, simulatam eorum in multis demonstrare contemplativam disciplinam, præ activa & mascula Philosophia, quam Jurisconsulti sunt secuti. Quis enim tam ferreus est, ut se teneat? quum nonnulli, sine suffragio populi Ædilitatem gerentes, indignantur, & clamant: Domitium, desultorii ingenii hominem, pomœria artis suæ extendere ultra fines; sacros eum move-

a In *l. 1. pr. D. de Justitia & jure.*

b Ludovicus Malquytius, *de vera non simulata Jctorum Philosophia, Paris. A.* 1626. Ernstius & Brandes, *de vera & simulata Jctorum Philosophia.* Majore ingenii & eruditionis copia Ubertus Folieta, *de Philosophiæ & juris civilis inter se comparatione, Romæ A.* 1555. Hopperus & Conringius *de vera Jurisprudentia.* Sed his alius, quam nobis, fuit scopus. Petrus Faber multa, ad illustrationem hujus *l.* 1. pertinentia, in medium protulit; ut tamen spicilegium, haud contemnendum ex temporis consideratione, quo Ulpianus hæc scripsit, & ex historia Philosophica nobis superfit.

movere doctrinarum terminos; Sacerdotes ipsum in triumphum ducere, Philosophis sapientem barbam vellere, & suum denique studium reliquis anteferre, quo ambitioni vel avaritiæ suæ velificaretur.

Ne contra turbam instituta disputatio in incerto vagetur, patronum obtrectatoribus dabo Adrianum Turnebum, [a] Criticorum patrem, qui Ulpianum ambitiose, ait, affectare sapientiæ munus, quo ejus ornamento arti suæ decus quæreret. Sapientiam, pergit, rerum divinarum & humanarum cognitionem esse; hanc ipsum, in Jurisprudentiæ definitione, Philosophis adimere, suis tribuere. In contumeliam denique Theologorum, & invidiam Philosophorum interpretatur, quod Jurisconsultos sacerdotes; & veræ non simulatæ Philosophiæ cultores appellavit. Nec prorsus spernenda videtur censura, quæ & alio textu, & patria, & genio Domitii mordace, & moribus ejus adjuvatur. Alibi enim idem Ulpianus, Philosophos numero Professorum habendos esse, negavit. [b] Deinde ex colonia Tyriorum sibi originem esse, ipse professus est; hi vero, perdita audacia, velut omnis Musæ mancipia, sese Romæ nunc efferebant, licet nullam Philosophiæ partem attigissent; bilingues erant, & Punica fide mercabantur. [c] Scipio Gentilis porro, at ipse Jurisconsultus, non tantum ex Ulpiani fragmentis, sed ex singulis quoque Athenæi paginis, animum ejus cavillis deditum elucere fassus est, eamque putavit causam esse, cur a Cynicis, quos interrogatiunculis vexa-

 vit,

[a] *lib.* VIII. *Adverf. c.* 20.

[b] *L.* 1. §. 4. *D. de Extraord. cogn.*

[c] *L.* 1. *D. de Censibus.* Virgilius *Tyriosque bilingues*, id est fallaces vocat *l.* 1. *Æneid.* 651. Juvenalis Phœnicum πολυμαθειας professionem, Romanis molestam, perstringit Sat. III. 75.

- - - Ede, quid illum
Esse putes? quemvis hominem secum attulit ad nos:
Grammaticus, Rhetor, Geometres. pictor, aliptes,
Augur, Schœnobates, medicus, magus, omnia novit.

vit, Σοφιστὴς & κειτȣκειτος appelletur.[a] Idem denique ſceleratiſſimus creditur eſſe homicida, omnibus bonis deteſtandus, qui non modo Chriſtianos *impoſtores*, & codices eorum ſacros, *libros improbatæ lectionis* appellare auſus, ſed & libro VII. de Officio Proconſulis, reſcripta Principum nefaria collegit, ut Proconſules & Præſides provinciarum doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores veri Dei profiterentur.[b]

Verum enimvero non ſinat alma Themis, indicta cauſa, arrogantiæ & vanitatis damnari caſtiſſimum juris interpretem, virum modeſtiſſimum, & ſæculi ſui decus; qui nihil in vita, niſi laudandum aut fecit, aut dixit, aut ſenſit. Apage tam fœdam protervitatem a virorum principe, qui virtuti ſacramento dixerat; quem Heliogabalus, impuriſſima beſtia, removit, *ut virum bonum:* qui veram quoque, cui ſemper litaverat, Philoſophiam, morte non ſicca confirmavit.[c] Non thraſo, non Pyrgopolinices Ulpianus fuit, ſed Juriſconſultorum κορυφαῖος, vir præſtantiſſimus, ſapientiſſimus, & prudentiſſimus, haud uno publico munere functus. Ad extremum vero, Prætorio Præfectus, Pater, Amicus, & Tutor Alexandri Severi, qui ideo ſummus Imperator fuiſſe dicitur, quod hujus conſiliis præcipue Rempublicam rexit.[d] Nil ſane cauſæ erat, cur is diſciplinæ ſuæ, aliarum obtrectatione, famam aucuparetur, qui vel privato in limine, perpetuus populi Prætor fuiſſet, ſed ad cujus nutum mox triginta tremebant legiones, quibus gubernacula imperii geſſit. Nunquam certe metachroniſmi notam

a Athenæ. *lib.* III. *c.* 18. 19. Gentil. lib. I. *Parerg.* 6.

b Lactant. *l.* V. *Div. Inſt. c.* XI.

c Lamprid. *Heliog. c.* 16. Dio Caſſius *lib.* 80. Jacobus Lectius, magna facundia, vitam & ſcripta Ulpiani, duabus orationibus enarravit: ſed jungendus ei eſt Clariſſ. Schultingius, in notis, ad vitam Ulpiani, a Bertrando & Grotio conſcriptam

d *L.* 2. §. *ult. l.* 4. *in fin. D. de Excuſ. tut. l.* 4. *C. de Contr. vel comm. ſtip. l.* 11. *C. de Quæſt. Nov.* 97. *c.* 6. Spartian. *in Nigro. c.* VII. Lamprid. *in Alexandro c.* 26. & 51.

tam effugient, qui Ulpianum, loquacem Rhetorem, apud Athenæum, cum nostro confundunt.[a] Injuria quoque eum, tanquam professum nominis Christiani hostem, a summis & imis, passim perstringi, nuper ostendi,[b] nec ad quæstionem præsentem id valde pertinet. Atque ideo hæc sufficere poterant retundendis illis, qui de Ulpiano, haud secus, quam de scurra e trivio, aut Græculo esuriente, aut Munna, jus trium discipulorum captante loquuntur.

Sed quia Turnebi assEclæ in his nondum acquiescent, res paullo altius repetenda est; atque ut via & ordine nostra proficiscatur oratio, primum Philosophi existimationem Ulpiano ejusque symmystis breviter comparabo: dein veram eos Philosophiam non modo affectasse; sed & tanti nominis mensuram implevisse, postremo loco ostendam. Quo facto, laus modestiæ, & summus honos Ulpiano surget, unde ostentationis infamia ei parabatur. Dicendi genere humili, & juridico, aut si mavultis philosophico utar. Ita laudabo Jurisconsultos, ut veros, quos veneror, Philosophos, honore & cultu suo non defraudem; simulatores autem quosvis, Tros Rutulusve fuat, vivis coloribus depictos & variegatos sistere conabor. Vos, quæso Auditores, aures mihi benevolas præbete.

Omnes artes scientiasque cognatione inter se connecti, & sororio quasi vinculo conjungi, omnis ætatis Sapientes tradiderunt, & nemo nostrum cotidie non experitur. Græci amœnum illum variæ disciplinæ concentum ἐγκυκλοπαιδείαν,

a Eundem errorem erravit Cujac. XXIV. *O.* 39. sed alius fuit Sophista Ulpianus, alius JCtus; uterque Tyrius, sed dispares ætate Ille Pancratem Poëtam, qui floruit sub Hadriano, notum sibi fuisse affirmat; hic pleraque imperante Caracalla scripsit, & à Prætorianis Alexandri occisus est. Vide argumentum, ab antiquo epitomatore, Athenæo præfixum; & Hieronymum Wolfium, ad Demosthenicos Ulpiani commentarios in princ.

b In disputat. *de Statu Judæorum publico, ad l.* 3. §. *fin. de Decurion. c.* 1. §. 5. 6. Vide etiam Merillium *lib.* v. *Observ. c.* 22. & Mericum Casaubonum *ad lib.* 1. *Antonini pag.* 386.

Romani *orbem doctrinarum* vocarunt.[a] Quemadmodum vero iter per orbem terrarum facientes, quibusdam in locis, prandendi causa tantum commorantur, in aliis pernoctant; alibi plusculos dies consistunt, tandemque in patriam reversi, penates ibi & sedem fortunarum figunt. Sic etiam eos, qui litteris operam navant, in quibusdam brevius, in aliis diutius immorari oportet: & illas quidem delibare, has integras perdiscere, atque ad eas exornandas & poliendas omnia referre. Apud Hebræos, legis divinæ studium, præter Theologiam contemplativam & activam, jus tam civile, quam Pontificium, etiam historias veteres comprehendebat. Simili eruditionis varietate, inter alios Romanos commendantur Nigidius Figulus, & Terentius Varro: nos Senecam Philosophum, & naturalis historiæ scriptorem Plinium, ex scriptis, quæ supersunt, admiramur. Eandem quoque viam ingressi sunt, quotquot veterum Jurisconsultorum per gloriam vivunt. Servium Sulpitium omnis doctrinæ studiosum fuisse accepimus: Antistius Labeo in omnes disciplinas penetravit. Masurius Sabinus in vario scientiarum genere diligenter fuit versatus: in uno Aristone omnes bonæ artes summum periculum adiisse videbantur.[b] Nemo autem Jurisprudentum tanta Physicarum, Medicarum, Politicarum, œconomicarum, etiam exoticarum rerum scientia clarus fuit, quam noster Ulpianus. [c] Si titulos Pandectarum de Re militari, Ædilitio edicto, de Tritico, de Auro & argento, de Penu, de Instructo vel instrumento legato, aliosque percurras, omnem rem bellicam, forensem,

a Quintilian. *lib.* I. *Instit. c.* 10. Vitruv. *lib.* I. *c.* I. & *lib.* VI. *præfat.*

b Vide Ciceronem *lib.* III. *de Oratore c.* 33. & IV. *ep.* 3. Gell. *l.* XIII. *c.* II. Athenæi *argumentum*, Plin. *lib.* I. *ep.* 22.

c *Ulpianus præ ceteris erat* πολυιδρις και πολυιςορ, *omniumque & politicarum, & œconomicarum, etiam minutissimarum rerum & scientia & usu callentissimus, ut passim in toto jure leges ejus ostendunt*, scribit Carolus Molinæus *in tractatu commerciorum n.* 775.

ſem, medicam, inſtitoriam, ruſticam, urbanam, fabrilem, veſtiariam, nauticam & unguentariam eum calluiſſe deprehendes. Nulla, illius ætate, de termino moto actio erat inter eruditos; nullus Prætor de juriſdictione cognoſcebat. Propter inertiam multorum, & exigua naturæ præſidia, tum quidem plures artes erant conſtitutæ: & ſatis decantatum erat, eum, qui ubivis eſt, nullibi eſſe; fabrilia fabros tractare debere: ſed qui in Rep. excellere volebat, omnia, quæ a ſapientibus tradita fuerant, ſummo ſtudio & cura diſcebat; omnium rerum, quæ libero homine ſunt digniæ, una credebatur eſſe doctrina, unus contextus diſciplinarum. Qui Juriſconſultus, idem Theologus; idem rerum divinarum & humanarum peritus. Humani autem ingenii imbecillitas, & breve vitæ ſpatium, & longa ſingularum artium cognitio, excellentia quævis ingenia monebat, ut a potiore diſciplina, in qua conſenuerant, tantum nominari voluerint.

Inter ceteras autem artes liberales, quas humana ratio comprehendit, Philoſophia principatum tenere viſa eſt Juriſconſultis; ideoque non ab Edicto Prætoris, neque a legibus XII. Tabularum, ſed penitus ex intima Philoſophia, juris artem hauriendam eſſe exiſtimarunt. Hi omnes, quæ Philoſophiæ tribuuntur partes, naturalem, quantum ſatis erat; diligentius rationalem, Politicam & œconomicam; diligentiſſime moralem ſunt complexi. Hæc nimirum germana Juriſprudentiæ ſoror eſt, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum, quæ eoſdem habet fontes, qui legibus & jure civili continentur. Logicus ſi de triangulo diſſerit, Geometræ munus invadit: Rhetor, res divinas tractans, aliud agit, quam debebat. Verum ſi Theologis Philoſophiæ inſidiari licet; ſi Medici rerum naturalium ſcientia, ſe carere non poſſe profitentur; quod malum noſtri ordinis homines ab illa omnium artium matre arceat? Profecto Juriſconſultus, Philoſophiæ deditus, tantum abeſt, ut in alienas poſſeſſiones irruat, ut nomen ſuum tueri non poſſit, niſi largo ſa-

ſapientiæ illius flumine ſit inundatus, quæ vitæ uſum tradit, mores ad honeſtatem componit, & officia ſocietatis humanæ diſpenſat. Ite per omnes reſpublicas; legum æquitate celebratas; & maximos quoſque legiſlatorum Philoſophos fuiſſe, legumque interpretes philoſophatos eſſe, liquebit. Athenas & Spartam, duos illos Græciæ felicis ocellos, intueamur: nonne ibi Solon, hic Lycurgus, ſolius Philoſophiæ ope, viam ad ſubigendos animos feroces munivērunt? Quid Zaleucus; & Charondas? quid ceteri Rheginorum, Locrenſium & Thuriorum legiſlatores? nonne in tacito illo Pythagoræ receſſu ſeſe præpararunt, priuſquam jura darent, quibus immortalem gloriam ſunt conſecuti? Maneat ergo æternum Jurisprudentiæ cum Philoſophia connubium; & valeant ignaviæ magiſtri, qui divortio pernicioſo ſeparanda contendunt, quæ individuo nexu ſemper conjuncta fuerunt, & porro a veris Jurisconſultis conjungentur.[a]

Videamus autem, quid impulerit Cenſores Ulpiani, ut nimis magnifice putarint, ab eo dictum eſſe, Jurisconſultos Philoſophiam affectare. Hi ſcilicet maturos illos & conſummatos veteris Romæ Prudentes componunt, cum modulo eorum, qui neglectis laborum gradibus, prout amores vel ambitus ſuadent, biduo ſe Jurisconſultos profiteri non erubeſcunt. Alii forſan Jurisperiti officium arctiſſimis finibus concludi arbitrati ſunt; ſcribendo, reſpondendo, de ſtillicidiis, anteſtationibus, vagulationibus, de rivis, glande legenda, aliisque ejusmodi contemtis rebus, ad quas Philoſophus ſtatim nauſeet, divinioribus tantum adſuetus.[b] Ve-

[a] Non repeto, quæ ſupra dixi, *Orat.* I. *pag.* 584. 585. 595. Sed addo Horatium *Arte poet.* de vetuſtiſſima Philoſophia Poëtica:

- - - *Fuit hæc ſapientia quondam*
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri; leges incidere ligno.

[b] Cicero I. de LL. *Quo me vocas? aut quid hortaris? ut libellos con-*

Verum nisi præjudiciis mens horum occupata sit, levi negotio, ad proprii erroris confessionem eos adigam. Num enim parva cuiquam eruditio videri potest, de omnibus rebus, quæ in hominum controversiam cadunt, jus tenere, & rationem eas dijudicandi habere perceptam? Ergone vile aliquod artificium est jus civile, rebus tranquillis turbandis, aut crumenis hominum impune emungendis inventum? quod in gyrum rationis deducit mortales, rebus secundis efferatos, societates tuetur, & res cunctas æquis imperiis dispensat. Itane tandem quæstuosum magis, quam salutare est Jurisconsultorum munus? qui consultoribus formulam, hastas patronis, judicibus rectum & bonum, Prætori æquitatem subministrabant: ad quos sic adibatur, ut non modo de universo jure, verum de omni officio ad eos referretur. Latissime profecto, per omnem societatem humanam, manat juris interpretatio, nullaque vitæ pars, domi foris; pace & bello; in divinis & humanis; publicis & privatis, neque si tecum agas aliquid, neque si cum altero contrahas, ejus munere vacare potest. Hæc suum cuique tribuendum, patriæ & parentibus parendum, fidem in conventionibus servandam esse jubet. Hujus cognitionem viri principes semper in possessione sua tenuerunt, quod plurimas gratias, firmissimas amicitias, multaque studia pariebat. Et tu, quisquis es denique, tolle leges, & vincula revelles vitæ communis; aufer jura, & vide quid sint dominia rerum? quæ vis obligationis? quis exitus ultimæ voluntatis? Nihil erit, quare exploratum cuiquam esse possit, quid suum vel alienum sit, quid pater liberis sit relicturus, quid filius a patre sperare possit. Omnia incerta sunt, simul a jure recessum est.[a]

Qqqq Satis

conficiam de stillicidiorum & de parietum jure? aut ut stipulationum & judiciorum formulas componam? Quæ & conscripta sunt a multis diligenter, & sunt humiliora, quam illa, quæ à vobis exspectari puto.

a Egregie Cicero, *lib.* XI. *ad Famil. ep.* 16. & *pro Cæcina c.* 25: qui

Satis jam ex vultibus veſtris colligere videor, Auditores, inter omnes conſtare, non utiliter modo, ſed neceſſario Philoſophiam cum Juriſprudentia copulatam fuiſſe olim, & hodie ab omnibus conjungi debere. Nunc major rerum ordo ſurgit, ubi ad veram, non ſimulatam Juriſconſultorum Philoſophiam perventum eſt, quam ſibi ſuiſque adſcripſit Ulpianus. [a] Ecquid enim, dicet aliquis egregie cordatus homo, ecquid hoc eſt, niſi ampullas projicere, & limites modeſtiæ egredi, per quam pudor honeſtus ſibi ſtabilem demum auctoritatem comparare valet? Dic aliquem, ſodes, dic Quintiliane colorem, Hæremus dubii! Foppius Aizema [b] hic exclamandum putat: non ego. Neque enim adeo in anguſtum redactæ ſunt copiæ noſtræ, ut animus abjiciendus ſit: quicquid fieri poteſt, turpiter deſperatur. Poſſem provocare ad naturalem illam mortalium inclinationem, qua ſuum cuilibet pulcrum videtur, & nemo non ea in re triumphat, in qua maxime ſe excellere ſentit, ut ipſe ſeſe evadat excellentior. [c] Poſſem confugere ad innatam illam Romanis ambitionem, aut ſi mavultis, ad ſtudium Syrorum alios vincendi ingenii cultu. Sed nihil horum opus eſt. Qui tot finium regundorum formulas præſcripſerat Juriscon-

qui & alibi multus eſt, in juris ſcientia prædicanda, *lib.* II. *de Off. c.* 19. & *lib.* I. *de Orat. Quid*, inquit, *præclarius, quam honoribus & Reip. muneribus perfunctum ſenem, ſuo jure dicere id, quod apud Ennium dicit ille* Pythius *Apollo: ſe eſſe eum unde ſibi, ſi non populi & Reges, at omnes ſui cives conſilium expetant, ſuarum rerum incerti; quos ego mea ope ex incertis certos, compoteſque conſilii dimitto, ut ne res temere tractent turbidas?*

[a] Livius ſimiliter ſimulatum pavorem vero opponit *lib.* II. *c.* 50. Florus veram fugam ſimulatæ *lib.* III. *c.* I. Sidonius Apollinaris *lib.* III. *ep.* 7. *Nihil affectatum ſimulatumque; vera potius ſeveritas, quam ſeveritatis imitatio.* Optime Marcus Antoninus lib. I. n. 16. Τυτοις δε και το τιμητικον των αληθως φιλοσοφυντων, τοις δε αλλοις εκ εξονειδιστικον. *Vere Philoſophantes in honore habebat, ceteris nihil exprobrabat.*

[b] *lib.* II. *differt. jur. civ. c.* 9.

[c] Vide Plinium IV. *ep.* 17. in fronte hujus diſſertationis, ad invidiam ſtatim ab Ulpiano removendam, laudatum.

consultus, libenter vicinis disciplinarum terminos permittebat. Qui legem Philosophiæ veræ, quantum natura sibi relicta capit, reipsa impleverat, nil erat, cur elogium Philosophi, cum aliorum injuria aucuparetur; unde quo minus gloriæ petiit, eo majorem est adsecutus. Quid ergo? Non ait Ulpianus, suam juris scientiam veræ Philosophiæ decreta tradere; Philosophorum omnia esse simulata, umbras & purgamenta mera. Non jactat, se suosque solos culmen veræ sapientiæ tenere, sed juxta cum aliis veris Philosophis, juris sacerdotes anxie eniti, & nervis omnibus studere, ut, damnato otio, hypocrisi, avaritia, & missis difficilibus nugis, *rem* illam *religiosam*, quam alibi vocat, [a] factis, non verbis excolerent, ejusque brabeum, animi tranquillitatem consequerentur.

Veram igitur Philosophiam primo *Activam* vocat, quæ boni & æqui notitiam non modo intellectu comprehendit, & lingua profitetur; sed quæ in Curia, in Foro, in omni vita civili, licitum ab illicito discernit, malosque cives, duabus rebus, multo potentissimis, immedicabiles pœnis coercet, reliquos vero præmiorum exhortatione bonos efficere conatur. Contra simulata *contemplationibus* argutis, & altercationibus cathedrariis, nil profuturis consumitur, otio gaudet, totaque in oratione, non in actione consistit. [b]

a. *l.* 1. §. 4. *D. de Extraord. cognit.* Seneca Philosophiæ nomen similiter *sacrum & venerabile* appellat, *epist.* 14.

b Aristoteles Philosophiam contemplatricem alibi quidem videtur evehere, sed activæ eam subjecit lib. 1. Ethic ad Nicomach. c. 2. *Bonum civitatis & acquirere, & conservare, majus quid & divinius videtur: nam contentus quidem esse etiam unusquisque potest, si uni soli; pulchrius tamen ac divinius, si genti ac civitatibus utilis efficiatur.* Rotunde Cicero lib. xv. epist. 4. ad Catonem: *Soli propemodum nos Philosophiam illam VERAM & antiquam, quæ quibusdam otii esse ac desidiæ videtur, in forum atque in remp. atque in ipsam aciem pæne deduximus.* Seneca *ludum litterariorum Philosophorum* (sic in vito Gronovio, pro *litterarium* legit Faber; Lipsius ex suo *litteralium*

Deinde vera Philoſophia, vel unius Socratis judicio, eſt *moralis*, quæ naturam humanam penitius intuetur, ex ea mores recte conſtituit, eosque a labe & pravorum injuriis defendit. Hæc animum diſcutit, appetitus a vitiis purgat; bonum, malum; expetendum, fugiendum proponit; nec alios tantum facunde monet, domitas habere libidines; ſed propriis cupiditatibus manus injicit, easque frenis & catenis compeſcit. Simulata autem rebus *phyſicis* & cœleſtibus unice intenta, de fluxu & refluxu maris, terra, cœlo, meteoris, cometis, aliisque extra nos poſitis, multa obſcure diſſerit, dumque nimium auctoritatis naturæ tribuit, in auctorem naturæ ſæpius impingit. [a] Tertio veram Philoſophiam *gratuitam* vocat, quæ ſine præmio benigna, modicis con-

ralium) *qui rem magnificentiſſimam ſyllabas vocant, & animum minuta docendo dimittunt*, relinquendum eſſe ſuadet *Epiſt.* 71. Alibi *veros* Philoſophos opponit *cathedrariis*, qui verbis non re philoſophabantur, de Brevitate vitæ c. x. *Solebat dicere Fabianus: non ex his cathedrariis Philoſophis, ſed ex VERIS & antiquis.* Arrianus Scholaſticos & ſtultos conjunxit *lib.* III. *c.* 26. Marcus Scholaſticum viro maturo, & rebus adminiſtrandis idoneo opponit *lib.* I. §. 16. Julianus Imp. ad Themiſtium pag. 263. *Cum vitæ genus illud, quod in actione verſatur, philoſophico te anteferre dixiſſes; tum ejus ſententiæ teſtem Ariſtotelem citaſti, qui felicitatem in eo, quod recte agatur, ſitam putavit.* &c. Poſterior ætas *nominales* Philoſophos appellavit, *quod avari rerum, prodigi nominum eſſent*, auctore Aventino *lib.* VI. *Annal. Bojor.* Stephano Epiſcopo Tornac. Epiſt. 97. *verborum venditores* dicuntur.

Hinc Ariſto dicebat, eos qui, relicta Philoſophia morali, τοῖς ἐγκυκλίοις μαθήμασι vacarent, ſimiles procis Penelopes eſſe, qui cum domina potiri non poſſent, ancillis miſcebantur, apud Stobæum *Serm.* II. Alexandriæ Aſtrologi tributum ſtultorum pendebant, quod a ſtultis conſulerentur; Suidas *in voc.* βλακενόμιον. Romæ ab omnibus fere Principibus interdictum fuit, ne quis omnino Chaldæorum & mathematicorum ineptiis ſe immiſceret, variéque puniti ſunt hi, qui id exercuerunt; auctore Ulpiano *tit.* XV. *Collat.* In Concilio Lateranenſi Clericis vetitum exercitio Phyſicæ *cap.* 3. & *ult. X. Ne clerici vel mon.* Auguſtinus hanc ſcientiam parum proficere Chriſtiano, ſcripſit *Enchirid. ad Laurentium.*

contenta, ſine oſtentatione, ſine ſuperbia; nocet nemini, prodeſt multis, nec ambitione, aut ſpe lucri, ſed virtutis amore excitatur. Simulata *mercenaria* eſt, quæ victu & corporis habitu ſeveritatem præ ſe fert, lingua & ſupercilio pecuniam contemnit, at fictam adſeverationem ubivis nudat, artem ſanctiſſimam nummario pretio dehoneſtat, ſuaque utilitate omnia metitur.[a] Denique vera Philoſophia eſt *prudentia civilis*, quam Plato regalem ſcientiam & Principum vere propriam, Ariſtoteles artium reginam appellavit. Hæc eſt politica illa Philoſophia, & architectonica, quæ cum pediſſequis ſuis comitata, orbem illum doctrinarum, omnisque juris, naturalis & divini, publici & privati complectitur ſtudium, nec leges tantum, ſed & earum finem, rationes, applicationem & interpretationem commonſtrat. Hujus fundamentum eſt illud rectæ rationis dictamen, quod non hauſimus, non didicimus, ſed cujus inventor & diſceptator eſt Deus; quod aliud non eſt nunc, aliud olim, aliud hic, aliud in Anglia, Gallia, Hiſpania; cui derogare non licet, quo ſolvi nemo poteſt; fons legum civilium, quæ ad genium cujusque populi, ſuadente publica utilitate diriguntur.[b] Simulata autem *ſophiſtica* eſt, quæ in captando

[a] Papinianus, niveus ille veræ Philoſophiæ cuſtos, in *l.* 8. §. 4. *D. de Excuſat. tut.* *Etenim*, inquit, *VERE philoſophantes pecuniam contemnunt; cujus retinendæ cupidine fictam adſeverationem detegunt.* Seneca 11. de Benef. cap. 17. *Res eſt intolerabilis, poſcere nummos & contemnere, Indixiſti pecuniæ odium; hoc profeſſus es: perſonam induiſti, agenda eſt. Iniquiſſimum eſt, te pecuniam ſub gloria egeſtatis acquirere.* Apulejus *in apolog.* ubi paupertatem Philoſophiæ vernaculam, & bonæ mentis ſororem explicat, *cur ejus*, inquit, *pudeat tenuiores, quod ea non* ſimulate. *ſed* vere *fungimur.* Multa Grotius *in flor. ſparſ. ad l.* 1. *D. de Extr. cognit.* Freherus 1. *parerg. c.* 1. Henelius *c.* 12. *Ot. Vratiſlav.*

[b] Euphrates Philoſophus apud Plinium lib. 1. epiſt. 10. *Hanc eſſe Philoſophiæ, & quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoſcere, judicare, promere, & exercere juſtitiam, quæque* ipſi

do & illaqueando occupata, meris sycophantiis & fallaciis humanarum fictionum innititur, a Platone olim derisa, nunc proceribus contemta, crux melioris juventutis; quæ utiliore fruge neglecta, scholæ non vitæ discit, & tot inter nebulas variarum opinionum, vix viam videt, qua ad rationalem & veram sapientiam eatur. [a]

Jam vero, per fidem vestram, Auditores, aures animumque in rem præsentem convertite; & verba Ulpiani, conviciis vulgo proscissa, ac tantum non arrogantiæ damnata, mecum considerate pressius. Ecce! quam prudenter ille temperat sermonem? quanta cunctatione deliberat? nec absolute tandem, sed hæsitans pronunciat, judicii temeritatem, si qua esset, velut deprecaturus: *Veram Philosophiam, nisi fallor, non simulatam affectantes.* Tanta nimium viri hujus summi erat modestia, ut licet sententiæ suæ esset certus,

ipsi doceant, in usu habere. Cujacius in adhortatione ad filium Jacobum, tractatui VI. ad Africanum præmissa: *Sine studiis Juris Civilis*, inquit, *neque stare res, neque mores hominum constitui, componi aut temperari ullo modo possunt: sine quibus prudentissimus cautissimusque rerum homo, quisquis sit, quantumvis felici sidere natus, nemo unus evaserit unquam, sine quibus æqui & boni quoque speciem comprehenderit vix unquam quisquam bene; nec si se dederit totum Philosophiæ, nec si litteris sacris. Nam Philosophia universa tantum præcepta regendæ Reipublicæ nos docet, nec attingit singula quæque* &c. Multis partibus, magnoque dignitatis intervallo, jus civile Philosophiæ præstare, Ubertus Folieta, in libris tribus docuit, *de Philosophiæ & juris civilis comparatione.*

a Hanc Plato infamat passim, maxime in Hippia minore, & in Sophist. τον σοφιστην definit: μιμητην τȣ σοφȣ, *sapientis simiam.* Sophismata & ancipites disputationes inde *Philosophiæ* dicuntur apud Ciceron. III. *de Orat.* 27. Senec. *epist.* 48. Gell. *lib.* IV. *c.* I. *Sophistæ appellantur ii, qui ostentationis, aut quæstus caussa philosophantur*, ait Tullius II. Acad. quæst. Seneca ep. 29. *circulatores sophistas* vocat, *qui Philosophiam honestius neglexissent, quam vendunt.* Idem epist. CXI: *VERUS & rebus, non artificiis Philosophus.* Marcus Antoninus Diis acceptum fert, quod cum philosophandi cupiditas incessisset, non in Sophistam aliquem inciderit, nec syllogismis resolvendis, vel meteorologicis discutiendis, tempus deses contriverit *lib.* I. *in fin.*

tus, nec falli timeret, tamen verbis timidis: *nisi fallor*; *credo*, *opinor*, *videtur*, *difficile*, *mirum*, *novum*, *verius est*, *magis puto*, *ut mea fert opinio*, aliisque id genus moderationis formulis eam proferret. Sæpe sententia ejus discrepat; nuspiam verbis petulantibus aut dictu asperis utitur adversus illos, quos reprehendit. Si maledicta & concertationes iracundas adamasset, hic locus erat fictos Philosophos, qui omnia vitæ instituta præ sua sorte despiciebant, castigandi; sed nihil horum. Dum contumelias, turpem animi impotentis & simulati fœtum detestatur, verum se Philosophum esse ostendit. *Affectare*, in partem bonam, est omnibus votis & viribus appetere, animum pronum ad faciendum habere.[a] Se ergo suosque socios, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, cives non solum metu pœnarum, verum præmiorum quoque exhortatione bonos efficere cupientes, anxie eniti declarat, ut veri Philosophi essent, sed experiundo didicisse, quam id difficile sit, immo perfecte præstari non possit. Prorsus ac bis sanctus Apo-

[a] Hoc sensu affectare iter, viam, regnum, Cicero, Virgilius & Livius dixerunt. *Qui data opera & sine lucro hoc affectaverit*, inquit idem Ulpianus noster in *l. 5. D. Ex quib. caus. maj.* Mornacius longe convenientius in hoc, quod explicamus, capite legendum putat, *asfectantes*, quia in re simili Paulus 11. *ad Timoth. c. 3. vs. 10.* sic locutus fuit. Sed magis est, ut Ulpianum, dum pungit simulatos Philosophos, voce Philosophica usum esse credamus. Seneca ep. 89. *Philosophiam sapientiæ amorem & affectationem* definit. Tertullianus, Ulpiano æqualis, lib. 1. ad nat. c. 4. *Sed veritatem, sæculo operosissimam, Philosophi quidam affectant, possident autem Christiani: ideoque qui possident magis displicent, quia qui affectat inludit, qui possidet defendit.* Idem in Apolog. c. 46. *Mimice Philosophi affectant veritatem, & affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant. Christiani & necessario appetunt, & integre præstant, ut qui saluti suæ curent.* Similiter Jurisconsulti, Reip. consulentes, integre præstare conantur leges veræ Philosophiæ, easque re & factis, non per mimicam κακοζηλίαν affectant. Studiosos sapientiæ se esse gloriantur, non eruditos. Hinc artem suam *studium* vocant, se *studiosos*, quia dant operam, necdum pervenerunt.

Apoſtolus, ſi parva licet componere magnis, ad Philippenſes ſcribens: non quod jam metam apprehenderim, aut jam ſim conſummatus, ſed perſequor experiens, an quoque comprehendam.[a] Verum quod præ verecundia ſibi tribuere non auſus eſt magnus Juris antiſtes, id ratio poſtulat, ei mortuo ut aſſeramus. Res omnis manifeſta erit, ſi tempus, quo hæc ſcribebat, tum ſectas & æmulationem Philoſophos inter & JCtos contemplemur: Sic enim cauſſa cadam, niſi liquido oſtendero, propius ad veræ ſapientiæ culmen Ulpianum, cum plerisque Jurisconſultis acceſſiſſe, quam φιλοδικοι Philoſophi ejus temporis, nulla laude vel patrocinio digni.

Natus eſt Ulpianus, Antonino Philoſopho imperante: libros Inſtitutionum, ex quibus hoc caput deſumtum eſt, ut alia pleraque, elucubravit ſub Antonino Caracalla; ſub Alexandro autem Severo, in ſummo honoris faſtigio, militum ſcelere trucidatus eſt.[b] Jam vero aptum philoſophandi ſæculum natum erat, quo Marcus Antoninus, Princeps cognomento Philoſophus, imperio præerat, & ſapientiæ ſtudium, non ſcriptis tantum, ac decretorum ſententia, ſed morum gravitate, atque continentia uſurpabat. Unde princeps *providentiſſimus*, *Philoſophiæ plenus*, & *Philoſophiſſimus* vocatur.[c] Hinc quoque factum eſt, ut nulla ætas majorem philoſophantium protulerit proventum, quam iſta:

ſolent

[a] *Ad Philip.* III. 12.

[b] Caracalla imperare cœpit A. C. 211. Alexander A. C. 222. Inſtitutionum libros ab Ulpiano ſcriptos eſſe, ſub Antonino Caracalla, liquet ex fine *tit.* 16. *Collat. LL. Moſ.* & monuit ibidem Eruditiſſimus Vir, Ant. Schultingius in notis.

[c] *L.* 67. *§. fin. D. de Leg. lib.* 2. *l. ult. C. de Repud. l. pen. C. de His quib. ut ind. Nov.* 22. *c.* 19. Eutropius lib. VIII. Hiſt. Rom. *Marcus Philoſophiæ deditus Stoicæ: ipſe etiam non ſolum vitæ moribus, ſed etiam eruditione Philoſophus.* At Capitolinus in ejus vita, *datum ei vitio*, refert, *quod & fictus fuiſſet, nec tam ſimplex, quam videretur.* De numero philoſophantium hoc ævo Herodianus *lib.* 1. *c.* 2. §. 8.

solent enim homines vitam Principis plerumque æmulari; ad hanc flexibilis quisque in quamcunque partem convertitur, nec tam imperio opus est, quam exemplo. Plerique autem, ut ejus genio se conciliarent, barbæ palliique habitu Philosophos sese mentiebantur, lucra & immunitates tantum captantes, homines ignava opera, Philosopha sententia. Nulla ætas ejusmodi simiis caruit: sed dies me deficeret, si mathematicorum, astrologorum, genethliacorum, Chaldæorum, magorum, impietatem & disciplinam numerorum, Romanis potentibus infidam, sperantibus fallacem, enarrare vellem. Senatusconsultis & Principum Edictis impostoribus his occurrendum fuit plus semel, eorumque multa in libris nostris supersunt. Quis nescit toties pseudo-Philosophos Urbe pulsos? simulatam Philosophiam a Comicis in scæna traductam? a Poetis denique circumforaneos istos, qui in convitia sua diserti, in suam libidinem & avaritiam perorabant, populo deridendos propinatos esse? [a] Verum sub Marco talium integri obrepebant greges: *Magna multitudo se philosophari simulavit, ut ab eo locupletaretur*, inquit Dio Cassius; addit Capitolinus, inde evenisse, *ut fama fuerit, quod sub Philosophorum specie quidam rempublicam vexarent, & privatos.* [b] Non minor horum, tempore Septimii Severi, proventus fuisse videtur; quia non ipse tantum Au-

a Elegans Ulpiani locus *tit.* xv. *Collat. LL. Mos.* Pauli v. *Sent.* 21. §. 3. Ennii *pag.* 226. Pacuvii apud Gellium *lib.* XIII. *c.* 8. Plauti *in Curcul.* II. 3. *vs.* 9. Valerii Maximi *lib.* 1. *c.* 3. Taciti II. *Ann.* 32. & 1. *Hist.* 22. Sueton. *Tiber. c.* 36. & *Domit. c.* x. Juvenalis *Sat.* VI. Martialis *lib.* IX. *ep.* 77. Quintilianus Inst. lib. 1. præfat. *Nostris temporibus, sub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt: non enim virtute ac studiis, ut haberentur Philosophi laborabant; sed vultum & tristitiam, & dissentientem a ceteris habitum pessimis moribus prætendebant.*

b Dio in *Marco lib.* 71: & Capitolinus *in eodem c.* 23. ubi Casaubonus ad hos, qui sub Philosophiæ specie Remp. vexabant, Marci rescriptum referri posse censuit, a Modestino memoratum, in *l.* 30. *D. de Pœnis* & Ulpiano *dict. tit.* xv. *Collat.*

gustus *Philosophiæ studiis deditus* fuit, etiam infamatæ illius; quæ ex astris & genesi, futurorum notitiam profitebatur; sed ejus quoque uxor, Julia Domna, Caracallæ mater, circumfusam undique Sophistarum coronam secum duxit, atque adeo Philosophiæ fuit studiosa, ut *Philosophæ* meruerit nomen. [a] Evenit sic idem rursus, quod Marci temporibus, ut multi, Philosophiæ studio quam maxime se teneri, fingerent, ad gratiam & favorem promerendum, licet nulla docendi peritia, interpretandi subtilitate, aut morum probitate instructi essent. Quapropter Papinianus *Veros* Philosophos a falsis tum distinxit [b] Sed, quod caput est, jam dudum Antoninus Philosophis, per omnes provincias, salaria, eaque neutiquam exigua, contulerat, & vacationes munerum personalium ac patrimonialium, a Vespasiano & Hadriano olim indultas, iis confirmarat; numerum vero, quot quibus in civitatibus exhiberi publice deberent, non finivit, conditiones quasdam lege proposuisse contentus, quibus expletis ad privilegia & lucra admitterentur. [c] His ergo quia multi, amictu tenus Philosophi, Ulpiani ætate, insidiabantur, amplasque mercedes a discipulis suis exigebant, quis ambigat, tales Professorum numero habendos, ab eo recte negari? Quanquam enim nosset, omnes liberalium artium Doctores, Professores dici, & Philosophiam rem religiosam esse, vox tamen professionis mage mercenariam operam indicabat, quam spernere oportebat eos, qui Philosophos se haberi vellent. [d] Modestinus tradit, Philosopho-

[a] Aurelius Victor *Cæsarib. c.* 20. *Dio lib.* 75. *fin.* Menag. *Hist. mul. Philos. segm.* 16.

[b] *In l.* 8. §. 4. *D. de Vacat. & excusat. mun.*

[c] Auctor est Capitolinus *in vita Pii c.* XI. & Modestinus *l.* 6. §. 8. *D. de Excusat.* Arcadius Charisius in *l. ult. in fin. de Mun. & hon.* & Diocletianus in *l.* 4. *C. de Prof. & Med.* Salarium μυρίας δραχμὰς fuisse Lucianus in *Eunucho*, Philostratus *lib.* II. *de vitis*, *in Theodoto*, & in *Chresto* testantur. Vide Meursii *Fort. Att. c.* 8. & Gronov. *lib.* IV. *de pec. vet. c.* XI.

[d] Verba Ulpiani in *l.* I. §. 4. *D. de Extraord. cognit. An & Philosophi*

osophorum numerum, constitutione Divi Pii, ideo haud constitutum fuisse; *quia rari sunt, qui philosophantur.* [a] Valentinianus postea omnes, qui habitum Philosophiæ indebite & insolenter usurpabant, patriæ suæ reddi jussit; turpe putans esse, ut patriæ functiones ferre non possent, qui vim fortunæ se ferre profiterentur. [b]

Satis, opinor, ex temporis ratione, quo scripsit Ulpianus, ostendi, perquam utile, immo necessarium fuisse, ut veri Philosophi a simulatis discernerentur; qui meritoria sua arte, Philosophiam, sanctissimam matronam, meretricis instar, ea ætate prostituebant. Major nunc lux affulgebit, si pressius consideremus, quatuor Philosophorum sectis, Platonicis, Peripateticis, Epicureis & Stoicis, ab Antonino salaria constituta fuisse, ut juventutem docerent. [c] Alebas

sic

phi Professorum numero sunt? & non putem: non quia non religiosa res est: sed quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam spernere. Hæc in contumeliam Philosophorum non vergunt, ut multi existimant; sed magis ad honorem eorum referri possunt. De Jurisconsultis enim in §. *seq.* posterius quoque affirmat; & utrosque separat a Grammaticis, Sophistis, Geometris, calculatoribus, chirurgis & auriculariis, qui extra ordinem de mercede agentes, audiebantur. In l. 3. C. Th. de studiis lib. *Philosophiæ arcana rimantes.* In l. 11. C. Just. de Prof. *Philosophiæ præceptores* vocantur.

a *In l. 6. §. 7. D. de Excusat.* ubi Burgundionis Pisani, aut quisquis interpres est, errorem insignem, in versione vocis ακριβολογουντο, corrigit Menagius ad *Laërt. lib.* IV. *segm.* 50.

b *l. 7. C. Th. de Medicis & Prof.* ad quam Jac. Gothofredus in notis, quid sit *habitus Philosophiæ* explicavit. Sed adde *Matth. X.* 10. Casaubon. *ad Capitolini Marcum c.* 2. & Salmas. *de pallio.* Herodianus habitum illum φιλοσοφω σχημα vocavit *lib.* I sicut sacerdotum, Clericorum & Monachorum *schema in l. 3. C. de Summa trin. Nov.* 123. *c.* 10. *Nov. Leon.* 7. Huc etiam pertinet elegans Diocletiani & Maximiani l. 6. C. de Muner. patrim. *Professio & desiderium tuum inter se discrepant: nam cum philosophum te esse propenas, vinceris avaritia & rapacitate; & onera quæ patrimonio tuo injunguntur, solus recusare conaris. Quod frustra te facere, ceterorum exemplo poteris edoceri.*

c Lucianus *in Eunucho*, Philostrat. *lib.* II. *de vit. Soph. n.* 2. Tertul-

ſic æmulatio ingenia; ſed dum hunc invidia, illum avaritia, omnes præjudicium auctoritatis accendebat, quiſque ſuam philoſophiam veram, ceterorum ſimulatam eſſe jactavit, philoſophico more. Academici quidem & Peripatetici inter ſteriles cathedras plorabant; illi, quod ignorantiæ magiſtri erant, & Reipublicæ ideam, quæ nuſquam fuit, nec erit, fingebant: hi vero, quia ſe totos ad naturæ inveſtigationem conferebant, ſed maxime neceſſariam Philoſophiæ partem, quæ poſita eſt in virtute & moribus, relinquebant. [a] Ad Epicuri vero diſciplinam populare voluptatis nomen multos invitabat, viros magnos, & principes civitatis; qui patris ſui memoriam, velut Dei cujuſdam, annua ſolennitate colebant, ejus imaginem in annulis, poculis & cubiculo habebant, rataſque ejus ſententias ad verbum ediſcebant; ſancta, recta & fortia ipſum præcipere credentes. Hi magna amoris conſpiratione, ſed faſtu intolerando, *Philoſophi* nomen ſoli Epicuro, ſibi *vere philoſophantium* laudem tribuerunt. [b] Non hic ſectæ infamatæ dogmata defendam, quæ ſanior Philoſophia merito proſcribit. Nolim vero omnia dicteria & ſcommata, in hortorum magiſtrum ejuſque Sectatores vibrata, pro veris haberi; quia livor Stoicorum magnam eorum partem effudit. Nihil autem his litibus

tullian. *Apolog. c.* 3. Vide de ſectis elegans judicium Diodori Siculi *l.* I. *c.* 29.

a Commentitiam Platonis remp. reprehendit Athenæus *lib.* XI. *Deipnoſ. c. ult.* Ejus leges, ut ſummum ſtultitiæ exemplum, proponit Lucianus in *Icaromenipp. p. m.* 689. Græci, cum frivolum quid ſignificare voluerunt, proverbii loco, ψυχροτερον Πλατωνος νομον, *Frigidius Platonis legibus*, dixere.

b Cicero lib. v. Tuſc. Quæſt. *An Epicuro, qui tantum modo induit perſonam Philoſophi, & ſibi ipſi hoc nomen inſcripſit, dicere licebit?* Diſcipulos ejus pro certo habuiſſe, atque profeſſos: *Neminem extitiſſe Epicuro ſapientiorem*, teſtatur Plutarchus de Fraterno amore. Libros ejus de cœlo delapſos, ab iis creditum, Victorius docuit *lib.* XIX. *var. lect. c.* 16. An Alphenus Varus, Epicureos απλως Philoſophos dixerit, in *l.* 76. *D. de Judiciis*, excuſſi ſupra *pag.* 583.

bus opus erat Jurisconsultis, viris politicis & popularibus, quibus Epicuri disciplina nullo modo vera videri poterat. Is namque Rempublicam nosse, aut gerere, negabat esse sapientis; & fugere omnem disciplinam navigatione quam velocissima jubebat. Hoc amplius, Deos nullam humanarum rerum procurationem habere censuit: quam sententiam si veram habuissent Jurisconsulti, ubi pietas? ubi religio? ubi jusjurandum? His vero sublatis, fides etiam, & societas humani generis, & una excellentissima virtus, Justitia tollitur, cujus ille nihil reliquit, nisi nomen inane, quod intra communem utilitatem consistat. Denique omnia sui causa quum facienda docuit, non civitatis: an justitiam administrari, voluit? quæ, Aristotelis effato, *αλλοτριον αγατον*, alienum, non proprium commodum spectat. Tullius *maxime astuti esse*, scripsit, *omnia ad suam utilitatem referre*; alibi *επιχαρειον* vocat, ad suum quæstum unice callidum esse; quoniam hæc simulata, non vera erat Epicureorum Philosophia, omnia voluptate metiri.[a]

Ad Stoicorum sectam nunc pergamus, gravissimam & fortissimam, quæ virum summi ingenii Zenonem habuit antesignanum. Is finem bonorum non in voluptate, sed in honestate collocavit; atque ideo Epicuri disciplinæ, tum maxime florenti, omnibus ingenii viribus non modo adversatus est, sed & novam hæresin novo paxillo ut suspenderet, ceteros maledictis laceravit. In epistola ad Antigonum Regem, vehementer laudat ejus discendi studium, quatenus *veram* atque utilem, non autem *popularem* & morum corruptricem Epicuri Philosophiam amplectebatur.[b]

a Aristoteles *lib.* v. *Ethic. Nicom. c.* 10. Cicero *lib.* III. *ad Fam. ep.* 10. & I. *de Nat. deor. c.* 2. juncto Laert. X. *n.* 150. Adde pulcherrimam Tullii epistolam supra *pag.* 584. & Schottum *Nod. Cicer. lib.* II: *c.* 19.

b Menagius *lib.* VII. *n.* 8. *καθοσον της αληθινης και εις οσον τεινουσης*, &c. Similiter Marcus Antoninus Stoicos suos *vere philisophantes* appellat,

Ejus alumni in physicis, quod ad divina, tum in doctrina civili, præcipue autem in ethicis excelluerunt, suumque sapientem nihil ignorare, nihil opinari, totam naturæ vim, & summum humani generis bonum scientia eum complecti, uno verbo, omnia, immo prope deum esse, sunt gloriati. Quantum ergo res cœlestis terrestri, Deus ipse hominibus præstat, tanto intervallo doctrinam suam ceteras anteire. Et sane inficiari haud possumus, nullum non virtutis genus severa lege ab illis exactum; multos eorum ad omnes virtutes magnos evasisse & excelsos: Catones denique & Brutos, Thraseas Pœtos, & Helvidios Priscos, quæ de justitia, liberalitate, temperantia, honestate & animi magnitudine edocti erant, re & factis probasse. Plerique eorum hoc amplius se solos *sapientiæ doctores*, solos *vere Philosophos*, solos *Socraticos*, solos *Medicos majores*, tum propter sanctitatem doctrinarum, tum ob rigidam vitæ disciplinam appellabant. Epicurum contra otii magistrum; hortum voluptatis officinam fuisse; illius de grege porcos, in umbra, & amplexibus puellarum, plenos traducere hilaritatis dies, in aliis vere, in aliis falso, præ invidia & æmulatione criminabantur.[a] Atque ob has causas magna hominum nubes Stoicorum familiæ nomen dedit, præsertim ex quo M. Antoninus, princeps optimus, in albo eodem.[b]

Ipse Ulpianus, cum plerisque Jurisconsultis, ingenium ex Stoicorum fontibus proluerat; quia Zeno a rebus gerendis

pellat, *lib.* 1. §. 16. *των αληθως φιλοσοφουντων.* Etiam Horatius, ubi Stoicus factus, vitam civilem laudat, *lib.* 1. *epist.* 1. *ỷ.* 16.

Nunc agilis fio, & mersor civilibus undis,
Virtutis VERÆ custos, rigidusque satelles

a Seneca de vita beata, c. 13. *Plerique Stoicorum dicunt, sectam Epicuri flagitiorum magistram esse.* Epictetus multus adversus Epicurum *lib.* II. *c.* 20. & *lib.* III. *c.* 7.

b Sextus Empiricus, hoc Marci ævo, asserebat: *plures fuisse, qui Stoicam sectam sectarentur, quam qui aliam quamcunque.* Hermotimus, apud Lucianum, professione Stoicum se factum, ait: *quia videbam plurimos ad eam sectam se conferre, eam meliorem esse conjiciebam.*

dis minime avocabat, & Chrysippus jusserat, πολιτευεσθαι τον σοφον, nisi prohiberetur. Cum suis igitur magistris pupugisse videtur Epicureos, quasi simulata philosophia, tantum corpori deservirent, atque omnia, quæ anquirenda in vita, quæque fugienda, voluptatibus & doloribus ponderarent; reipublicæ autem partem, quæ manu & minis, præmiis & pœnis bonos cives facit, nec nossent ullam, nec nosse vellent.[a] Nolim vero existimetis, solis Epicureis, simulationis infamiam adspergi, unos Porticenses, tanquam veræ sapientiæ cultores, ab eo commendari: nam & inter illos viri optimi, & plurimi Stoicorum, dum præ ceteris sapere volebant, ad fastum & subtiles contemplationes prolabebantur. Olim quidem Stoicorum invidia maxime exarserat in Epicureos; at postquam Aristoteles Romanis placuit, in Peripateticos non minus obliqui fuerunt, quod hi bonis, quæ illi concupiscebant, potiebantur. Deinde Ulpianus eique æquales, miscellam magis amarunt Philosophiam, quam ut in verba Stoicorum jurassent: unde feliciter placarunt dissidia Sabinianorum & Proculianorum, ex diverso philosophandi genere enata. Quod si postremo ex zizaniis de tota segete judicare liceret, infinitos Pseudo-Stoicorum in scænam producere possem, qui aliter vixerunt, quam vivendum esse præceperant, quibusque Ulpianus vere objicere potuisset, quod Herodes Atticus cuidam dicebat: ***barbam & pallium video, philosophum non video.*** Mul-

a Hæc Celeb. Gundlingii sententia est, in *Add. ad tom.* xv. *Gundl. p.* 486. Feltman *ad hanc l.* 1. *n.* 17. & Stoicam & Epicuream intelligit; at omnium sectarum simulatam Philosophiam Ulpianus insectatur. etiam Pythagoreorum, quos αληθως προισταμενως φιλοσοφιας, *vere Philosophiæ præesse*, Claudius Imp. scribit, in epist. ad Apollonium, & ipse Apollonius, *epist.* 50. & 53. Sed Romanis erant invisi, quia magiæ infamia laborabant; unde nec inter quatuor sectas, ab Antonino salariis honoratas. Vide Rhodigin. *lib.* XIX. *Antiq. lect. c.* 7. Pejus vero Feltman addit, Ulpianum Stoicis tantum operam dedisse, eoque refert quod dixit, *nisi fallor.* Sed multa Ulpianus ex Aristotele, Platone, aliisque est mutuatus. Vid. Pancirol. *lib.* I. *Var. lect. c.* 80.

Multorum os ad modestiam videbat compositum, dejecta lumina, supercilia subducta, & corporis, velut rei supervacaneæ, contemtum. At si pectus intraret, dii deæque, quam omnia dissimilia! dira ambitio, inæquales livor, deorum neglectus, aliaque nefanda regnum tenebant. Non memorabo, quæ de Seneca scripsit Dio Coccejanus. Prætereo Egnatium, qui auctoritatem Stoicæ sectæ prætulit, habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus, & subdolus, avaritiam ac libidinem occultans.[a] Hoc tantum dicam, quod integræ huic sectæ passim arrogantiæ labes impingitur, quodque turbidos & negotiorum adpetentes fecit plus semel.[b] Cicero Catonis doctrinam paullo asperiorem & duriorem appellavit, quam veritas patiatur; ejusque magistros, ait, fines officiorum longius, quam natura vellet, protulisse; ut cum ad ultimum animo contendissent, ibi tamen, ubi oportet, consistere deberent.[c] Ut satis ex his appareat, Stoicorum mores & disciplinam cum vita civili non satis congruisse, minimum Jureconsultis eam per omnia aptam non fuisse.

Sed quia facilius latent, quæ non comparantur, age, Paradoxa cum responsis Prudentum conferamus, & aliter Philosophos, aliter Jurisconsultos astutias sustulisse apparebit. Inter illorum sententias & præcepta erat: sapientem sine affectibus esse; injuriam non accipere, nec gratia moveri; illum non exorari, non ignoscere; neminem misericordem esse, nisi stultum. Contra omnem sensum generis humani disputabant, omnia peccata esse paria, nec minus delinquere, qui

[a] Dio *lib.* 61. Tacitus *lib.* XVI. *Annal. c.* 32. Hinc toties hypocrisis ab Horatio, Juvenale, Persio, Martiale & Luciano barbatis magistris exprobrata est; & Pharisæi, qua dogmata, qua mores, Stoicis simillimi dicuntur, apud Josephum, qui inter istos nomen erat professus, *in vita sua.*

[b] Tacitus *lib.* XIV. *Ann.* 57. de Rubellio Plauto: *assumta Stoicorum arrogantia, sectaque, quæ turbidos & negotiorum appetentes facit.* Mitius judicat Plutarchus supra *pag.* 579.

[c] Cicero pro Murena *cap.* 29. & 31.

qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit. At Jurisconsulti, homines moderati, & nihil humani a se alienum credentes, opinari, irasci, & exorari nonnunquam virum bonum statuebant: valuit aliquando gratia apud eos, & relictus misericordiæ locus. Valde incivile ipsis videbatur, eandem crimini cum maximo, tum minimo pœnam statuere: regulas, quæ singulis maleficiis æquam irrogabant æstimationem, in arte sua æqui & boni, sequebantur. [a]

Magnus ille Stoicorum coryphæus, Chrysippus incestos cum matre vel filia concubitus, argumento a gallis gallinaceis, aliisque mutis animantibus petito probavit. Zeno uxores communes in republica decrevit: neuter in paiderastis, fellatoribus, aliisque libidinum portentis, quicquam obscœni, nihil turpe in dictis agnoscebat: naturam ducem monstrare, crepitus æque liberos, in conviviis, ac ructus esse debere. Verum Jurisconsulti ubivis, præter id quod justum est, honesti quoque & decori rationem habent; & verecundiam, omnium virtutum custodem, inculcant, ut nemo magis. Maxime vero in matrimoniis contrahendis naturale jus & pudorem, nec id quod licet, sed quod honestum est, inspici jubent. Recte sentiebant illi, per concubitum marium cum maribus naturam everti, & communione uxorum admissa, totam civitatem unum fore lupanar, cum columbæ etiam, aliaque muta animantia servent conjugii fidem. Hoc proprium iis quasi symbolum & capitalis sententia fuit: Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est. [b]

Ex constitutione Stoica sapientes soli Reges, soli divites, sani & formosi; soli cives, liberi, & Magistratus; soli pi-

a Tullius *pro Murena. c.* 30. *l.* 19. *D. de Off. Præsidis* Grot. *lib.* II. *c.* 20. §. 21. 23. Ampl. Bynkershoek *lib.* I. *Obs. c.* 3.

b Cicero IX. *ep.* 22. Sextus Empiricus Pyrrh. *Hypotyp.* III. *c.* 24. *l.* 14. §. 3. *D. de Ritu nupt. l.* 15. *D. de Condit. instit.*

ſtores, ſoli ſutores, ſoli lentem accurate & cum judicio coquunt: inſipientes omnes peregrini, exules, ſervi, fugitivi; nec leges, urbes, civitates, niſi ſapientum. His dolor non malum, ſanitas non bonum, exilium & publicatio bonorum non fugienda, ſed rejicienda eſt. Verum quis veſtrum non videt, hanc Philoſophiam aditum in urbem, forum, curiam nullum habere potuiſſe? Ea ſane admiſſa tollitur omnis ſtatus civilis, omne jus perſonarum, omne diſcrimen, inter liberos & ſervos, cives & peregrinos, homines ſui vel alieni juris. Sed quamvis idem cum aliis ſentirent, & nomina rerum magis immutarent; inde tamen inimicitiæ inter parentes & liberos, qui non eſſent ſapientes: inde contumacia, ſui amor, privatorum denique ac Principum contemtus. Prudentius Juriſconſulti medium inter abruptam contumaciam & deforme obſequium iter elegerunt, ſatis perſuaſi, poſſe etiam ſub malis Principibus magnos eſſe viros, obſequiumque & modeſtiam eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, ſed in nullum reipublicæ uſum, ambitioſa morte inclaruerunt.[a]

Zenonis decretum erat, nec templa, nec ſepulchra ædificanda eſſe; quod enim non ſit magni pretii, id ne ſacrum quidem eſſe, aut religioſum. Ipſe tamen ſibi adverſus, quod culpabat adorabat; colebat quod reprehendebat: loca ſacra, auguria, vota, ſacrificia, & omnem religionem ſacrorum, aperta ſimulatione, ad ſuperſtitionem uſque, obſervabat, non tanquam Diis gratam, ſed legibus imperatam. Verum Juriſconſulti ſummi religionis vindices, & ſacrorum cuſtodes, jus publicum in ſacris, ſacerdotibus & magiſtratibus conſiſtere ſciebant; de divinis pariter ac humanis reſponſa dabant; neminem, qui ſacra Diis, aut juſta mortuis faceret, in jus vocari permittebant, & ſummam eſſe rationem, quæ pro religione facit, ubivis teſtabantur.[b]

Ex

[a] Tullius IV. *Acad. quaſt.* c. 44. & IV. *de Finibus* c. 9. Tacitus *Agric.* c. 42.

[b] Laert. *lib.* VII. *n.* 33. Plutarchus *de Stoicorum repugnant.* Ælian. *l.* VIII. *c.* 14. *l.* I. §. 2. *D. de Juſt. & jure l.* 43. *D. de Religioſis.*

Ex præceptis Stoicorum non modo licebat, fati diem occupare, sed & sapiens, ex ædificio putrido ac ruente, sponte sua, ob levissimam, immo nullam caussam, migrare debebat, quia vita convivio & ludo similis esset, a quibus satur & fessus abire potest. At Jurisconsulti non omnibus promiscue, nec aliter, nisi justa fuerit caussa, de vita statuere permittunt. Paulus militem, qui sibi manus intulit, nec factum peregit, capite puniendum esse statuit: Ulpianus propalam malum servum esse pronunciat, qui aliquid fecerit, quo magis se rebus humanis extrahat; alibi eorum, qui ob criminis conscientiam mori, quam damnari maluerint, testamenta irrita facit, atque Zenonem, Empedoclem, Cleanthem, Catonem, Euphratem, aliosque Philosophiæ simulatæ reos agit, quod *jactationis* causa sibi ipsis fata accelerarunt.[a] Illi in virtute nuda summam felicitatem collocabant, ideoque bonis corporis, & quæ extra corpus, ad sortem beatam constituendam nihil virium tribuebant. Naturam paucis esse contentam; plurimum habere, qui minimum desideret; opes a malis possideri; solam paupertatem Philosophiæ vernaculam esse; hæc & alia suis instillabant. At Jurisconsulti, vere Philosophi, boni viri & civis esse judicarunt, sapientiam reliquis præferre, sed non excludere bona fortunæ, tam necessaria rei bene gerendæ instrumenta: duri hominis, & in se iniqui esse, amoliri a se Deorum munus, & nummos abjicere, quorum solidum esse usum, plus quam mathematicis demonstrationibus quilibet

 coti-

a Augustin. *lib.* XIX. *de civ. Dei c.* 4. *l.* 38: §. *ult. D. de Pœnis l.* 23. §. 3. *D. de Ædilit. edicto l.* 6. §. 7. *D. de Injusto rupto*, ubi Accursius, Alciatus aliique per voces *vel jactationis*, *ut quidam Philosophi*, mortem Empedoclis notari existimant, qui Deus immortalis haberi dum cupiebat, ardentem frigidus Ætnam insiluit. Sed Menagius ad Laert. *lib.* VIII. *n.* 69. jactationem adversæ fortunæ intelligit: quia vana ambitio non est ευλογος εξαγωγη. Vide Lipsium *lib.* III. *Manud. ad Stoic. dissert.* 22. 23. Fabrot. *Exerc.* V. Binckersh. *lib.* IV. *Obs. c.* 4.

cotidie experitur. Magis ergo suos admonebant, ut re & opera durum paupertatis telum effugerent: non amarent divitias, nec respuerent possessas, non in animum illas, sed in domum reciperent, quo miseris canis viaticum praeberent, nec liberi egestate premerentur.[a]

Nullus finis foret, Auditores, & Vestra patientia abuterer, si omnia Stoicorum paradoxa, fastigio humano altiora, immo prudentiae civili e regione opposita, commemorare vellem.[b] Illi vaniloquentia sua affectus in totum exscindi volebant: Jurisconsulti peccata quibus impares erant, ad vindices Deos remiserunt. Illi fatui fati legibus omnia subjiciebant, quibus ipse Deus irretitus sit, ut nassae piscis: Juris nostri auctores, ex scientia vel ignorantia humana, quid casus esset, vel non esset, prudenter aestimarunt.[c] Illis placebat fetum partem ventris, non animal esse; & posse mulierem non minus fetu, ac alia corporis parte, se privare: Ulpianus embryonem pro nato habet, quoties de ejus commodo agitur, & mulierem in exilium exigendam docet, quae visceribus suis vim intulit, quo partum abigeret.[d] Stoicus in sententia permanendum esse existimat, & veritatem potius deserendam, quam sectam: Jurisconsulti variarunt meliora edocti, & posteriores sententiam divisērunt, velut erciscundi, si alii censebant, quod sibi ex parte placuisset.[e]

Stoicorum dogma erat sapientem rempublicam administraturum, ipsi vero in otio versabantur. Pars illorum magna in lineis mensurandis & angulorum proportionibus erat occupata: alii in futili meditatione argutiarum, nihil ad vitam neque tuendam neque ordinandam promovente, consen-

a Gellius *lib.* 18. *c.* 1. Turnebus *lib.* 25. *Advers. c.* 23.

b Hujusmodi multa uno fasce collegit Heinsius *de sat. Horatiana pag.* 242.

c *L.* 28. §. *ult. D. de Judiciis.*

d *L.* 8. *D. ad L. Cornel. de Sicar.*

e Vide Papinianum nostrum *c.* xv. §. 5.

senescebant: alii ad syllabarum distinctiones & conjunctionum proprietates descendebant, Grammaticis velut invidentes: alii rursus disputationum & captionum dialecticarum laqueis adversarios irretire studebant: omnes maleferiati, & decretis contrarii, animum retinebant inexercitatum, & illa vere magna, atque mores publicos emendatura omittebant.[a] At Jurisconsulti vere viri, vere Philosophi, ipsis operibus ostenderunt, ad tuendos conservandosque homines se natos esse; ideoque civilem sapientiam, partim scientia, partim actione censendo; pacis bellique tractarunt artes, iverunt in forum, ut amicis, civibus, propinquis ingenio & voce prodessent. Philosophi denique si duce natura communes quasdam sententias, de bonis expetendis, de malis fugiendis investigarant, his contenti, mentem ad ulteriora non mittebant: verum heroës nostri provecti sunt longius: quicquid ubivis egregium, quicquid per sectas diffusum erat, collegerunt in suum juris corpus; tandemque per varia temporum intervalla, tum alia ex aliis nectendo, tum experimenta utilitatis instituendo, pervenerunt ad illam honestarum actionum moderatricem, & omnium virtutum disciplinam, quæ in publicis simul & privatis officiis excellit, atque civitates constanter, & fortiter, & perite administrat. Hæc vera, non simulata est Jurisconsultorum Philosophia.

Si quis adhuc dubitat, num Ulpianus, aculeato hoc sermone, pseudo-Stoicorum latus fodicaverit, illum ad Sacerdotium juris voco, quod noster sibi suisque sociis adscripsit: *cujus* (juris) *merito quis nos Sacerdotes appellet.* Olim Philosophorum, etiam antiquissimorum, fuit consuetudo, ut suam contemplationem Deorum vitæ simillimam, se omnium viscerum auspices, omnium Deorum sacerdotes profiterentur; sed Stoici, majore arrogantia, solum sapien-

 tem

[a] Plutarchus in libro *de Stoicorum repugn.* eos reprehendit, quod vita decretis non consentiret; alia etiam carpit Seneca *epist.* 71. & 88. juncto Gellio *lib.* x. *c.* 22. ubi verba Platonis, ex dialogo, qui Gorgias appellatur, lectu sunt jucunda.

tem suum, jactabant & Poetam, & Rhetorem, & Dialecticum, & Vatem, & Sacerdotem bonum esse, qui notitiam sacrificiorum, expiationum, dedicationum, & ceterorum, quæ diis propria sunt, perfectam habeat. & vere pietatem colat; ceteros omnes, ad stultum & profanum vulgus pertinere.[a] Jam vero sciebat Ulpianus, omnium artium commune esse, ut sacra sibi haberent propria, earum antistites sacra se facere prædicarent, earumque docti mystæ, & sacerdotes appellarentur.[b] Revocabat in memoriam, Deum esse, qui principia justi in nobis existere voluit; Jovem summum legislatorem & vindicem esse, qui sancta sanctis, prava pravis rependat; ipsam juris vocem Jovi originem suam debere, apud Latinos, eosque Justitiam, Jove prognatam, inter divas retulisse. Juris ergo, quod artem æqui & boni definiverat, Sacerdotes vocat Jurisconsultos; quia juris

a Diogenes Laertius procem. n. 1. Philosophiæ antistites, ιερεας ειναι και προφητας, *sacerdotes ac Prophetas* appellatos docet. Apulejus in apologia: *Si Persarum lingua Magus est, qui nostra sacerdos, quod tandem est crimen sacerdotem esse? & rite nosse, atque scire, atque callere leges cærimoniarum, fas sacrorum, jus religionum? Siquidem Magia id est, quod Plato interpretatur* θειων θεραπειαν Et postea: *An hariolis licet jecinora rimari, Philosopho contemplari non licebit? qui se sciat omnium animalium aruspicem, omnium Deum sacerdotem.* De Stoicis Laertius *lib.* VII. *n.* 119. μονους ιερεας τους σοφους; Stobæus *tom.* I. *lib.* 2. *tit.* 4. ιερεα μονον ειναι τον σοφον, φαυλον δε μηδενα. Antoninus *de rebus suis lib.* III. §. 4. ιερευς και υπουργος θεων. Horatius inprimis huc pertinet *lib.* III. *Ode* I. ubi Stoicorum sacris initiatus, ceteros ludibrio habet:

Odi profanum vulgus, & arceo:
Favete linguis: carmina non prius
Audita, Musarum Sacerdos,
Virginibus, puerisque canto.

b Ovidius III. Amor. eleg. 8. *Ille ego Musarum purus Phœbique sacerdos.* Propert. lib. III. eleg. I. *Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos.* Sic omnes Christiani sacerdotes vocantur I *Petr.* II. *vs.* 5. *Apoc.* I. 6. juncto *Esaiæ* 61. 6. Augustinus *lib.* XX. *de Civ. Dei c.* 13. Adde Casaubon. *ad Persii prologum vs.* 7.

uris sacris operantur, Justitiam colunt, leges sacratissimas religiose tractant; munus civile tam sancte, ut sacerdotium gerunt; oracula Themidis indies depromunt, & tanquam Jovis ministri, præmiis & pœnis, civium mores emendare conantur.[a] Profecto si alibi universæ Philosophiæ descriptio, ad Jurisprudentiam recte ab Ulpiano erat relata: si Jurisconsulti in actu & opere vere Philosophos, rerumque divinarum & humanarum peritos se præstabant: quid vetabat, eis tribuere sacerdotii honorem, ab omnibus pseudo-Philosophis vulgo adoptatum? nam & sacra docebant, & sacris vacabant, sacerdotio in templis Justitiæ, in curia, in foro, in sacro Principis auditorio fungebantur. Hi erant, ex quorum ordine olim Reges sacrorum & Pontifices Maximi electi, nunc autem Consistoriani Comites, & sacrarii Augusti assessores sumebantur: Hi templa, delubra, & sacrificia eodem spiritu, quo rempublicam, curabant: hi sacerdotes simulatos quo ritu, quibus diebus, quibusve hostiis dii placandi essent, docere debebant: quia magna pars juris civilis jure Pontificio & libris ritualibus erat comprehensa, quæ omnia a Jurisconsultis velut mancipio possidebantur. In summa viros omnis juris peritos, prolixa laude cumulandos esse censuit Ulpianus, quo juvenes illorum gloria ad similem ingenii cultum, & virtutes sacerdotio dignas incitaret.[b]

Vix

a Jupiter δικασπόλος vocatur apud Callimachum *hymno in Jovem vs.* 3. Hesiodus Justitiam, Jove prognatam, laudat *Op. & dier.* 256. Templum Justitiæ Deæ consecratum ab Augusto Ovidius III. *de Ponto* celebravit. Servium Sulpitium *Justitiæ magis, quam juris consultum*, laudat Cicero *Philipp.* IX. Idem *juris antistes* vocatur apud Quintilian. *lib.* XI. *c.* I. Symmachus Impp. *justitiæ sacerdotes* orat. lib. X. ep. 61. Corippo Anastasius Quæstor *juris legumque sacerdos* dicitur *lib.* I. *de laud. Justin.*

b *L.* 10. §. 2. *D. de Just. & jure. l.* 32. §. 4. *D. de Recept. qui arb.* Porphyrius lib. II. de abstin. §. 49. *Vere qui Philosophus est, Dei altissi-*

Vix mihi tempero, quin Epicureis & Stoicis, simulatæ Philosophiæ convictis, addam Cynicos, quod a Stoicis tunica tantum distabant, sed initio, progressu & doctrina iidem. Horum ideam ut mente concipiatis, Auditores, proponite vobis senecionem horrenda barba, sordibus oppleta & bibenti molesta, nudipedem, totum quantum sordidum & pellibus animalium villosum; hominem, qui quam semel induit togam, non exuit, nisi detritam & laceram; qui hariolorum more in triviis obvias quasvis aras occupat, ibique in summa capita, ad ravim usque declamat: se vero solum sapientem, & Regem omnium regum canina facundia profitetur. Talem, inquam, vobis sistite aretalogum, & mendicum merum, cui dolium regiæ, baculus sceptri loco erat, qui peram diadema, pallium vocabat paludamentum: sed qui pessimos mores, & impuras obscœnitates torvitate vultus, habituque a ceteris dissentiente obtegere studebat. Hujusmodi circumforaneum, nonne impostorem, vernaculum scurram, verum Cumanum asinum, & quidvis potius, quam Philosophum dixissetis? Nonne quod inter causidicos rabula, inter mercatores seplasiarius, id tota Cynicorum natio inter philosophos veros fuisse videtur? Jurisconsultis certe, viris aulicis, & in luce hominum versantibus, non poterant non molesti esse miseri hi circulatores, convivia beatorum frequentantes, atque canum more, in eos, qui stipem negabant, injurii, ceteris vernili adulatione blandientes. Quinimo pueri, lenones & meretriculæ stolidam barbam in publico his vellebant; ipsi vero, stulta dissimulatione, vix sputa & verbera a se defendebant, ut argumen-

altissimi sacerdos habetur. Pro Jurisconsultis Salomo Prov. XXI. vs. 3. *Facere justitiam & judicium, magis placere Domino, quam victimas.* Romæ juris civilis interpretatio diu apud collegium Pontificum fuerat, postea viri primarii eam professi sunt, utriusque juris periti, ut docuit Brissonius *l.* IV. *sel. Ant. c.* 16. Similiter alibi sacerdotes jura reddidisse Cl. Perizonius observavit ad Æliani XIV. 34.

mentum haberent, in quo suam illam admirabilem patientiam ostentarent.[a]

Jam ad finem properat oratio, Auditores, & diu nimius fui, in vitiis Philosophorum conquirendis: sed quia nonnulli vestrum forsan cogitabunt, veteres illos homines fuisse, non Deos, nec paucorum crimen in omnium odium ab Ulpiano trahendum fuisse; idcirco permittite mihi, ut paucis adhuc æmulationem tangam, quæ omni tempore Jurisconsultos inter & Philosophos magna fuit, sed maxima a temporibus Marci Antonini. Quemadmodum enim qui prædia contermina habent, de vicinitate facile colliduntur; sic difficillimum erat inter Stoicos & Jurisconsultos, ejusdem moralis Philosophiæ cultores, æmulationem non oriri, quæ nata primum videtur ex conjunctione studiorum, aucta inæqualitate præmiorum, exarsit invidia, cujus finis odium fuit & simultas. Accedebat animus Stoicorum mordax, & studium argutiarum, & peritia sophismatum, quibus

Tttt irre-

[a] In Cynicos, hoc tempore scholam non habentes, frequentes tamen, gravissime invectus est Martialis *lib.* IV. *Epigr.* 53. Lucianus *in Cynico*, & *Vitarum auctione.* Julianus etiam *orat.* 7. graphice eorum mores describit, & monachos cum illis comparat, quorum institutum *Philosophiam* vocat Majorianus in Novell *de sanctit.* Salvianus *lib.* 2. *ad Eccl. Cathol.* aliique apud Cujacium in Paratitlis *ad tit. C. de Episcop. & Cler.* Frenium *Gloss Græc. voce* φιλοσοφία. *Ignaviæ sectatores* vocantur in *l.* 26. *C. de Decurion.* Triboniano monachus *simplicitate gaudens & desidiæ deditus* dicitur, in interpolata *l.* 25. *D. de Probat.* Quod in transcursu Paganino Gaudentio *de Philosophia apud Rom. c.* 72. dictum esto. Plautus Cynicos *parasitos*, Seneca *circulatores*, Suetonius *aretalogos* appellavit. Horatius *lib.* I. *Sat.* 3. ỳ. 133. apposite:

- - vellunt tibi barbam
Lascivi pueri; quos tu nisi fuste coerces,
Urgueris turba circum te stante, miserque
Rumperis, & latras magnorum maxime Regum.

Idem lib. I. ep. 19. ỳ. 12.

Quod si quis vultu torvo ferus, & pede nudo,
Exiguæque togæ SIMULET textore Catonem,
Virtutemne repræsentet moresque Catonis?

irretire ſtudebant Jurisconſultos, rebus magis, quam captionibus intentos. Denique inſita mortalibus natura, horum recentem felicitatem ægris oculis intuebantur, modumque fortunæ a nullis magis exigebant, quam quos in ſubſelliis ſuis nuper diſcipulos viderant, vel commilitones. Jam inde a Ciceronis ævo concertationis hujus veſtigia ſuperſunt; qui licet ipſe Philoſophiæ mirifice deditus, ſub Craſſi perſona, tale judicium interpoſuit, ut pro Jurisperitis pronunciarit, & omnibus Philoſophiæ ſanctuariis, prætulerit duodecim Tabularum libellum. Locus illuſtris, & cum Ulpiani verbis omnino conjungendus: [a] *Sive quem*, inſit, *præpotens & glorioſa Philoſophia delectat* (*dicam audacius*) *hoſce habet fontes omnium diſputationum ſuarum, qui Jure Civili & legibus continentur. Ex his enim dignitatem maxime expetendam videmus, cum verus, juſtus, atque honeſtus labor honoribus, præmiis, atque ſplendore decoratur: vitia autem hominum atque fraudes, damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte multantur: & docemur non infinitis concertationumque plenis diſputationibus, ſed auctoritate nutuque legum domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere. Fremant omnes licet, dicam quod ſentio, bibliothecas mehercule omnium Philoſophorum, unus mihi videtur XII. Tabularum libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare.*

Ecce! idem, ſed acerbius fuit Tullii judicium, veram Philoſophiam, quæ circa præmia & pœnas verſatur, non tam in Græcorum philoſophicis ſcriptis, quam in duodecim Tabulis, omnis publici ac privati juris fonte, reperiri. Philoſo-

a Ciceronis ſunt verba *in primo de Oratore.* At Petrus Petitus *lib.* IV. *Miſc. obſ. c.* 5. egregium hoc Romanæ arrogantiæ ac vanitatis argumentum vocat, & æmulationi tribuit cum Græcis, vel ut perſonæ, quam inducit loquentem, ſerviret. Verum Horatius XII. Tabulas *leges ſanctas*; Livius *fontem omnis publici privatique juris*; Tacitus *finem æqui juris* appellavit.

ſophi contra pleraque Decemvirorum humilia, plebeja, & ridicula habebant, præ his, quæ ipſi in ſcholis ſuis de Deo, de providentia, de ſummo hominis bono, de modeſtia, temperantia, de morum honeſtate, de officio, maxime vero de vitandis vitiis, etiam illis, quæ ſub ſpecie honeſti plurimis imponunt, diſſerebant. Animos eorum exulcerabat, quod Juriſconſultos, ad faſtigia honorum evehi cernebant; plurimum gratiæ eos conſequi apud conſultores; latiſſime eorum manare induſtriam; atque ea tantum, quæ in ipſis rerum obtinebant argumentis, ab iis tractari. Hinc virus, quod in artem juris nil valiturum erat, in juris auctores ſumma iniquitate evomebant. Horatius, Stoicorum filius, neque Alpheno pepercit, neque Labeoni, nec Trebatio aut Galbæ; quia ipſe legum imperitus [a] Perſius Maſuri rubricam arrodit, Arrianus Caſſii præcepta ſugillat, etiam ubi id minime putes. [b] Turpius Seneca, ut ſimulatos magiſtros ſuos tueatur, ſub diſcipuli perſona, *acutas Juriſconſultorum*, quas vocat, *ineptias* perſtringit: eorumque *reſponſa valere*, ſcribit, *etſi ratio non reddatur.* Alibi Juriſconſultos *pallidos*, *graciles*, *vix animum habentes*, e tenebris producit: alibi *jurisdictionem inſanis committi* criminatur. Majore inſolentia alibi: Nos, ait, *nos certe dicimus, & Zenonem & Chryſippum majora egiſſe, quam ſi duxiſſent exercitus,*

a Horat *lib.* I. *ſat.* 2. ỳ. 46. & III. ỳ. 82. 130. *lib* II. *ſat.* I. ỳ. 7. *ſeqq.* juncto Cicerone *lib.* VII. *ep.* 10. & 22.

b. Perſius *ſat.* v. de Sabino: *Excepto ſi quid Maſuri rubrica notavit.* Arrianus ad Epictetum lib. IV. c. 3. *Hæ ſunt illinc miſſæ leges: hæc edicta: horum interpretem eſſe decet; his parere; non Maſurii & Caſſii præceptis.* Menagius *c.* 43. *Amœnit.* & Bertrandus *in vita Sabini*, hos JCtos, tanquam præſtantiores, nominari exiſtimarunt: Lycklama VII. *Membr. ecl.* 37. Perſium ad Maſurii librum de furtis reſpexiſſe, contendit: At qui novit acutum illud Stoicorum ingenium, & odium adverſus Sabinianos, is facile nobiſcum faciet. Tantum in explicandis auctoribus refert, ſcire nationem! Vide etiam Galvanum *de Uſufr. c.* 5.

gessissent honores, leges tulissent, quas non uni civitati, sed toti humano generi tulerunt. Alibi rursus quærit: *An ille præstat, qui inter peregrinos & cives, aut urbanus Prætor adeuntibus Assessoris verba pronunciat: quam qui docet, quid sit pietas, quid patientia, quid fortitudo, quid mortis contemtus, quid deorum intellectus, quantum bonum sit conscientia bona?* [a] Hæc Seneca, tempore Neronis: sub Domitiano, togæ Romanæ gloria, Quintilianus, querebatur, Philosophos inferiora omnia præceptis suis ac litteris habere. [b] Et plerique posteriores, cum irrisione audientium, militem gloriosum imitabantur, unde *gloriæ animalia* dicti. [c]

Verum quia Ulpiani tempore, majus evaserat Jurisprudentiæ lumen, ejusque cultores ad summos quosvis honores adscendebant, ilia Philosophorum rumpebantur. Quicquid enim a Græcis sapientibus de republica, de legibus, de finibus bonorum & malorum, ambitiosis disputationibus effusum erat, id nugis excussis, in artem suam transtulerunt Jurisconsulti; ut quod antea fuerat otii levamen, nunc indies magis magisque converteretur in semen publicæ utilitatis. Nihil fere egregium in scriptis Græcorum reperiri poterat, quod non paucissimis illis juris præceptis: Honeste vivere: alterum non lædere: suum cuique tribuere, comprehensum esset. Philosophi præceptorum suorum ratas sententias jactabant: & Salus populi suprema lex erat nostris: Ignaviam prætendentes audiri nolebant; Jura vigilantibus scribi: civilem sapientiam, rem sanctissimam esse ajebant, minime pretio nummario dehonestandam. Tam

a Seneca *lib.* VI. *de benef. c.* 5. *Epist.* 94. *Ludo de morte Claudii, lib.* II. *de Benef.* 35. *de Otio sapient. c.* 32. *de Tranquill. anim. c.* 3. Merill. I. *Obs. c.* I.

b Quintil. *lib.* V. *Inst. orat. c.* XI.

c Sic Tertullian. *de Anima c.* I. *Nedum Philosophus gloriæ animal, cui nec consolanda est injuria, sed potius insultanda.* Hieronymus, in epist. ad Theophilum Alex. *Philosophus gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium.*

Tam pulcras autem doctrinas maxime ornabant facta iis consentanea, decorabat magnitudo animi, quæ nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam referebat, recteque facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petebat. Possem Auditores, adductis exemplis, & comparatione instituta, ad liquidum perducere, plures Jurisconsultorum veræ Philosophiæ leges tum explevisse, quam Græcæ sapientiæ fictos auctores. Possem ostendere, horum alios Regum adulatores, alios scortorum amoribus, alios impudentiæ addictos fuisse. Possem enumerare sectas eorum innumeras, otium perpetuum, & acerrimas de rebus nauci lites; Sed ohe! jam satis est. Omne nimium inhonestum est, & gratiam perdunt natura rei apta, nisi modò quoque temperentur. Sufficit, non facile quenquam ex istis, qui sapientiæ studium habitu corporis olim prætulerunt, cum his viris comparari posse, qui ingenium, laborem & fidem suam patriæ promtam expositamque præbuerunt: qui ita justi, ita boni viri, ita periti, ac prudentes, ut natura, non disciplina consulti esse videantur.[a]

Causa AA. perorata est: Vos nunc judices surgite, & in consilium ite, veram, an simulatam Philosophiam affectarint Jurisconsulti, & uter ordo propius pervenerit ad summum

a Jurisconsultorum vere philosophantium elogia & exempla dabit Cicero *pro Cæcin. c.* 27. *& Philipp.* IX. Valerius Max. *lib.* VI. *c.* 4. Tacitus *lib.* XVI. *Annal. c.* 7. Plinius *lib.* I. *ep.* 22. Athenæus *lib.* VI. *c.* 21. Spartian. *Carac. c.* 8. De Philosophis oratorie Quintilianus declamat. 268. *Ut omnes in unum Philosophos contraham, non tamen inter eos constare potest, quæ potissimum secta discenda nobis: quibus præceptis parendum sit. Pugnant inter se, atque dissentiunt: & perpetuam hanc per sæcula litem trahunt. - - - Quibus credam? quibus accedam? quicquid probavero, plures negaturi sunt, nec quæcunque præcipiuntur, stare possunt. - - Quis usus ipsorum virorum? Militiæne utiles, an civilibus officiis? Quid in his deprehendas, præter fictam frontem, & perpetuum otium, & quandam ex arrogantia auctoritatem?*

humanæ ſapientiæ culmen. Ut veterum conſenſu, [a] ſic Veſtro judicio ſtabit Ulpiani honos, nec metuet ſibi inpoſterum a calumniis eorum, qui vero faſtu fictam ejus arrogantiam calcarunt. Nemo, opinor, Turnebe, tecum amplius vitio vertet virorum principi, quod homines, gloriæ amore tumidos, ac ceteros præ ſe contemnentes, unico vocabulo notarit; niſi & Prophetas, Apoſtolos, ipſumque Servatorem noſtrum culpandos cenſeas, quod fucate piis, & perſonam agentibus alienam reſtiterunt.[b] Paulus diſerte monuit Coloſſenſes, viderent, ne quis eos deciperet per inanem fallaciam, quæ ex ſimulata Eſſenorum Philoſophia, & præceptis Phariſæorum, a Porticu petitis, tum oriebatur.[c] Hunc quoque ſi quid valetis, Adriani aſſeclæ, confutate; & falcem moroſam in meſſem non veſtram miſiſſe pœnitebit. Faceſſant nunc etiam, quotquot ſunt artis noſtræ oſores, qui cum Eunapio Sophiſta, cum Zabarella & Picolomineo, in ridiculam ſententiam eunt, Juriſprudentiam ſimplicem peritiam ſine arte, ſine ratione eſſe, quæ Philoſophiæ

a Diſerte Plato activam, moralem & πολιτικην Philoſophiam *veram* appellat, *epiſt.* 10. Ariſtoteles *lib.* 1. *Ethic c.* 2. Cicero *lib.* XV. *epiſt.* 4. Dionyſius Halicarn. *in judicio de Iſocrate*, Themiſtius in oratione, quam βασανιστην vocant, notas, ſymbola & γνωρισματα poſuit, quorum beneficio verum Philoſophum ab adulterino diſcernere liceat. Quintilianus lib. XI. Inſt. orat. c. 1. *Virum civilem VEREQUE ſapientem,* vocat, *qui ſe non otioſis diſputationibus, ſed adminiſtrationi reip. dederit, a qua longiſſime iſti, qui Philoſophi vocantur, receſſerunt.* Lactantius lib. III. de Falſa ſap. c. 16. *Sapientia,* inquit, *niſi in aliquo actu fuerit, quo vim ſuam exerceat, inanis & falſa eſt; recteque Tullius civiles viros, qui remp. gubernent; qui urbes, aut novas conſtituant, aut conſtitutas æquitate tueantur; qui ſalutem, libertatemque civium vel bonis legibus, vel ſalubribus conſiliis, vel judiciis gravibus conſervent; Philoſophiæ doctoribus præfert.*

b *Jerem.* VII. 4 *Eccl.* XIX. 24. *Matth.* XXIII. 5. *Marci* VII. 2. *Lucæ* XVIII. 11. 2 *Corinth.* XI. 31. 2 *Tim.* III. 5.

c *Coloſſ.* II. 8. Haſmoneorum decretum erat: *Maledictus ſit, qui ducet filium ſuum Philoſophiam Græcam.*

sophiæ nomen haud mereatur. Valeant barbari juris Doctores, & ad Anticyras navigent, qui cum Ferrariensi illo non Philosopho, sed ἀσόφῳ, rancidam illam næniam crepant: *Philosophiam ad jus discendum, magis obesse, quam prodesse.*

Nos vero, Auditores, per omnem vitam philosophemur, senes, juvenes; nulla ætas sapientiæ immatura est. Ut corpori medicina, sic illa menti sanandæ inservit. Plato beatam prædicavit rempublicam, cujus rectores philosopharentur. Nunquam adeo barbaries inter nos convalescat, nunquam sic contra virtutes & prudentiam civilem conjuretur, ut non veræ Philosophiæ nomen venerabile & sacrum maneat; quod tunc fiet, quando ejus studium porro tranquille tractabitur, nec de rebus aut difficillimis, aut non necessariis argutissimæ disputationes habebuntur. Inprimis autem æternam illam & verissimam sapientiam quæramus, præ qua omnia lusus, & omnia pulvis, & omnia nihil sunt. Meum est consilium, illa inquit, & æquitas: mea est prudentia, mea fortitudo: per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt!

Nunc tandem ad Vos mea se convertit oratio, carissimi Commilitones, qui Jurisprudentiæ fidem dedistis. Vos, inquam, ad veram, non simulatam juris naturalis Philosophiam invito; sine qua studium vestrum multorum camelorum onus erit, Sisyphi saxum ingens, quod magno labore advolutum relabetur. Quæ enim, per Deum immortalem! vestra esse potest juris scientia, nisi ad æquitatem naturalem revocetur? Unde autem veræ æquitatis regulas petetis, nisi ab arte æterna æqui & boni? Natura optima humani generis magistra est; illa semina justi pectoribus Vestris infevit, quæ si negligantur, urenda filix, stupor & ruditas iis innascetur. Cavete Vobis ab ignaviæ patronis, qui, pernicioso in publicum exemplo, jus illud naturæ, tanquam cerebrinum & nugatorium damnant, atque cum Epicureis, omnes meliores litteras, etiam hanc nobilissimam fugere jubent

bent disciplinam, quo ignorantiæ suæ velificentur.[a] Aliter longe veteris ævi sapientes, qui disciplinis suis hoc maxime argumento, quod naturam sequerentur, fidem adstruxerunt. Prisci Jurisconsulti non semel hoc ipsum professi sunt: Jus suum naturam sequi; simplicitatem legibus amicam esse; inde vim vi repellere licere; neminem cum alterius detrimento locupletari debere, aliaque id genus infinita derivarunt. Profecto ratio naturalis a Juris Civilis corpore si divellatur, putridum sine anima supererit cadaver, monstrum ingens, cui lumen ademtum est. Hærebitis ubivis, si æquum ab iniquo separandum, si licitum ab illicito discernendum erit: deerunt Vobis regulæ bonæ interpretationis; summum jus summa injuria fiet; & prætextu juris scientiæ hominum vita & fortunæ insidiis exponentur.

Nolim autem existimetis, me, dum juris naturalis præstantiam laudo, detrahere aliquid velle juri Romano, cujus æstimationem & cultum non nisi cum vita deponam. Ipse indies, juxta cum aliis Clarissimis Collegis meis, ad quatuor Institutionum libros viam Vobis aperiam: nec leges tantum, sed & earum occasionem, ortum, progressum, durationem, ex historiarum monumentis exponam. Verum quemadmodum illi, qui ædificia exstruunt, non necessitatem modo & utilitatem, sed pulchritudinem quoque ante oculos sibi proponunt; sic & sobriæ criticæ atque amœnitatibus erit locus: ut tamen semper memores simus moniti Grotiani, ne cultu verborum nudo ipsam ejus sapientiæ vim infringamus.[b] Omnino animus vester, velut vomere, magis

a De his, aliisque non veris, sed simulatis artis nostræ alumnis, dicam alio tempore, ne quis illud Catulli objiciat: *sed non videmus manticæ quod in tergo est.*

b Grotius lib. v. Histor. ad A. 1596. *Civile studium Doctorem habuit Hugonem Donellum, qui, Connani & Duareni vestigiis inhærens, legum disciplinam in ordinem artisque modum composuit, recisis quæ superioris ævi secura nimium imperitia turbarat: non tamen ut recentiori inertiæ accederet, quæ nudo verborum cultu ipsam ejus sapientiæ vim infregit.*

magis proſcindendus erat ſtudiis humanitatis, ac prorogato tempore ſtudiorum, in collegiis Philoſophiæ rationalis, & moralis, ad ſementem præparandus, antequam ad Jurisprudentiæ ſacra accederetis. Illa anſas præbent, quibus reconditos Jurisconſultorum ſenſus tenemus; illa ſcalas habent, quibus ad veræ eruditionis, prudentiæ atque honorum culmen aſcenditur. Simulatio & quicquid perſtrinximus vitiorum, priſcis gentilium Philoſophis, non Philoſophiæ imputanda ſunt. Cicero hanc mentis ſanitatem appellavit, & maximum munus, quod generi humano datum eſt.

Ut tertia Juris Canonici diſciplina cum jure Naturali & Civili conjungatur, non modo *Juris utriusque*, ad quem tantopere adſpiratis, & pars magna feſtinatis, titulus, ſed & ſtudii illius dignitas & utilitas vos commonere debebant. Inſignem quippe uſum jus illud habeat oportet, quod ex Sacra Scriptura, ex Canonibus Eccleſiæ naſcentis, ex ſententiis Patrum doctiſſimis eſt collectum; quod æquitatem & pietatem ſpirat ubivis, conſcientiis medetur, tricas ſpernit, & centum denique annis citius, quam jus Romanum, ubivis terrarum eſt receptum. Marcus Cato Sergium Galbam olim accuſaſſe fertur, quod jus Pontificium diſcere nollet: ſed hodie multis accuſatoribus opus foret. Non vos deterreat ſuperſtitio & faſtus Pontificis Vaticani, cui dudum valediximus. Veram Juris Canonici ſcientiam a ſimulata ſeparabo, ſcorias ab auro; & ſic jucundum erit vidiſſe, quibus artibus canones deſtruxerint ſtatum Laicorum, ut ad ſuum molendinum omnia referrentur. Evolvite domi, ſodes, Bockelmanni Differentias juris Civilis & Canonici, quas explicaturus ſum: [a] is ubivis jus Canonicum, quoties vere a jure civili differt, moribus receptum eſſe docebit. *Mores noſtri*, generaliter infit, *magis Canones ſe-*

Vvvv

a Quid de nimio ejus differentiarum ſtudio habendum ſit, quarum ne pars quidem dimidia eſt vera, oſtendam, Deo dante, in Diſſertatione, *de Spuriis Juris Civ. & Can. differentiis*, volumine ſecundo.

sequuntur, quam leges civiles in multis, ut patet ex decisionibus Curiarum Hollandiæ, Zelandiæ, Westfrisiæ &c.[a] Et hujus tamen juris prorsus imperiti creantur Doctores: O tempora! o mores! Quid ergo superest Commilitones, cur dubitetis, quin ad harum scientiarum, tam utilium, tam pulchrarum, cognitionem adipiscendam, omnis diligentia adhibenda, omnis labor perferendus sit. Proposita habetis tot ac tam illustria ad imitandum exempla; fulti estis adminiculis, ad tantam rem necessariis. Agite ergo, & vosmetipsos sic eruditos ostendite, ut spes Vos pulcherrima foveat, toto legitimo studio absoluto, rempublicam posse, in partibus ejus Vobis credendis, recte gubernari.

Ad te autem, Deus Optime Maxime, qui æterna Sapientia es, exordium & finis nostrarum actionum, ad te, antequam finiamus, supplices devolvimur. Tuere hanc Urbem, hospitium Ecclesiæ tuæ: serva ejus Rectores, patriæ suæ Patres: prospera docentium & discentium in hac Academia conatus: suffice nobis vires tanto muneri necessarias: da animum officii memorem, & cupidum veritatis. O SOL JUSTITIÆ illustra nos, & unicum vitæ atque laboris scopum, nominis tui gloriam, Ecclesiæ commodum, & Reipublicæ incrementum nobis largire.

[a] pag. 20.

D I X I.





INDEX

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

A.

B.

Bod-

F.

F.

G.

 L. La-

L.

M.

N.

Nuptia-

 Quin-

S.

T.

Unctio

F I N I S.

CORRIGENDA.

Pag. 19. *lin.* 5. *lege* cheirotoniæ. *pag.* 69. *lin.* 23. vel si a Clero. *pag.* 93. *lin.* 10. vetare quidem. *pag.* 129. *lin.* 25. obtrusit. *pag.* 141. *lin.* 13. Colchida. *pag.* 314. *lin.* 16. contactu. *pag.* 347. *lin.* 5. *pollinctorem sacerd.* pag. 351. lin. pen. ΘΕΟΣΤΕΦΕΙΣ. *pag.* 471. *lin.* 11. auctore. *pag.* 508. *lin.* 10. proximi. *lin. seq.* Theologicis. *pag.* 566. *lin.* 9. historiarum. Hæc aliaque similia, Benevole Lector, condona & emenda.



